BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Fbg St-Germ.
DE BURE, frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
F. DIDOT, imprimeur du Roi, rue Jacob, n° 24.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-libr., rue St-Louis, n° 46, au Marais
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
N. PICHARD, libraire, quai Conti, n° 5.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Haute-Feuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

VALERIUS MAXIMUS

ET

JULIUS OBSEQUENS

CUM SUPPLEMENTIS

CONRADI LYCOSTHENIS

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

VALERIUS MAXIMUS

DE DICTIS FACTISQUE MEMORABILIBUS

ET JUL. OBSEQUENS

DE PRODIGIIS

CUM SUPPLEMENTIS CONRADI LYCOSTHENIS

QUOS RECENSUIT NOVISQUE ACCESSIONIBUS LOCUPLETAVIT

CAR. BENEDICT. HASE

ADDITA SUNT FRAGMENTA

JOAN. LYDI ASTRAMPSYCHI NICEPHORI ET ZOROASTRIS

VOLUMEN SECUNDUM

PARS POSTERIOR

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIII

EDITORIS PRÆFATIO.

Finem operæ nostræ facit isthæc voluminis secundi pars altera, cujus duplex est argumentum : nam hac eadem parte et commentationes continentur librum Valerii Maximi aliqua ratione illustrantes; et auctores eo collati sunt, aut notantes aut explicantes signa, quæ a Diis hominibus olim credebantur portendi. Quumque plurimæ fuerint et quidem graves causæ, cur sic potissimum sit ista pars voluminis disposita, eas nostrumque in exsequendo munere consilium, breviter summatimque hic exponemus; ut in præfatione primi voluminis, pag. X, sumus polliciti.

Scriptionum de divinatione agmen ducit Julii Obsequentis liber De Prodigiis, cum supplementis Conradi Lycosthenis et animadversionibus Joannis Schefferi, adjectis nostris, si qua explicationis novæ atque enodationis arbitrabamur indigere. Complementum autem esse prope dicam necessarium Valerii Maximi Julii Obsequentis librum jamdudum adeo perspectum est, ut anno hujus sæculi sexto ab editoribus Societatis Bipontinæ Valerio item sit subjunctus : quorum auctoritatem secuti reprehensionem doctorum ab hac parte non est (ut spero) quod vereamur. Obsequenti addidimus quasi supplementa quatuor : Joannis Lydi capita quædam, Astrampsychum, Nicephorum, Zoroastrem. De Lydo ejusque scriptis et alii accurate egerunt : Harlesius Bibliotheca græca IV; pag. 155. Salmasius ad Simplicium, pag. 255. Kusterus ad Suidam, voce Ἰωάννης Φιλαδελφεύς. Boivinus ad Nicephorum Gregoram, pag. 786 (omitto reliquos) : et ipse

ego dixi pluribus verbis prologo in librum Joan. Lydi De Magistratibus Romanis, Parisiis 1812 octonis vulgatum. Unde, quia fortasse ad manum minime lectori est ea editio, repetam illa: Joannes Laurentius, a patria Lydus dictus, natus Philadelphiæ in Asia proconsulari a. C. 490, Constantinopoli militavit (ut tunc aiebant) inter Memoriales, Adjutores, Augustales, Cornicularios præfecturæ prætorio, imperantibus Anastasio et Justiniano Augg. Fato concessit post annum Ch. 552. grandis natu. Scripsit græce complura, quorum præcipue tria memorantur: liber De Mensibus, De Magistratibus Romanis, De Ostentis. Sed ea omnia habebantur pro deperditis, donec a. 1784 vir illustris *de Choiseul-Gouffier*, a rege Christianissimo Constantinopolim missus, oratorisque munere apud Turcarum Imperatorem fungens, in Thracia casu improviso codicem invenit sæculo X peraratum, libros De magistratibus Deque ostentis pæne integros continentem, libri De mensibus particulam. Ex hoc codice, Parisios apportato, libri De magistratibus editio vulgata est ea quam dixi paulo ante: libri De Ostentis editionem quum item instituerem, appellavit me vir Summus, cujus nunc auspiciis omnes hi classici exeunt nitidissime descripti typis, appellavit me, inquam, ut aliquot capita, quæ disciplinam auguralem illustrare possent (sicut Astrampsychum, Nicephorum, Zoroastrem, de quibus posterius), Julio OBSEQUENTI, si videretur, subjungerem. Huic ejus voluntati libentissime obsecutus, ex LXXI capitibus libri De Ostentis (tot enim erunt in editione integra propediem proditura) viginti contuli in hoc volumen. Ea sunt exordium libri initio mutilum, pag. 210—231: tonitruale e scriptis Fonteii a Lydo excerptum græceque versum, pag. 232—239: capita novem de fulminibus,

pag. 240—255. Hæc, ut dixi, descripsi ex codice cujus et scriptura erat subpallida mendisque scatens, et lacerarum paginarum fragmenta cariosa admodum : eaque ita legi, ut sim visus mihi potius divinare. Quapropter, quum in primis quinque capitibus multa occurrerent loca ejusmodi, quæ non satis tuto restitui posse viderentur, commodissimum existimavi versuum lacunarumque diligenter expressam effigiem in summis pagellis proponere, subjectoque textu quoquo modo refecto doctioribus de probabilitate conjecturarum mearum relinquere judicium. Eam effigiem habes suo loco, pag. 210—217 et 220—225. Commentarium adjungere non est visum, quum ejus vice versio latina a nobis adjecta fungi possit : capita ipsa non dubito fore accepta lectoribus, tametsi sint a Lydo fortuita sane et promiscua ratione (ut omnia ejus) scripta : sed in quibus tamen et eruditionem agnoscas non vulgarem, et librorum fulguralium aliorumque hodie deperditorum luculenta reperias fragmenta.

Sed hæc nimis fortasse multa de Lydo. De Astrampsycho dicemus suo loco, pag. 395. Interpretationis somniorum quæ sequitur, pag. 404—413, auctorem aiunt (quod haud scio an ita sit) Nicephorum II, patriarcham Constantinopolitanum, Arsenii I imperante Michaele Palæologo successorem : is Nicephorus, ubi vix menses undecim in patriarchatu egerat, e vita demigravit vergente ad finem anno 1262 : vide *Le Quien* Orient. Christian. I. 281. B. Auctorum, qui de præsensione rerum futurarum scripserunt, cogit agmen Zoroastres, pag. 414—419, sive potius collectio oraculorum Zoroastri tributorum græceque conscriptorum versibus. De quibus quum varia exstet et copiosa Fabricii commentatio, Harles. Bibl. gr. I, pag. 310 sqq. nec quicquam fere

habeam quod apponam de meo, ad illam commentationem lectorem rejicio.

Additamenta ad Valerium Maximum sunt pag. 257—304 editorum superiorum præfationes, testimonia, judicia, Kappii, Torrenii, Justi Lipsii, aliorum. Exercitationem Schultingii De testamentis rescissis, ut jam Torrenianæ editionis pergratum fuerat ornamentum, item in hac nostra repetivimus pag. 305—334: subjunximusque pagin. 335—394, De luxu Romanorum Joannis Meursii libellum, Valerium Maximum resque ab eo tractatas copiose illustrantem. De Indice editionum Valerii, pag. 421—452, quum is non minus quam reliqua clarissimi auctoris scripta singulari exquisitaque doctrina commendetur, non necesse habeo commemorare, nec magis est quod apud literate peritos dicam de Indicibus quinque deinceps sequentibus, quem ex quoque usum habere possis.

Quæ ad illustrandum Valerium Maximum Juliumque Obsequentem collegimus, hunc habent terminum. Optamus autem vehementer, et ex animo, isto conatu satis esse factum promisso nostro ac recepto, satis officio ac necessitudini constitutæ mihi cum Viro Clarissimo, totius hujus consilii de vulgandis classicis moderatore. Quem quid opus est nominem ubi dixero, cum politioris literaturæ et antiquitatis rara cognitione, acumine ingenii, elegantia et gravitate omnium studiorum, ad hæc latinæ linguæ peritia et versuum eadem lingua pangendorum laude, cum paucis esse comparandum.

Scripsi Parisiis, a. d. VIII Cal. Junias. a. C. cIↄ. Iↄccc. xxiii.

C. B. Hase.

PRÆFATIO KAPPII.

Licet morem eorum haud improbem, qui, quum veterem aliquem scriptorem in lucem edunt, in præfatione de rebus ad eum pertinentibus fusius disputant; ego tamen, Julium Obsequentem editurus, ab ea consuetudine jure quodam recedere posse mihi videor. Nam ut Gerh. Jo. Vossium de Historicis latinis, Jo. Alb. Fabricium in Bibliotheca latina, Petr. Baylium in Lexico historico et critico, J. N. Funccium de Vegeta linguæ latinæ Senectute, Georg. Christ. Hambergerum in Historia critica auctorum classicorum, aliosque plures silentio præteream, Schefferus et Oudendorpius in præfationibus doctissimis adeo diligenter de Julio Obsequente ejusque libro de Prodigiis egerunt, ut nihil fere in medium proferri possit, quod non ab his duumviris clarissimis jam observatum esset ac dictum. Igitur justam omnino virorum doctorum reprehensionem incurrerem, si illorum scrinia compilare, et lectoribus onus injungere vellem, ea hoc loco iterum legendi, quæ a laudatis viris de Obsequente copiose fuere disputata. Quare eos, quorum interest historiam Julii Obsequentis accuratius nosse, ad Schefferi et Oudendorpii præfationes ablegare possum. Neque etiam post Oudendorpium, quantum quidem scio, quidquam observatum est viris doctis, quod majorem lucem Julio Obsequenti afferret. Nam quod in titulo editionis Juntinæ[1] appellatur *Junius Obsequens*, sine dubio est error

1. *En ipsum titulum :* C. Plinii Cæcilii Secundi Novocomensis epistolæ omnium, quæ hactenus prodiere purgatissimæ. Ejusdem Panegyricus Trajano dictus. Ejusdem de viris illustribus in re militari, et in admi-

typographi, quia non solum in eadem editione, p. 466-493, constanter legitur *Julius Obsequens;* sed et Aldus, cujus diligentiæ Julium Obsequentem debemus, qui alias fortasse æternis tenebris sepultus jacuisset, omnesque alii editores Obsequentis semper eum *Julium* appellaverunt; et nemo certe melius Aldo, qui solus libro manuscripto usus est, nomen Obsequentis scire potuit. Id quod ideo monendum duxi, ne quis, titulo editionis Juntinæ deceptus, nomen Obsequentis in dubium vocet, aut eum *Junium Obsequentem* nominatum fuisse falso sibi persuadeat. Sed quid opus est, his diutius immorari? Accipias potius, lector benevole, quid consilii in hac mea editione sequutus sim, et quibus subsidiis instructus ad eam accesserim.

Petiit a me bibliopola, de re literaria, quum libris aliis, tum quoque scriptoribus veteribus suo sumptu editis, bene mereri cupiens, ut scriptorem aliquem latinum, minorem, raro obvium, et sive ob argumenti gravitatem, sive ob stili præstantiam lectu dignum, eligerem, quem typis repeteret. Quod mihi, a pluribus annis literas ad humanitatem spectantes, ut decet literarum studiosum, mire amanti, fuit pergratum. Sic enim optime ac facillime cum bonis literis, a quibus alia multa negotia paululum me avocaverant, in gratiam redire posse existimavi. Auctor igitur ei fui, ut Julii Obsequentis libellum de Prodigiis, cura Francisci Oudendorpii egregie illustratum, et anno hujus seculi XXII, Lugduni Batavorum splendide editum, typis iterum imprimendum curaret. Moverunt autem me causæ multæ, cur hunc scriptorem præ aliis

nistranda rep. Suetonii Tranquilli de claris grammaticis et rhetoribus. *Junii Obsequentis* prodigiorum liber. Tabula in totum volumen. Traductio græcarum dictionum, quæ passim volumini sunt insertæ. *In fine libri:* Impressum Florentiæ opera et sumptu Philippi Juntæ. Anno a nativitate DXV supra mille, mense octob. Leone decimo, pontifice.

bibliopolæ commendarem. Primum enim Julii Obsequentis libellus, mutilus licet ac imperfectus ad nos pervenerit, a viris longe doctissimis et in re critica principatum tenentibus Jos. Scaligero, Casp. Barthio, Nic. Heinsio, Jac. Perizonio, Gisb. Cupero, Jano Broukhusio, Pet. Burmanno, aliisque multis dignus habitus est, quem ab erroribus librariorum purgarent, et pristinæ integritati restituerent; deinde contigit illi, quod nescio an nulli scriptori latino minori, ut sæpissime, et vicies quidem, in Italia, Germania, Helvetia, Gallia, Anglia, Belgia, partim cum aliis libris, partim seorsim, ederetur, et commentariis virorum doctissimorum, Joan. Schefferi, Thom. Hearnii, Francisci Oudendorpii, etc. illustraretur.

Quæ quum reputassem, credidi, me studiosis bonarum literarum rem haud ingratam facturum, si hunc libellum a tot summis viris ob multiplicem usum diligenter lectitatum, explicatum, et magni æstimatum, propter argumenti gravitatem lectione perquam dignum, sæpius quidem editum, nihilo minus tamen raro obvium, post LII annorum intervallum, in his regionibus iterum excudendum, et omnium usibus exponendum curarem. Atque quum major utilitas esset exspectanda, si Obsequens cum notis ederetur, ad quas quisque in locis dubiis ac depravatis recurrere posset; Schefferi et Oudendorpii animadversiones, criticis summo consensu probatas, et multis laudibus concelebratas, integras adjicere statui; hac tamen lege, ut hæc editio minoriære, quam Oudendorpiana, redimi posset.

Postquam hoc Vierlingio meo persuasi, hæc nobis lex fuit, ut vitia typographica, quorum sane non pauca fuere in editione ab Oudendorpio adornata, emendarentur, loca librorum in notis laudatorum accuratius citarentur, atque capita librorum, et minora segmenta una cum editionibus vel paginis exprimerentur, ut omnia faciliora

essent inventu. Usu enim edoctus sciebam, quam multum sæpe temporis inutiliter consumendum sit in evolvendis locis, negligentius adductis. Igitur diligentissime excussi loca, a viris celeb. Scheffero et Oudendorpio laudata, et male citata emendavi, liberius vero et nimis vage adducta accuratius indicavi. In quo si multis justo sollicitior fuisse, et nimiam ac obscuram diligentiam adhibuisse videar, nulla alia re excusare me possum, quam nimio lectorum commodo inserviendi studio. Plurimum autem mihi profuit in hoc labore multis raris et pretiosis libris instructissima bibliotheca Longolii nostri, viri de me meisque studiis egregie meriti, pro cujus humanitate hoc loco debitas gratias ago. Hic enim Vir cel. plurimos libros mecum communicavit, ut pauca tantum loca supersint, quæ fidei auctorum relinquenda fuerunt.

Præter ea sedulo cavi, ne hæc editio vitia typographica, in Oudendorpii editione occurrentia, retineret, atque novis conspurcaretur. Atque qui utramque editionem inter se conferre velit, inveniet omnino, hanc editionem Oudendorpianæ quidem elegantia typorum et chartæ splendore paululum cedere, eidem tamen hoc palmam præripere, quod multo pauciores errores typographici in hac inveniantur. Neque tamen omnia vitia, omni licet adhibita diligentia, tollere potui. Irrepserunt enim quædam, humanæ imbecillitatis et oscitationis documenta, quæ æquus judex facile mihi condonabit. Sunt autem hæc: pag. 15, lin. 3, pro *ffamma*, lege *flamma*; p. 107, col. b. lin. 6 et 8, pro *facerent*, lege *fecerunt*; p. 188, col. b. lin. 14, Eutrop. *IIII*, 6, lege Eutrop. *V*, 4. In quibusdam exemplis etiam pag. 117, col. b. lin. 11, in voce *Apulia* linea recta transversa super ultimum *a* ponenda, omissa est; et pag. 89, col. b. lin. 5, 6, in paucis exemplis est *fulmina pleraqua*, pro *fulmine pleraque*. Plura invenire non potui.

Superest, ut quibus subsidiis usus sim, et quid a me præstitum sit, paucis exponam. Ad manus mihi fuerunt ex editionibus antiquis Juntina et Basileensis de anno 1530, quæ in notis Oudendorpii semper appellatur *secunda*. Hæ mihi ideo gratæ fuerunt, quod Schefferus et Oudendorpius eas vel plane non, vel non satis diligenter inspexerunt, quapropter eas cum aliis editionibus contuli, et lectionis varietatem annotavi. Deinde editioni Oudendorpianæ, quam ex bibliotheca quadam Lipsiensi auctionis lege nuper mihi comparavi, adscriptæ erant paucula conjecturæ a viro docto, cujus nomen ignoro, quæ ne plane perirent, suo quasque loco inserui. Præter ea ex editione Juntina addidi numeros capitum Obsequentis, partim, ut nemo cum Oudendorpio (ad Obsequ. cap. 55, not. 1) eos Lycostheni attribuat, partim ut quivis eo facilius loca Obsequentis invenire possit, sive secundum numeros Lycosthenis, sive secundum numeros editioni Juntinæ præfixos ea allegata sint; nam video utrumque a viris doctis fieri. Vid. e. g. Burmannum (qui tamen alibi secundum numerum Lycosthenis citare solet) ad Ovidii Amor. lib. I, eleg. VII, v. 48; tom. I, p. 353; et Davies. ad Cæs. de Bell. gall. lib. V, cap. 55. Nec minus gratum fore existimo harum literarum studiosis, quod in eorum gratiam ex Oudendorpii Lucano, ex Burmanni Ovidio, ex Actis eruditorum 1721, pag. 119, seq. aliisque libris ea excerpsi, quæ ad illustrationem Obsequentis pertinere existimavi. Editiones librorum plerumque addidi. In Dione Cassio vero usus sum Stephaniana 1591, et in Perizonii Animadversionibus ea, quam Cel. Harlesio debemus. Indices partim emendavi, partim auxi. Maxima erat confusio in Lycostheniano, in quo emendando multum laboris impendi: tandem et ausus sum conjecturas meas super quibusdam locis corruptis addere. In quibus si nihil aliud, hoc tamen fortasse plurimis

placebit, quod non nimis multæ sunt, et vix unius plagulæ spatium implent, nec pretium libri augent. Quæ quales sint, ut lector benevolus statim videat, ex pluribus quasdam nominabo : cap. 71, not. 11; cap. 73, not. 12; cap. 84; not. 5; cap. 87, not. 2, 3, 5; cap. 90, not. 5; cap. 104, not. 11; cap. 114, not. 20; cap. 116, not. 12; cap. 118, not. 2, 9; cap. 123 (Junt. 62), not. 1; cap. 126, not. 2. Meum non est de iis multa dicere. Liberum unicuique harum rerum perito lectori judicium sit, detrahendi, addendi, emendandi, delendi. Interdum animadversionibus Schefferi et Oudendorpii quasdam immiscui, quas, ut facilius ab iis discerni possent, signo parenthescos ( ) inclusi. A textu Oudendorpii quatuor locis tantum recessi, nempe cap. 60, not. 11; cap. 78, not. 2; cap. 79, not. 7; cap. 103, not. 5. An recte fecerim, judicent periti et æqui lectores, quibus me meumque de Julio Obsequenti bene merendi studium de meliori commendo. Cæterum, si penes me stetisset, libentissime addidissem ex Grævii Thesauro antiquitat. romanar. tom. V, p. 457-514, *Julii Cæsaris Bulengeri libellum de Prodigiis*, qui loca veterum scriptorum de prodigiis diligentissime collegit; sed quia isto auctario pretium libelli auctum fuisset, hoc consilium abjeci. Ita, lector, vale, meisque conatibus fave. Scripsi Curiæ, Non. April. CIↃIↃCCLXXII.

AD INSIGNEM PIETATE AC ERUDITIONE VIRUM, DOMINUM

AUGUSTINUM BACGUT

CONRADI LYCOSTHENIS

RUBEAQUENSIS IN JULIUM OBSEQUENTEM

PRÆFATIO.

QUANTA veterum Romanorum in rebus gerendis fuerit religio, cum infinitis exemplis, quæ historiarum lectio nobis suppeditat, tum ex eo maxime liquet, quod domi forisve nihil egerint, nisi augures, quos deorum internuntios interpretesque vocabant, prius consuluissent, quorum tanta erat dignitas, ut non modo in senatum ascriberentur, sed singulis quoque tribubus singuli præficerentur. Illorum munus erat ex avibus vaticinia observare, deorum monita contemplari, de prodigiis, somniis, oraculis, portentis, extisque non tantum divinitus revelata responsa dare, sed quibus etiam sacris ac supplicationibus, item ad quæ pulvinaria deorum reipublicæ romanæ salutem expiarent, enuntiare. Hinc multa statim auspiciorum genera nata sunt, quarum quædam ex cælo, avibus, tripudiis, quadrupedibus, quædam ex diris, ac a natura plane abhorrentibus observata: alia item caduca, quum in templo per augures metato, aliquid excidisset; pleraque clivia, quæ videlicet difficulter eveniebant, dicta sunt. Ideoque si lapidibus pluisset, novemdiali semper sacro expiatum est, auctore Livio. Si vero cælestes minæ, terroresve, aut tetra nuntiarentur prodigia; vel si terribiles species, aut quid novum

vel inopinatum oblatum esset, piacularibus sacrificiis factis, ad placandas deorum iras vel feriæ indicebantur, aut lectisternia; nonnunquam etiam ludorum celebritates pontificum decreto procurabantur. Fiebant autem supplicationes cum solenni precatione, Urbe tota, circa omnia templa, fanaque et pulvinaria, in quibus honos diis dabatur, senatores et patricii cum uxoribus ac liberis plerumque coronati, nonnunquam omnes tribus et ordines, præeunte pontifice maximo, aliquando duumviris, præcedentibus pueris libertinis, ac virginibus patrimis et matrimis, prælata pompa frequentes supplicare, et pacem deorum immortalium exposcere solebant. Fuit sane magna hæc conjuncta cæcitate religio. Religio quidem, quod non dubitarint, divinum quoddam numen esse, quo cuncta gubernarentur, et cujus beneficio virtutum amatores remunerarentur aliquo præmio, contemptores vero affícerentur supplicio: ob quam causam iratos sibi deos timuerunt, sacrificiisque placare magno studio conati sunt. Cæcitas vero, quod quum veri et omnipotentis Dei cognitionem nullam habuerint, ejusdem tamen consilia, satanæ (quem eo tempore sub Apollinis, Ideæ, aliorumque deorum specie colebant) responsis explorare, atque imminentem delictis pœnam, religione ab hominibus conficta, mitigare, atque penitus effugere sibi persuaserint: quorum tamen cæcitati facile veniam dabis, si verbo Dei plane eo tempore orbatos fuisse intellexeris, sine cujus illuminatione in perpetuis ignorantiæ nebulis versabimur. Est enim quasi sidus quoddam lucidum in tenebris, monstrans veræ pietatis viam, et quo mentes hominum vera Dei cognitione illustrantur, novamque lucem fidei concipiunt, ac juxta illud, tamquam Cynosuram, omnem vitæ cursum dirigere discunt, juxta illud Psalmographi, *Lucerna pedibus meis verbum tuum;* et alibi, *Dirige me in verbo et veritate tua.* Nec fieri sane ullo modo potest, quin homines hac luce

verbi destituti, ruant in gravissimas tenebras, atque a vera pietatis via longe aberrent. Quid igitur credis Romanos, quibus ipsa natura, fecunda rerum mater, tantos pietatis igniculos insculpsit, facturos fuisse, si divini verbi lucerna illuxisset? Fateberis nimirum, ut virtutibus variis et rerum gestarum gloria cæteras, quæ sub terrarum orbe nationes sunt, vicerunt, sic etiam religionis veræ studio posteros suos, qui christianam religionem nomine potius, quam facto profitentur, multis parasangis præcursuros fuisse. Quod ita maxime deprehendere licet, si vitæ actiones ac pietatis zelum, collatione quadam cum priscis illis Romanis probe examinaveris. Apparuerunt enim hominum memoria infinita et horrenda prodigia, quibus Deus, justus vindex, iram suam mundo minatus est: et quæ Christus, summa sapientia patris, sub finem mundi ventura prædixit, Lucæ XXI: *Erunt signa in sole, luna et stellis; in terris erit anxietas gentium per desperationem, resonante mari et fluctibus, extabescentibus hominibus præ timore, atque exspectatione eorum, quæ supervenient orbi terrarum*, etc. Hæc si unquam in mundo visa sunt, certe paucis hinc elapsis annis satis superque conspeximus, quum nunc tres, nunc quatuor eclipses in unum annum inciderint, et stellæ crinitæ, lampades ardentes, faces de cælo decidentes, ac alia cælestia prodigia non defuerint: quæ etiamsi naturaliter a philosophis fieri dicantur, habent tamen suas etiam supernaturales causas, quibus agit dux naturæ Deus, refragantibus nostris rationibus. Qualia etiam sunt, quæ anno præterito apud Puteolanos magno omnium horrore acciderunt: quorum regio biennio fere magnis terræ motibus adeo agitata est, ut nulla in eo superesset domus integra, nullum ædificium, quod non certam et proximam ruinam minaretur. At vero quinto et quarto kalend. Octobr. perpetuis diebus terra commota est, mare passibus fere CC. recessit: quo quidem loco aquæ dulces prosilire visæ

sunt. Tertio demum kalend. magnus terræ tractus, qui inter radices montis, quem Barbarum incolæ appellant, et mare juxta Avernum jacet, sese erigere videbatur, et montis subito nascentis figuram imitari. Quo die iste terræ cumulus, aperto veluti ore magno cum fremitu, magnos ignes evomuit, pumicesque, lapides, cinerisque fœdi tantam copiam, ut, quæ adhuc exstabant, Puteolorum ædificia operuerit, arbores fregerit, pendentemque vindemiam ad sextum usque lapidem in cineres converterit, aves, quadrupedes bestias interemerit, fugientibus per tenebras Puteolanis cum natis et uxoribus, et magno gemitu, ejulatuque Neapolim sese recipientibus. Non dicam hoc loco de inundationibus, quæ ante paucos annos urbem romanam pæne submerserunt. Adriatici maris motus inauditos, quibus aliquot hominum millia perierunt; transeo et Vesuvium montem, qui nova eruptione, quæ anno a nativitate Christi MDXXXVIII facta, in loco plano magnum terræ hiatum aperuit, atque per circuitum ingentem molem in modum montis altissimi coacervavit: quemadmodum et Ætna anno MDXXXVII, qui novis fractis crateribus, non tantum colles omnes, nemora, saxa, rupes, et pagos duos in cinerem convertit, sed totam etiam Siciliam et Calabriæ partem, magno omnium stupore ac pernicie crudeliter infestavit. Omitto alia horrenda prodigia, miracula atque portenta, quæ elapsis jam aliquot annis in diversis regionibus, et in Germania præsertim visa et audita sunt: quibus flagitiis nostris iratus Deus, ultionem atque vindictam minatus est. Sed frustra, proh dolor! adeo enim in mundi hujus ingluvie ac cœno immersi sumus, tanta impietas mentes hominum invasit, ita luxus, libido, atque alia horrenda inter Christianos creverunt flagitia, ita abundavit omnis iniquitas atque perversitas, ut nullus horum omnium vel pudor, vel metus reliquus sit. Unde fieri nequaquam potest, ut errores per-

niciosiores, horribiliores cæcitates, blasphemiæque obstinatiores futuræ sint, atque hodie orbi imminere videmus. Necesse est igitur, divinam ultionem in opus prorumpere, seculo tam diro in dies, quo non tantum intestinis odiis, perniciosis conspirationibus, seditionibus cruentis, atque bellis plusquam civilibus (in quibus etiam Christianus in Christianum, pater in filium, filius in patrem, et in fratrem frater crudelis suum gladium vibrat) obruimur; sed variis etiam atque inauditis morbis, omnem medicinam respuentibus, inficimur: quibus accedit earum rerum quæ ad victum hominis necessariæ sunt, in tanta annorum ubertate tam dira egestas, ut quam plurimi in diversis locis sola victus penuria moriantur misere. Ubivis terrarum veræ religioni, regnis atque imperiis gravissima imminent pericula, omnes respublicæ minantur ruinam atque interitum: adeoque nulla fides pietasque usquam est, ut homines quasi rabie quadam capti, in propriam perniciem conjurasse videantur. Sed promeruit has pœnas jamdudum impœnitentia nostra, qui sub nominis christiani prætextu, aspernati omnes divinas admonitiones, non Deo, sed mundo, et propriis voluptatibus servivimus hactenus: nec dubium est, quin graviora multa in hac mundi catastrophe sequutura sint (ut nihil de æternæ damnationis vindicta dicam), nisi in tempore sub potenti manu Dei, benignissimi patris, nos humiliantes confessione delictorum, vera pœnitentia, contritione atque innovatione vitæ sanctæ, numen nobis iratum placaverimus.

Julii autem Obsequentis prodigiorum librum, cujus fragmentum tantum exstabat, eo libentius hoc tempore edere volui, ut gentilium prodigia cum his, quæ nostro tempore divinitus eduntur, conferrentur, et expenderetur deinde ex rerum eventu, horrenda illa signa semper aliquid imminentium malorum hominibus portendisse, quo aliorum tandem exemplo moniti, evitandorum periculo-

rum rationes eo diligentius iniremus. Restitui autem libellum, quantum fieri potuit, Titi Livii, Dionysii Halicarnassei, Orosii, Eutropii, atque aliorum quorumdam probatissimorum auctorum auxilio, ita ut nihil plane deesse videatur; adjiciens quinquaginta prioribus capitibus ea quæ, ab Urbe condita usque ad L. Scipionis cum C. Lælio consulatum, hactenus desiderata sunt. Unde et ea ipsa capita (quemadmodum omnia, quæ in sequentibus mea industria adjecta sunt) asterisco[1] notare placuit. Annos etiam ab Urbe condita majoribus literis[1] in margine notare volui, ut in promptu esset quo tempore prodigia uniuscujusque capitis sive audita, sive visa essent. Quod si præterea annos ante Christi salvatoris adventum scire delectat, in eodem margine[1] cifris (ut vocant) minoribus a me annotatos intelliges. Hoc autem quidquid est studii mei ac laboris, vir, pietate simul atque eruditione clarissime, tibi dicare ideo visum est, quod a prima infantia me literarum tironem semper unice amaveris, atque multa humanitatis et benevolentiæ officia mihi exhibueris, quibus nunc etiam, quum patriam (quæ mei studii ac diligentiæ aliquam partem debito jure sibi vindicat) frequento, multis nominibus cumulare soles : ut sic meæ etiam in te gratitudinis, ac observantiæ pignus perpetuo exstaret. Cui si meam operam, quam in resarciendo, atque restituendo hoc libello impendi, gratam fuisse perspexero, animum addes, ut prodigiorum Chronicon, quod a condito mundo usque ad nostra tempora conscripsi, maturius absolvam. Vale : et me, quem a primis unguiculis sancte amasti, porro eodem studio amplectere. Basileæ, pridie Idus Martii: anno, a Christi salvatoris gratioso adventu, MDLII.

1. Hæc servavimus, et utramque annorum seriem cifris minoribus tantum annotavimus, ut infra videre est. Ed.

PRÆFATIO.

BENIGNO LECTORI

JOANNES SCHEFFERUS

S. D.

Quod nunc denuo Auctorem istum proferam in vulgus, effecere duo: primum, quia vidi, nulla ejus pridem in officinis librariis venalia prostare exemplaria; deinde, quia quæ hucusque edita, ea multis deprehendi atque fœdis inquinata mendis, a quibus scriptorem minime contemnendum aliquando liberari, arbitrabar æquum. Sumpsi ergo, quod unicum ad manus erat, exemplum ejus, Lugduni, anno MDLIII, minima forma a Jo. Tornæsio editum, quæque indigere immutatione explicationeve videbantur, diligenter annotavi, collectis simul, si quæ aliunde poterant huc afferri. Ita natæ mihi OBSERVATIONES breves, quas Auctori subjeci. Licet autem intra has me continuerim angustias, non pauca tamen puto sic exposita, ut mediocriter attento possint esse satis. Cæterum, id Tornæsii, quod modo dixi, exemplar suspicor eorum esse primum, quæ ab ipso publicata. Edidit enim postea et aliud anno MDLXXXIX, si modo ipse edidit, quod dicto anno excusum legitur Lugduni, nam videre ipsum hactenus non licuit. Sive autem ipse, sive alius quispiam ediderit, id eorum, quæ excusa sunt, opinor esse ultimum, certe quod post esset editum, hactenus observavi nul-

lum. Proxime ante publicasse Johannes Oporinus videtur Basileæ, anno MDLII, quo anno quoque primum a Lycosthene sunt adjecta, quæcunque caput quinquagesimum et quintum antecedunt, quædam etiam, quæ sequuntur. Quæ ne in posterum, quod hactenus etiam a viris doctis factum est, pro genuinis nostri [1] Obsequentis allegentur, charactere a reliquis distinguere volui. Genuinum Obsequentis fragmentum primo publicatum fuit, anno MDVIII, Venetiis, per Aldum. Sexennio post, id est, anno MDXIV, in Germania denuo una cum Plinio et auctore de Viris illustribus, itemque Suetonio de Claris Grammaticis et Rhetoribus recudi fecit Beatus Rhenanus Argentorati, usus ad hoc opera Matthiæ Schureri, quod exemplum post ex bibliotheca illustriss. excellentissimique regni hujus senatoris, atque arcis regiæ urbisque Holmensis gubernatoris, seu præfecti summi, domini *Claudii Rahlambii,* utendum impetravi, cumque meo studiose contuli : quum præsertim a Rhenano viderem laudari, tamquam quod per omnia cum Aldino conveniret, cujus copiam habere non potui. Sic enim de eo in præfatione Rhenanus: *Emendatum esse scio, et Aldini exemplaris fœturam non adulteram, sed legitimam.* Rhenanum sequutus est Asulanus, atque tertia vice publicavit, anno MDXVIII, itidem in Italia. Asulanum excepit Robertus Stephanus, qui in lucem misit Parisiis. Utrum alii quoque aliis in locis ediderint, hactenus explorare non potui. Cæterum, quis fuerit hic Obsequens, quam habuerit patriam, quo scripserit tempore, incertum est, quia nusquam ejus mentio apud veteres reperitur. Nomen eum facit gentis Juliæ, atque sic Romanum. At cognomen arguit quemvis alium, maxime quum inter romana haud

1. Vide Elmenhorstium ad Minucium Felicem cap. XXIII; Freinshemium ad Curtium lib. III, cap. 3, § 9, et ad Florum, lib. I, cap. 16, lib. II, cap. 4; Nic. Heinsium ad Ovidii Fast. lib. II, v. 499.

invenias. *Obsequentius* est apud Gruterum in Inscriptione veteri, pag. 444, integre Q. OBSEQUENTIUS SEVERINUS; sed is nil ad Obsequentem nostrum. Fuerunt *Obsequentes* potius de genere militum vel satellitum principalium. *Obsequia* profecto pro *satellitibus* occurrunt apud veteres non semel. Vide Capitolinum in Pertinace, cap. 3, ibique Casaubonum. Immo *obsequia* posita pro *ministeriis* et *servitiis* quibuslibet, ut ostendit Salmasius ad Pollionis Claudium, cap. 14. Unde quoque forsan factum, ut Marcus imperator gladiatores, quos per necessitatem armaverat, vocaret *Obsequentes*, sicut legimus apud Capitolinum in ipsius vita, capite 21, quod nimirum servi fuissent, ac deinceps militaturi essent in obsequiis principis. Num ex horum numero fuerit et Noster, aut ob causam aliam hoc nomen sit adeptus, dici liquido haud potest. Opusculum hoc scriptum esse minimum ante Orosii ætatem, id est Arcadii et Honorii tempora, Vossius existimat; quo autem argumento, indicare omisit. In eadem est sententia et Bochartus: ita namque habet lib. IV, Anim. cap. 5: *Quod post Julium Obsequentem et alios vetustiores, referunt Augustinus, Orosius, Freculphus.* Scaliger et Hieronymo vetustiorem facit, quippe quem narrationes Obsequentis dicat esse sequutum. Verba ejus sunt ad num. Euseb. MDCCCLXXXVI: *Julius Obsequens refert, Asiam Attali testamento legatam Appio Claudio, M. Perpenna cos. id est, numero* MDCCCLXXXVI, *quod videtur sequutus Hieronymus.* Scripsit ista Hieronymus Valentis temporibus, qui obiit anno CCCLXXIX post Christum natum, quod esset annis minimum triginta ante Orosii ætatem. Plura certiorave observare de ætate Nostri non recordor; nisi quod Bonifacius imitatum dicat Frontinum: *Julium quoque Obsequentem,* ait in libro de Romanæ Historiæ Scriptoribus, *putamus ex Frontini imitatione prodigia, quæcunque sparsim habebantur, in unum collegisse.* Floruit

Frontinus ætate Titi, qua tamen, aut proxime sequente vixisse Obsequentem quoque non necesse est: nisi ex stilo ejus aliquid ejusmodi velimus augurari, qui videtur castigatior, quam ut Arcadii temporibus conveniat. Nam quod Joh. Jacobus Frisius in Bibliotheca sua eum Panætio ac Polybio facit æqualem, et vixisse putat anno ante Christum ducentesimo et quadragesimo, id qua ab eo dictum creditumve ratione fuerit, dispicere non possum, quum ipse Obsequens Augusti Cæsaris, sub quo Christus natus est, et Drusi faciat mentionem. Porro in conficiendo hoc opusculo Livium præcipue sequutus videtur. Arguit hoc primum, quod iisdem pæne utatur verbis, quibus Livius, ut ex iis constat, quæ in Livio reliqua nobis manserunt, et ab Obsequente memorantur; deinde quod in Drusi temporibus finiat narrationes suas; idem enim Livius quoque facit: obstare queat, quod a Livio dissentiat in nominibus consulum, sub quibus prodigia quæque acciderunt, quemadmodum non semel a Scaligero est annotatum. Verum hunc dissensum puto esse non ab ipso, sed librariis, qui debitam diligentiam in eis consignandis non adhibuere, sæpeque sub eosdem retulerunt, quæ contigerant sub diversis. Cui probando suffecerit exemplum istiusmodi erroris etiam in editis commissi, quem in notis indicavimus. Sane quum in memoratione istiusmodi prodigiorum Livius peculiarem adhibuerit præ cunctis aliis scriptoribus diligentiam, ac majorem pæne, quam historico convenientem, ut nonnulli arbitrantur, ratio est evidens, cur sequendum ipsum sibi proposuerit, et hanc partem ex eo putarit sibi excerpendam. De cætero argumentum paucissimis est tractatum ex veteribus, ac fortasse nemini, præter ipsum Nostrum, unumque Johannem Laurentium Philadelphensem Lydium, qui tamen longe post, Justiniani atque Anastasii temporibus, et græce scripsit, ut ex Photii cod. CLXXX notum est. Ge-

nere orationis utitur latino proboque, quod jam supra innuebam, ut si id attendas, sat vetustum possis credere. Quia tamen pleraque sumpsisse ex Livio videtur, hæc sola manet manebitque conjectura, nulla certitudine subnixa: quamquam ob hoc ipsum, quod ex Livio hausisse sua videatur, debeat esse commendabilis; quippe qui defectum ejus istac saltem parte possit supplere, locutionibusque, quibus utitur, conciliare hinc auctoritatem. Corrupit eum tamen exscriptorum oscitantia, quod ex Aldina, et quæ eam sequitur, Argentoratensi editione facile colligitur. Mox accessit præposterum emendandi studium, uti constat ex editionibus Basileensem Lycosthenis sequutis, unde vitium id forte Lycostheni non parum imputandum. Nos idcirco dedimus operam, ut auctori sua redderentur, isque, quantum licuit per conjecturas nostras, sanitati restitueretur pristinæ. Nam codices manuscriptos exspectare frustra fuerit, quia exstare videntur nulli, præter unicum Jocundi Veronensis, quem accepit Aldus, et in sua sequutus est editione. Caput quoque centesimum vigesimum et tertium, quod integrum in libro nostro desiderabatur, cum nominibus consulum, ex editione Argentoratensi inseruimus; sequenti etiam suos ex eadem adscripsimus consules, omisso tamen qui addendus illi erat numero, ne in iis oriretur turba, si numerus noster a recepto abiret. Addidimus et Indicem, sed eorum solummodo quæ revera Obsequentis sunt: Lycosthenianis suum subjecimus in fine. Annos quoque Urbis conditæ, quos margini Lycosthenes adscripserat, negleximus adjicere, quia calculo aliorum parum videbantur convenire. Atque ista quidem eo libentius ad scriptorem hunc contulimus, quod Laurentium Pignorium, magnum virum, similia quondam in animo habuisse videremus. Ita namque memorat de eo Balthasar Bonifacius ubi de Frontino agit. Scribit quidem

jam[1] fecisse observationes aliquas in eum; sed vero Thomasinus, qui recenset omnia Pignorii edita edendave, nullam earum facit mentionem: ut propositum hoc ei fuerit potius, quam ipso opere confectum. Quod si felicitate pari atque ipse, copia eruditionis, rerumque aliarum ad labores hosce probe conficiendos longe nobis instructior, expedire non poterimus, tamen facto isto nostro excitabimus, confido, alios, ut majorem, quam quod hactenus fecere, in expoliendo eo curam ac industriam adhibeant. Vale, studiisque nostris fave.

1. Vide Jo. Alberti Fabricii Bibliothecam latinam, p. 537.

FRANCISCUS OUDENDORPIUS

LECTORI BENEVOLO S.

HABES hic, amice lector, meas qualescunque in Obsequentem observationes. Interpellare te in ipso operis limine non fuerat mihi animus. Verum quia priscus, et adhucdum ab omnibus usurpatus mos, a quo discedere mihi est religio, aliud jubebat, et quædam præmonenda erant, meum mutavi consilium; tibique, antequam ad earum lectionem venias, hujus editionis causam, meique instituti ac laboris rationem paucis aperire constitui. Illos, qui laudabili more veteres Græcorum et Romanorum consuetudines, religionisque cognoscere arcana student, nihil liquido perspicere posse sine accurata prodigiorum, ominum, et ostentorum notitia certum est : neque aliquis id, opinor, negabit. Nullam enim ab antiquis gentibus rem, nisi auspicato, gestam fuisse, aut inceptam, immo negotii vel minimi peragendi consilium prodigiorum an nuntiatione disturbatum et prolatum fuisse, norunt eru diti; et clarissima, ut alios prætermittam, hujus superstitionis exempla duo nobis viri præbent, quorum uterque hominum mores, tamquam in tabella, elegantissime depinxit, et singulas fere hominum actiones sermonesque tam floridis ac liquidis coloribus expressit, ut etiamnum vivere, et coram nobis loqui videantur : Theophrastum dico, et Terentium. Theophrastus quidem in Characterum libello superstitiosum descripturus inter alia hæc dicit : Ὁ δὲ δεισιδαίμων τοιοῦτος τὶς, οἷος, τὴν ὁδὸν ἐὰν παραδράμῃ γαλῆ, μὴ πρότερον πορευθῆναι, ἕως διεξέλθῃ τὶς, ἢ λίθους τρεῖς

ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ διαβάλῃ. Καὶ ἐὰν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἱερὸν ἐνταῦθα ἱδρύσασθαι, etc. Terentius vero callidissimum servum Getam loquentem inducens in Phormione hæc ait; act. IV, sc. 4:

Rogas
Quot res post illa monstra evenerunt mihi?
Introiit in ædes ater alienus canis;
Anguis per impluvium decidit de tegulis;
Gallina cecinit; interdixit hariolus;
Aruspex vetuit ante brumam aliquid novi
Negoti incipere, quæ causa est justissima.

Hinc, quoties iter ingressuri pedem offenderant, vel in terram lapsi erant, vel diram viderant volucrem, procurare ea, aut, ut hostibus suis eveniant, Deos implorare ac obtestari solebant. Quid? quod nostræ etiam consuetudines ex prodigiorum cognitione illustrari possint. Nonne hodie obtinet ut sternutantem salvere jubeamus? atqui hic mos ex Græcorum et Romanorum superstitione originem traxit. Malum enim apud eos portendere sternutatio credebatur. Hinc sternutanti Ζεῦ σῶσον Græci, Romani *salve* dicebant. Immo, quoties aliquis mane calceos induens sternuisset, ominis procurandi causa, lectum repetere solebat. Et talis quidem privatorum circa omina cura fuit, et diligentia. Publicas vero, præsertim Romanorum (de quibus hic maxime agendum est : ad illos enim plurima ab Obsequente memorata prodigia pertinent) res si spectemus, videbimus nec romanas historias, nec religionem, neque ipsam reipublicæ conditionem recte cognosci posse sine prædictarum rerum scientia. Ut rem paucis absolvam: quantam historiarum partem prodigia faciant, nos vel unus Livius docet; quantam autem lucem publicorum rituum ac cærimoniarum illustrationi afferant, quantam denique, et quam præsentissimam habuerint vim ad rempublicam bene atque prudenter gerendam,

ac plebem in metu et officio suo continendam, sæpissime viri docti et in antiquitatum studio versati ostendunt. Hinc, quoties cum populo agi nolebant, de cœlo se servasse, lapidibus pluisse, androgynum inventum esse, annuntiabant, cæterasque religionis sacrorumve nec opinato faciendorum causas prætexebant divinarum rerum interpretes, nec de media plebe viri, sed summam rempublicam tenentes augures, atque pontifices. Verissime profecto sapientissimus romani nominis consul, et auguralis disciplinæ clarissimus, Cicero, dixit quum alibi, tum maxime in libri de Divinatione secundi capite tertio et tricesimo: *Errabat multis in rebus antiquitas, quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus; retinetur autem et ad opinionem vulgi, et ad magnas utilitates reipublicæ mos, religio, disciplina, jus augurium, collegii auctoritas.* Et ejusdem libri capite quinto et tricesimo: *Fulmen sinistrum auspicium optimum habemus ad omnes res, præterquam ad comitia: quod quidem institutum reipublicæ causa est, ut comitiorum vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magistratibus principes civitatis essent interpretes.* Et quis tandem nescit, diligentem prodigiorum procurationem sæpe habitam fuisse maximarum victoriarum causam; contra vero illorum neglectioni turpissimas clades fuisse imputatas? non alia quidem de causa, quam ut simplex et religiosa plebs, quæ quo magis credebat prodigia, eo etiam plura nuntiabantur, magistratibus, ad quos sacrorum cura pertinebat, esset obnoxia, et ad ipsorum nutum cuncta perageret. Quapropter jure merito ludibundi non modo poetæ carminibus suis hæc intexuerunt; verum etiam gravissimis historiarum conditoribus (quos inepte hoc nomine accusant nonnulli) visum fuit, se operæ pretium facturos esse, si prodigiorum ad res gestas et rempublicam pertinentium commemorationem operibus suis immiscuissent,

et quo quæque tempore, quibusque rerum momentis acciderint, diligenter annotavissent. Horum omnium quia Livius, sicut in cæteris rebus, ita quoque in prodigiis recensendis accuratissimus fuit, licet ipse nullam iis fidem habuerit, aut eorum vim agnoverit, illius voluminibus excerpsit, et in unum quasi fasciculum, quæ ad prodigia et publicam illorum procurationem pertinent, eum in finem colligavit J. Obsequens, ut facili negotio cognosci a quovis posset, qualia, et quibus locis ac temporibus prodigia apparuisse nuntiatum et creditum sit. Nobisque hoc facto præter illa quorumdam rituum cognitionem, qui aliter una cum Livii deperditis libris nos latuissent, reservavit. Hæc quum ita sint, non inanem laborem me insumpturum esse existimavi, si laceras, et fœdis passim maculis inquinatas hujus scriptoris reliquias majore, quam antea fuit præstitum, cura et industria emendare, et pristinæ, quantum possit, integritati restituere conarer. Licet enim vir variæ eruditionis laude celeberrimus Joannes Schefferus, qui primus Obsequentem notis suis explicare aggressus est, multa jam correxerit, plurimis tamen in locis rem male gessit, et sane infeliciter criticam in hunc auctorem exercuit: quod præter alios etiam monet doctissimus Jo. Albertus Fabricius in Bibliotheca latina, pag. DXXXVII, et in ipso opere clarius patebit. Itaque diligenter illum lectitare cœpi, et cum scriptoribus qui has historias, et hæc prodigia posteris reliquerunt, conferre: unde non parum commodi et utilitatis exoriri posse cernebam; nam, præterquam quod illi omnes harum rerum relationem ex Livio in suas historias transtulerunt, eadem, ejusdemque anni prodigia iisdem fere verbis ab illis narrari, sæpissime deprehendi. Hinc tandem natæ sunt meæ observationes, quas nunc amicorum, ut fit, impulsu, aliisque causis motus, tuo, benevole lector, judicio ac æquitati committo. Scias tamen, illas non ad eruditionis ostenta-

tionem, qua minime me instructum esse, satis mihi sum conscius; sed ad faciliorem auctoris intellectum, et depravatorum locorum correctionem esse scriptas. Quapropter etiam longam scriptorum seriem, e quibus hæc prodigia frequenter accidisse, demonstrari posset, ad partes vocare nolui: præsertim quum hoc operose peractum sit ab aliis, et in primis a celeberrimis viris J. Cæsare Bulengero in libro de Auguriis, ominibus et prodigiis, et Jo. Ludovico de la Cerda, ad Virgilii Georgic. lib. 1, ubi curiosus lector exempla ad satietatem usque potest invenire. In emendando librariorum errores, quibus scatet hic auctor, ingenio, vel ipsius Obsequentis et aliorum scriptorum testimoniis uti debui: quoniam desunt, saltem adhucdum non reperti sunt codices MSS.; nam alicubi latere quosdam, suspicari quis posset ex M. Velseri epistola, quæ est inter Gudianas centesima. Ita enim Meursio scribit: *Amicorum meorum quidam nescio quid in Julium Obsequentem molitur, cujus nullum adhuc exemplar manuscriptum paulo antiquius nancisci potuit: tu, si nosti, indica, quæso; res enim loquitur: editiones vulgatæ omnes hujus generis auxilia requirunt.* Manuscriptorum tamen loco adhibui veteres, quotquot mihi potui comparare, editiones; præterque eas, quas satis diligenter contulit editor anglicanus, consului etiam editionem primam, quam ex manuscripto Jocundi Veronensis codice edidit Aldus, Venetiis a. MDVIII. Plures a me visas ut hic recenseam, non necesse est. Editores enim omnes Aldinam, paucis modo mutatis, sequuti sunt. Unum tamen, velim, excipias Robertum Stephanum, cujus duas editiones, Parisiis a. MDXXXIX et MDXLIV, ab ipso procuratas adhibui. Illarum auxilio multa corrigi; quædam etiam clar. Schefferi conjecturæ confirmari possent, si modo ex MSto aliquo, non ex doctissimi editoris ingenio, quod putem, sint profectæ illæ mutationes. Quia autem libellus

hic, quamquam mutilus, magnam potest lucem accendere chronologis, et illis, qui fastos computare amant, annorum numeros non solum singulis capitibus, quibus jam olim non recte a Lycosthene erant adjecti, et ideo a Scheffero omissi, apponi curavi; verum etiam, ubicunque Obsequens, sive ipsius, seu librariorum vitio, quorumdam annorum prodigia, vel res gestas uno capite recenset, illa, ne quem morentur, diligenter per annorum annotationem distinxi. Contra vero, quum unum et idem prodigium proxime sequentibus capitibus sæpe repetatur, tamquam diversis annis illud acciderit, imprimi hic quoque curavi dissertationem clarissimi J. Perizonii, quam de hac re scriptam animadversionibus suis historicis immiscuit, quæque hujus libelli illustrationi maxime conducit. Quamquam, ut verum fatear, in omnibus viro doctissimo, et de me, meisque studiis optime merito, accedere non possum. Nullam enim video causam, cur idem prodigium duobus vel tribus proxime sequentibus annis in tam superstitioso populo nuntiatum fuisse, non credamus. Neque adeo incertum fuisse annuntiationis tempus, et ex eo errores fuisse natos, putem: quum illa, quæ a Livio et Obsequente memorantur, prodigia non inconstanti vulgi rumore spargebantur; sed publica senatus auctoritate innotescebant, et in publica acta, adjecto non modo anni, verum etiam diei numero, referebantur. Præterea tam crebro, singulis quippe diebus, prodigia accidisse dicebantur, ut singulis annis vix potuerint alia rursus afferri. Ad reipublicæ tamen, ut supra monui, utilitatem eorum annuntiatio erat necessaria. Tribus autem proxime sequentibus diebus nuntiata, et in senatus acta fuisse relata prodigia, patet, ut Livium nunc omittam, ex fragmentis actorum senatus, quæ suis ad Suetonium animadversionibus inseruit vir summus J. Georgius Grævius:

IV. K. APRILEIS.

FASCES. PENES. LICINIVM.
FVLGVRAVIT. TONVIT. ET. QVERCVS. TACTA. IN.
SVMMA. VELIA. PAVLVM. A. MERIDIE.
RIXA. AD. IANVM. INFIMVM. IN. CAVPONA. etc.

III. K. APRILEIS.

FASCES. PENES. AEMILIVM.
LAPIDIBVS. PLVIT. IN. VEIENTI.
POSTVMIVS. TRIB. PL. VIATOREM. MISIT. AD. COS. etc.

PRIDIE. K. APRILEIS.

FASCES. PENES. LICINIVM.
LATINÆ. CELEBRATÆ. ET. SACRIFICATVM. IN. MONTE.
ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO.
INCENDIVM. IN. CÆLIOLO. INSVLÆ. DVÆ. ABSVMPTÆ.
SOLO. TENVS. ED. ÆDES. QVINQVE. AMBVSTÆ.
QVATVOR. DEMIPHON. etc.

Hæc quum ita sese habeant, non temere Annalium scriptores, qui hæc acta consulere debebant, erroris accusandi mihi videntur. Judicium penes æquum lectorem esto.

Præterea, ne quis deesse huic editioni aliquid cavillaretur, Lycosthenis Rubeacensis supplementa, quæ vir ille in communibus locis colligendis diligentissimus Basileæ artium professor existens edidit a. MDLII, rursus addidi, et præfixo ejus nomine ab Obsequentis verbis distinxi. Integras quoque Schefferi observationes exhibui; editoris vero anglicani notas omisi, quia nihil, nisi quarumdam editionum collationem, et excerpta notarum Schefferi continebant. Indices etiam tam Obsequentis, quam Lycosthenis plurimis in locis auxi, atque correxi. Finem nunc, amice lector, præfationi meæ imponerem, nisi eximii viri, et acerrimi elegantiorum literarum vindicis Petri

Burmanni beneficia me admonerent, ut, quod lubens facio, debitas ipsi gratias publice agam. Humanissimus enim vir non suas modo, sed etiam amplissimorum hominum J. Scaligeri, N. Heinsii, G. Cuperi, quos pro meritis laudare non est adolescentis, conjecturas, nunquam ante hac editas, benigne mecum communicavit. Illas autem omnes notis meis insertas videbis. Hæc de instituto meo. Quod ad Obsequentem ipsum attinet, nihil dicere habeo. Quare te, lector, remitto ad virum summum Ger. Jo. Vossium in lib. de Historicis latinis, et cl. Schefferum in præfatione, ubi de eo satis egerunt. Ne tamen nihil afferam, Romanum hominem eum fuisse cum Barthio ad Claudianum, pag. MCCLXXIV, vel saltem Italum, opinor. Certe errare mihi videntur viri docti, qui ex nomine ejus colligi posse censent, illum ex obsequiis vel satellitibus principum fuisse, et cognomen hoc inter romana non inveniri affirmant. Certe aliquoties occurrit apud Gruterum in Inscriptionum corpore. Pag. DCCXXXV, n. 4.

C. OCTAVIVS.
OBSEQVENS.
TI. PRVDEN.
POTITÆ.
MATRI.

Pag. CCXLI, in basi marmorea a tribu Sucenssana imperatori Vespasiano posita inter tribulium nomina est:

M. LIVIVS. OBSEQVENS.

Denique legitur etiam, p. DCCXC, n. 5.

DOMVM. ÆTERNAM.
IVLIA. AGAPE.
POSVIT.
OBSEQVENTI. MARITO.

Quod doctissimus vir, Marquardus Gudius esse nomen mariti putavit. Sed, ut dicam quod censeo, malim hic intelligere maritum, qui uxori suæ fuerat obsequens, et multæ in eam facilitatis. Sic pag. DCCLXXVIII, n. 6.

OBSEQVENTISSIMO. MARITO.

Adde notas magni Casauboni ad Apuleii apologiam: *Obsequentissimum maritum exheredavit.* His fruere, lector, et vale; meisque, si placent, conatibus fave.

EXCERPTA
EX
JACOBI PERIZONII
ANIMADVERSIONUM HISTORICARUM
CAPITE VIII.

(Pag. 332—336, edit. Harlesii.)

PORRO autem prodigia, quæ singulis annis Romæ nuntiata a priscis Annalium conditoribus memorantur, quum video sæpe eadem proxime sequentibus annis repeti, etiam hoc contigisse ex eo arbitror, quod quia pleraque erant incerta et haud dubie fabulosa, a primis scriptoribus ab aliis in alium fuerint relata annum, et ita a posterioribus in utrumque. Talia sunt apud Obsequentem, qui ea omnia collegit, et in singulos annos, singulis capitibus distinctos digessit, quod *in area Vulcani et Concordiæ sanguinem pluit*, cap. 59 et 60; *Bos loquutus*, cap. 85 et 86; *Vitulus biceps natus*, cap. 91 et 92; *Bubo in Capitolio visus*, cap. 90 et 92; *Lacte pluit*, cap. 95 et 96; *Fremitus armorum ex inferno auditus*, cap. 105 et 106; *Mulus tripes Reate natus*, cap. 60 et 74. Ergo quum toties idem plane prodigium proximis inter se capitibus vel annis expositum occurrat, ex errore id ortum arbitror, et porro emendandum censeam Obsequentem cap. 80, quum ait: *Cauræ sanguinis rivi e terra fluxerunt*, reposito pro *Cauræ*, quod non injuria suspectum fuit doctiss. Scheffero, non *Coræ*, ut ille suspicabatur, sed

Cære e cap. 79, ubi itidem *Cære sanguinis rivi terra fluxerunt;* sic cap. 70, pro eo, quod *Lavinii fax ardens in cælo visa* legitur, scribendum erat *Lanuvii*, tum quia Livius XLV, 16, unde omnia istius anni prodigia eadem serie descripsit Obsequens, ita edit, tum quia Obsequens etiam sequenti capite idem prodigium *Lanuvii* accidisse scribit. Sed et prodigium, quod alicubi jam evenerat, si quando etiam alibi postea evenisset, a nonnullis etiam alterum illud, priori loco et anno factum, in posteriorem hunc annum videtur translatum, quasi istic tunc demum, et ita simul duobus locis eodem anno evenerit. Inde factum reor, ut etiam talia Obsequens duobus diversis annis, priore illo et hoc posteriore iterum occasione similis prodigii alio loco facti memoret. Exemplo sit, quod cap. 96, *Priverni terra septem jugerum spatio in cavernam desedisse*, dicitur. Quod quum deinde in Lucanis quoque contigisset, a nonnullis etiam Priverni, seu in suburbano ejus agro tunc demum contigisse, videtur proditum. Certe Obsequens, qui Priverni illud jam accidisse retulerat, secundo capite post itidem *Terram in Lucanis et Privernati late hiasse* scribit. Ubi neutiquam ego fero Schefferum emendantem, *Privernatibus*, quia urbs ipsa dicatur *Privernum*, quasi quisquam sit, qui τὸ *Privernati* pro vero ipsius urbis nomine habeat, nec videat ab eo esse formatum, et intelligi *agro:* præsertim quum passim ita loquatur Obsequens. Cap. 71. *In Prænestino cruenti ceciderunt imbres. Veienti lana ex arboribus nata.* Cap. 90. *Oleo et lacte in Veiente pluit.* Quod in his intelligitur, exprimitur cap. 86, *In agro Ferentino androgynus natus;* cap. 101, *In agro Trebulano mulier fulmine icta.* Deinde non æque commode dici potest *in Privernatibus*, atque *in Lucanis*, quum Lucani sint populi vel civitas multorum oppidorum pagorumque, at Privernates unius oppidi populus.

Ex eo autem, quod unum prodigium uno in loco ita duobus annis aliquando ab Obsequente commemoratur, vel alio etiam anno, quod idem postea alio in loco acciderat, denuo quasi aliud et novum nonnunquam repetitur, emendanda censeo collata inter se capita 73 et 82, ubi si tollas librariorum mendas, idem illud factum apparebit. Cap. 73, ait: *in Cephalenia turba in cælo cantare visa.* Vellem sane non sollicitari hic a viro docto τὸ *cantare*, rogarive, quomodo cantus ille potuerit videri, maxime in cælo, et *quia hoc non intelligat*, ex conjectura præferri, *constare.* Quid enim vulgarius, quam *visus* istis in locutionibus ad omnes sensus referri? Id quod etiam lexicographi ex Augustino et Donato docent. An Fufetius quoque videri olim poterat audivisse, quæ dicebat Tullo Romanorum regi de causa belli apud Liv. I, 22: *Eam causam hujusce belli audisse videor?* An etiam ab Ænea sonitus videri poterat apud Virgil. Æn. II, 731: *Quum creber ad aures Visus adesse pedum sonitus?* Immo in ipso Obsequente, cap. 106: *Fremitus ab inferno ad cælum ferri visus:* cur non et hic rogat, quomodo id oculis suis videre homines potuerint? Hoc ergo in verbo integra omnino et incorrupta sunt ista capitis 73; sed alio in vocabulo vereor ne vitium contraxerint. Quæ enim et cujusmodi illa *turba*, quæ in cælo cantare visa? Hominum an pecorum? (nam in prodigiis nihil potest videri nimis absurdum) puerorum, an virorum, an feminarum? Exprimi profecto aliquid hujus generis debuerat. Sed quid multa? scripsit haud dubie Obsequens *tuba*, quæ præcipua est inter signa militaria, quibus plerumque *cantus* tribuitur, et ad quorum cantum prælia committi solebant. Liv. I, 1: *Priusquam signa canerent.* Florus IV, 2, 66: *Ante imperium ducis sua sponte signa cecinerunt:* de quo ipso auctor B. Afric. cap. 82: *Injussu Cæsaris tubicen a militibus coactus, canere cœpit:* sed et alius ipsius Ob-

sequentis locus, cum hocce, ut dixi, collatus vehementer nostram confirmat emendationem, et ipse vicissim ex hoc emendatur, in quo, quia idem prodigium Præneste tunc evenisse traditur, Cephaleniæ item fit mentio, tamquam si tunc demum, vel tunc iterum ea in urbe id evenisset. Nempe, cap. 82: *Præneste et in Cephalenia signa de cælo cecinisse visa.* Sic enim lego ex superiore loco, non *cecidisse*, quod alienum est. Nam quæ signa de cælo in terram ceciderint; aut quis unquam tale quid legit, quæve aut qualia istic signa significaverit Obsequens, intelligat? At si *cecinisse* legas, nemo non videt, signa innui militaria, quorum præcipuum *tuba*. Et ita, ut sæpius alias, unum prodigium Cephaleniæ duobus annis, et capitibus, sed posteriore, ut equidem auguror, perperam et falso factum refertur, vel ex uno prioris anni rumore, seu vero, seu falso ortum, occasione novæ et similis fabulæ aliunde nuntiatæ, in posteriorem annum a quibusdam translatum, ab Obsequente utroque anno, tamquam vere bis contigerit eodem in loco, narratur. Verum ista quidem auctoribus, licet hoc pacto eadem res sæpius forte, quam revera acciderit, accidisse tradatur, vitio tamen verti nequeunt, quum illi certo scire non potuerint, utrum ea, quod vere pluries evenerint, an vero per et propter inconstantem vulgi rumorem, et ex eo, vel etiam aliunde natum primorum scriptorum errorem, toties proximis inter se annis iterata in antiquis annalibus occurrant.

JUDICIA QUORUMDAM

DE

JULIO OBSEQUENTE.

Ger. Jo. Vossius de Hist. lat. lib. III.

JULIUS Obsequens libro de Prodigiis inclaruit. Ex eo solum superest pars illa, quæ est a consulatu L. Scipionis et C. Lælii usque ad P. Fabii et Q. Ælii consulatum; hoc est, annum Urbis DCXLIII. Ex argumento, quod tractavit, gentilem fuisse suspicor; vixisseque minimum ante Honorii tempora, quibus Paulus Orosius vixit. Sebastianus tamen Corradus in Quæstura sua, pag. 41, videtur in alia fuisse sententia, quia utrumque nominans Orosium præmittit. Primus vero hoc fragmentum, a Jocundo Veronense sibi donatum, edidit Aldus an. MDVIII, atque iterum socer ejus Asulanus, decennio post. Priorem partem, quæ deperiit, ex Livio, Dionysio, Eutropio, Orosio, atque aliis supplere est conatus Conradus Lycosthenes, atque id in præfatione libelli ipse profitetur. Etiam capitibus a se additis asteriscum præfixit, ut, quæ Obsequentis, quæque assuta forent, melius posset cognosci. Satis hæc certa sunt ex editione Basileensi Jo. Oporini, cui eapse in urbe Lycosthenes præerat an. MDLII. Postea vero Jo. Tornæsius, typographus regius, Lugduni Obsequentis libellum a Lycosthene ita suppletum edidit, cum præfatione quidem Lycosthenis, verum (quæ res pessimi est exempli) sine asteriscis. Unde nunc fieri videas, ut

gravi errore Lycosthenes passim pro Obsequente legatur; atque etiam pro eo ab eruditis viris ad partes advocetur.

Nota videri Vossium aliam habuisse Tornæsii editionem, quam quæ an. MDLIII est publicata, atque usurpata nobis. Nam in hac nostra quidem asterisci omnes debitis locis sunt appositi. *Scheff.*

Car. Sigonius ad Livii lib. XL, *cap.* 2.

Obsequens de Prodigiis librum ex ipsius Livii verbis contexuit.

C. Barthius in notis ad Statii lib. V *Theb. v.* 86.

Consule et Julium Obsequentem, romani oris hominem, ut quidem is primis editionibus debetur.

C. Barthius in notis ad Statii lib. VI *Theb. v.* 87.

Elegans est liber Julii Obsequentis.

Demsterus in Indice scriptorum, Commentario ad Rosinum præfixo.

Obsequens necessarius et diligens scriptor.

Balthasar Bonifacius in lib. de Scriptoribus historiæ romanæ, ubi de Frontino agit.

Julium quoque Obsequentem putamus ex Frontini imitatione prodigia, quæcunque sparsim habebantur, in unum collegisse, elocutione vere candida et defæcata, et cuivis antiquorum exæquanda. Librum ejus habemus mutilum; incipit enim anno ab Urbe condita quingentesimo quinto, desinit P. Fabio, Q. Ælio consulibus. Quidquid tamen reliquiarum ex hoc auctore temporis injuria non delevit, carum doctis esse oportet; præsertim si nobis aliquando præbuerit legendas, quas fecit in hunc auctorem observationes, vir de omni antiquitate optime meritus, ac inter

polyhistoras et polygraphos jure numerandus, Laurentius Pignorius.

Olaus Borrichius in Cogitationibus de variis ætatibus linguæ latinæ, pag. 19.

His (Minutio Felice, Spartiano, Lampridio, etc.) adhuc castigatior puriorque censetur Julius Obsequens, a Lycosthenis additamentis liber.

Christoph. Cellarius in Curis posterioribus cap. 7. Voce *Infernus.*

Vixit hic Julius, Vossio et Bocharto censentibus, circa Honorii tempora, ut, si omnia concedamus, tamen ipsa ætas ad latinismum stabiliendum, si antiquiora desint, minus sufficiat.

Acta erudit. Lips. 1721, *pag.* 121.

Latinitas hujus auctoris (Obsequentis), uti erat ætas ejusdem, non est optima, caque criticis sæpe fucum fecit. Verba peregrina, nova, poetica usurpat; constructiones mutat, ut quando secundum et quartum casus pro sexto ponit. Quæ omnia antea diligentius consideranda sunt, quam ad mutationes deveniatur.

Fabricius Bibl. lat. lib. 3, *cap.* 4, *vol.* I, *pag.* 535.

Julius Obsequens, de cujus patria et ætate nihil fere explorati afferre licet, nisi quod castigatus sermo, quo utitur, meliori ævo eum floruisse, et prænomen Julii romanum gente fuisse indicio sit....... Livium potissime sequutus est in hoc libello Julius Obsequens, cujus verba etiam frequenter servat.

Funccius de Vegeta L. L. senect. pag. 707.

Obsequentis libellus ille quidem, doctorum omnium

judicio, plurimum depravatus esse, et alienis passim consulibus prodigia notare creditur: sed tamen quod ad stilum et elocutionem attinet, vere candidus et defæcatus, et ex pròbata antiquitate cuivis exæquandus, vitia seculi quoquo modo evitare solet.

Heineccius Fundamenta stili cultior. Part. III, *cap.* 1, §. 7.

Julius Obsequens de Prodigiis, quæ Romæ et in vicinia acciderunt, libros 11 stilo simplicissimo scripsit.

Harlesius Introduct. in hist. ling. lat. pag. 140.

Seculi vitia in elocutione quoquo modo evitavit; Livium enim potissimum sequutus, ejus verba frequenter retinuit atque expressit.

Editor Londinensis Thesauri Stephaniani ad annum 210 *post Christum natum.*

A. 210. Julius Obsequens, qui libro de Prodigiis inclaruit, huc forte referendus ob præstantiam sermonis, editus cum notis Jo. Schefferi.

Alia sequuntur testimonia de Julio Obsequente et quædam insuper de Conrado Lycosthene, quæ ex auctoribus recentioribus[1] *deprompta, et gallico sermone descripta huc afferimus.*

Julius Obsequens est un écrivain dont l'époque est si incertaine, que quelques auteurs le croient du commencement du premier siècle, tandis qu'il y en a qui le reculent jusqu'à la fin du quatrième. Il a laissé un ouvrage sur

[1] Histoire abrégée de la littérature romaine, par *F. Schœll*, tome II, page 465. — Dictionnaire universel, critique et historique, par *Chaudon* et *Delandine*.

les Prodiges, *de Prodigiis*, c'est-à-dire, sur tous les présages qu'on a remarqués à Rome, depuis l'an 563 jusqu'à Auguste, ou à l'an 743; car la partie de l'ouvrage, qui renfermait sans doute les cinq ou six premiers siècles, a péri. Il est en partie tiré de Tite-Live; mais on y trouve quelques détails historiques qui ne sont point ailleurs. Cet ouvrage est écrit dans un style pur et digne du siècle d'Auguste; mais le contenu ne peut que nous paraître absurde.

La partie de cet ouvrage qui manque, a été suppléée par Conrad Lycosthène, en allemand *Woolfhart*, savant né dans la Haute-Alsace, en 1518, ministre, professeur de logique et des langues à Bâle, où il mourut en 1561. Ce fut lui qui commença le *Theatrum vitæ humanæ*, achevé et publié par Théodore *Zwinger*. Cette compilation forme huit volumes in-folio de l'édition de Lyon, 1656.

JULII OBSEQUENTIS[1]

AB ANNO URBIS CONDITÆ QUINGENTESIMO QUINTO[2]

PRODIGIORUM

LIBER IMPERFECTUS.

(SUPPLEMENTUM LYCOSTHENIS.)

I. *Romulo regnante.* — U. C. 14. — A. C. 738. Lycost.

* PARENS conditorque Urbis Romulus, quum jam Fidenas oppidum cepisset, coloniamque Romanorum fecisset, guttæ sanguinis e cælo magna omnium admiratione ceciderunt. Statim pestis Urbem invasit, quæ hominibus absque ulla ægrotatione mortem inferret subitam; sterilitas quoque agrorum et frumentorum omnium, præcipue tamen annonæ summa inopia sequuta est. In quæ mala postea-

1. *Julii Obsequentis.* Beatus Rhenanus, qui hunc Obsequentem, una cum Plinio de Viris Illustribus, ut vocat, et Suetonio de Claris Grammaticis et Rhetoribus edidit Argentorati anno MDXIV, titulum hunc paulo aliter exhibet. Sic enim eum scribit: «Julii Obsequentis ab anno Urbis conditæ quingentesimo quinto Prodigiorum liber imperfectus.» Non, quod ab illo anno demum fecisset initium commentationis suæ Obsequens, sed quod quæ præcedentibus facta notaverat, ea in codice, quem Rhenanus aut Aldus potius, qui Rhenano præivit, fuerat sequutus, essent erasa et amissa. Supplere hunc defectum conatus est Conradus Lycosthenes, cujus proinde sunt, quæcunque præcedunt. S.

2. *Ab anno*, etc. Ita libelli hujus titulus scribitur in omnibus editionibus ante Lycosthenis ed. Quocirca nihil mutare volui, licet Obsequentis verba incipiant demum ab anno U. c. DLXIII. OUD.

quam Laurentes incidissent, omnino visum est, Tatii et legatorum cæde violato jure gentium, utrique civitati iram numinis expiandam esse. Quare deditis cædis auctoribus et ab utrisque supplicio affectis, ab iis malis manifeste se receperunt. Romulus expiationibus civitates expurgavit, quas longo deinceps tempore ad portam Ferentinam observatas, memoriæ traditum est. Verum editis jam immortalibus operibus, quum ad Capream paludem concionem ad milites haberet, subita coorta tempestas cum magno fragore, tonitribusque, tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum ejus concioni abstulerit, nec deinceps unquam in terris apparuerit. Romani autem milites a Julio Proculo edocti, ad deos regem raptum esse, divinos statim illi honores exhibuerunt.

II. *Numa Pompilio regnante.* — U. C. 47. — A. C. 705. Lycost.

*Annum jam octavum regnante Numa, morbus pestifer Italiam occupans, Romam quoque invasit; mœrentibus vero cunctis, peltam æneam e cælo in Numæ manus decidisse, memoriæ proditum est: quæ in Urbis salutem a superis missa credebatur. Ad cujus figuram quum Numæ instinctu undecim a Veturio Mamurio insigni artifice fabricatæ essent, Salii Martis sacerdotes ad earum custodiam a rege instituti sunt.

III. *Tullo Hostilio regnante.* — U. C. 109. — A. C. 643. Lycost.

*In monte Albano lapidibus pluit, quod quum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu haud aliter, quam quum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere de cælo lapides. Vox ex summi cacuminis luco audita est, quæ monebat, ut patrio ritu sacra Albani facerent. Novemdiale igitur sacrum

publice susceptum est, et solenne mansit, ut, quandocunque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur. Haud ita multo post gravi pestilentia laboratum est. Hostilius dum Numam sacrificiis imitatur, Jovi litare non potuit, sed fulmine ictus, cum regia conflagravit.

IV. *Anco Martio regnante.* — U. C. 126. — A. C. 626. Lycost.

*Lucumo græci Demarati filius, ac Aruntis frater, generosus adolescens, quum parente apud Tarquinios defuncto, divenditis bonis omnibus Romam migraret, Janiculoque jam appropinquaret, in carpento cum uxore sedenti, aquila e sublimi dimissa pileum sustulit; atque mox super carpentum cum magno clangore volitans, rursus velut ministerio divinitus missa, capiti apte reposuit. Quo viso, Tanaquil augurium perita, eo prodigio regnum ei portendi intellexit. Pecunia igitur et industria dignitatem, atque etiam Anci regis familiaritatem consequutus, atque ab eodem tutor liberis relictus, dum Tarquinii Prisci nomen sibi vindicaret, post Anci mortem regnum intercepit, atque ita administravit, quasi jure adeptus fuisset.

V. *Tarquinio Prisco regnante.* — U. C. 156. — A. C. 596. Lycost.

*Finito bello sabino, quum Tarquinius Priscus in monte Tarpeio ædem Jovis, quam in eodem bello voverat, ædificare vellet, et jam exaugurare fana sacellaque alia juberet, ut libera a cæteris religionibus area esset, jamque omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini tantum fano nequaquam addixere. Quod prodigium firma stabiliaque cuncta portendere, Romanis visum est. Sequutum est et aliud prodigium, magnitudinem imperii portendens. Nam posteaquam futuri ædificii funda-

menta aperiret, caput hominis integra facie, recenti tamen tabo et sanguine aspersum, in imo repertum est. Cujus prodigii gratia aruspices interrogati, responderunt, hunc locum non imperii tantum romani, sed totius etiam mundi caput fore.

VI. *Servio Tullio regnante.* — U. C. 199. — A. C. 553. Lycost.

* Bos in Sabinis, Androno Coratio Latino, miranda magnitudine ac specie nata est: cujus gratia quum aruspices interrogarentur, responsum est, eum populum summam imperii habiturum, qui prius bovem illam immolasset. Latinus igitur bovem in Aventinum egit, et causam sacerdoti romano exposuit. Ille vero astutus dixit, prius eum vivo flumine manus purgare debere. At Latinus dum ad Tyberis profluenta descendit, Romanus illo absente bovem immolavit; et sic imperium civibus, sibi vero gloriam facto consilioque vindicavit.

VII. *Tarquinio Superbo regnante.* — U. C. 242. — A. C. 510. Lycost.

* Tarquinius quum jam Signiam, Cerceiosque colonos misisset, præsidia Urbi terra marique futura, prodigium horribile visum est. Anguis enim ex columna lignea elapsus, non tantum terrorem fugamque in regia fecit, sed ipsius etiam regis animum subito pavore perculit, anxiisque curis universos implevit. Aquilæ etiam, quæ regiæ incumbebant, nidum fecerunt, in quo pulli subito vulturum incursu discerpti sunt: quod mali imminentis prodigium esse putabant. Mox cum Rutulis bellatum, Ardea obsessa: et post nefandum Tarquinii cum Lucretia facinus, reges sunt exacti. Tarquinius autem dum Gabios, tamquam in regnum suum proficisceretur, canis et serpens etiam verbis expressis sunt loquutæ.

VIII. *L. Junio Bruto, L. Tarquinio Collatino, coss.* —U. C. 245.—A. C. 507. Lycost.

* Silentio noctis, ex sylva Arsia, ingens vox audita est, quæ Sylvani credita est fuisse. Proclamavit autem, in acie Romanorum contra Veientes, uno plus Hetruscorum cecidisse et vicisse bello Romanum.

IX. *P. Posthumio Tuberto* II, *Agrippa Menenio Lanato, coss.* — U. C. 251. — A. C. 501. Lycost.

* Hastæ militares ad multam noctem in cælo ardentes visæ. Sequuta est tertia Sabinorum in Romanorum agros irruptio, qua Posthumius consul magnam accepit ex sua indiligentia cladem; quam ejus collega nisi mox vindicasset, male de repub. romana actum esset. Duæ Romanorum coloniæ, Pometia et Cora, ad Aruncos defecerunt, et contra Aruncos bellatum.

X. *T. Ebutio, C. Vetusio, coss.* — U. C. 255. — A. C. 497. Lycost.

* Aulus Posthumius dictator, quum contra Latinos, qui in Romanos conjuraverant, ad lacum Regillum pugnaret, ac victoria jam nutaret, duo juvenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, pro Romanorum salute fortissime dimicantes; quos dictator post victoriam quæsitos, ut dignis muneribus honoraret, non invenit, Castorem et Pollucem ratus.

XI. *M. Fabio Vibulano, L. Valerio Potito, coss.* —U. C. 271.—A. C. 481. Lycost.

* Quotidie cælestia prodigia in Urbe et agris visa sunt, minas ostentantia. Mox Oppia, virgo Vestalis, quam tamen

alii Popiniam, alii Popiliam, vocant, incesti damnata, pœnas dedit. Anno sequenti, non segnior discordia domi et bellum foris atrocius fuit: ab Æquis arma sumpta, et Veientes in agros Romanorum incursiones fecerunt.

XII. *M. Fabio* II, *Cn. Manlio Cincinnato, coss.* — U. C. 274. — A. C. 478. Lycost.

*In bello contra Veientes, Manlii prætorium de cælo tactum, laceratum fulmine tentorium, eversus foculus, arma fœdata, ambusta, ac in totum contrita; occisus eximius equus, quo in præliis uti consueverat. Interrogati igitur interpretes prodigiorum, responderunt, significare castrorum oppugnationem, et clarissimorum virorum interitum. Cum Hetruscis cruento prælio pugnatum. Q. Fabius, Marci frater, bis consul, et tunc legatus, lancea per pectus ictus interiit. Manlius consul in clade occubuit, et vallum Romanorum captum est.

XIII. *Q. Servilio Prisco* II, *Sp. Posthumio Lavinio Regillensi, coss.* — U. C. 288. — A. C. 464. Lycost.

*Cælum ardere visum, et annus tam hominibus, quam pecori longe fuit pestilentissimus. Æqui Antiatum suscipientes exsules, contra fœdera cum Romanis facta, excursiones in Latinorum agros fecerunt. Contra quos anno sequenti missus Q. Fabius Vibulanus, qui prius pacem cum iis fecerat, strenue pugnavit. Verum quum se ad Volscos attraxissent, et fides Antiatum laboraret, cum ingenti exercitu iterum in Romanorum agros populandi gratia ingressi, a Posthumio victi atque fugati sunt.

XIV. *A. Posthumio Albino Regillensi, Sp. Furio Medullino Fusco, coss.* — U. C. 290. — A. C. 462. Lycost.

*Cælum iterum ardere visum plurimo igni, portenta-

que alia aut observata oculis, aut vanas exterritis ostentavere species. Quibus avertendis terroribus, in triduum feriæ indictæ: per quas omnia delubra, pacem deum exposcentium virorum, mulierumque turba implebantur. Bellum gestum est cum Æquis, contra quos Furius primum parum feliciter, Posthumius vero prospere pugnavit. Antiates milites, propter serum auxilium, cum ignominia sunt dimissi. Anno vero sequenti, pestis crudelissima Romæ grassata est.

XV. *T. Lucretio Tricipitino, T. Veturio Gemino, coss.* —U. C. 292.—A. C. 460. Lycost.

* Iterum cælum ardere visum, et bos loquuta. Æqui omissis Latinis, Hercinisque, properato itinere Romam properarunt, ut ob juventutis absentiam urbem caperent, qui tamen a Lucretio mox circumventi, ac magna strage fugati sunt. Volscorum agri a Veturio vastati sunt, quorum etiam nomen fere eo anno deletum est.

XVI. *P. Volumnio Amentino, Servio Sulpitio Camerino, coss.*— U. C. 293.—A. C. 459. Lycost.

* Terra ingenti motu concussa, bos loquuta, et cælum iterum ardere visum, cui rei priore anno fides non fuerat data. Variæ spectrorum facies, horrendæque voces oculis et auribus hominum obversatæ sunt. Carne pluit, quæ nivis instar e cælo, frustis majoribus et minoribus demissa, ab omni genere avium intervolantium direpta, priusquam terram attingeret; reliquum vero quod intercidit, in Urbe agrisque sparsum jacuit multo tempore, nec colore mutato, nec odore, contra morem veterascentium carnium. Id vates indigenæ interpretari non potuerunt. Libri autem sibyllini monuerunt, cavendum ab ex-

terno hoste, et civium seditionibus. Hoc autem anno lex Terentilla maximo conatu, de decemviris creandis tentata est, maximæque subortæ inter patricios et plebeios dissensiones. Proximo autem anno exsules romani ac servi numero 4000 duce Appio Herdonio Sabino, Capitolium occuparunt, unde non absque magna civium strage sunt expulsi.

XVII. *L. Minutio Carbeto*, *C. Nautio Rutilio*, *coss.* —U. C. 296.—A. C. 456. Lycost.

* Lupi in Capitolio visi, qui a canibus fugati sunt. Cujus prodigii causa totum Capitolium est lustratum. Æqui, quibus superiore anno pax data erat, fracto fœdere, duce Graccho Clœlio latinum agrum ac tusculanum populati, in Algido castra locarunt: contra quos L. Minutius profectus, infeliciter in castris obsessus, ac demum a Quintio Cincinnato liberatus est. Æqui victi, ac sub jugum missi sunt.

XVIII. *L. Val. Potito*, *M. Valerio*, *M. Furio Camillo*, *etc. tribb. mil. cons. pot.*—U. C. 357.—A. C. 395. Lycost.

* Lacus in albano nemore sine ullis cælestibus aquis, causave alia, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam crevit. Quum autem ab oraculo sciscitaretur, quid ea res portenderet? responsum est, ut aquam ejus lacus emissam per agros diffunderent; sic enim Veios, quos aeri ac diutino bello vexabant, in potestatem populi romani venturos. Quod ubi factum est, hostium urbe potiti sunt. Tarquinienses novi hostes exorti, Romanorum agros, quos multis simul bellis, Volscorum ad Anxur, Æquorum ad Lavicos, et ad hoc Veienti quoque, Falisco, Capenatique bello occupatos videbant, depopulabantur:

contra quos tamen Aulus Posthumius, et L. Julius voluntariorum manu profecti, turpiter fugarunt.

XIX. *P. Licinio, L. Ticinio, P. Menenio, Cn. Genutio, tribb. mil.*—U. C. 359.—A. C. 393. Lycost.

* Veiis jam post longam obsidionem expugnatis, quum romani milites in urbis direptione, deorum etiam statuas Romam transferre conarentur, ac quidam, seu spiritu divino tactus, seu juvenili joco ad statuam Junonis diceret, Visne Romam ire, Juno? posteaquam capite annuisset, se libenter ituram, magna omnium admiratione respondit. Unde Romam in Aventinum æternam sedem suam ducta est, quo vota dictatoris vocaverant, templumque ei a Camillo dedicatum est.

XX. *Q. Servilio Hala, L. Genutio* II, *coss.*—U. C. 393. —A. C. 359. Lycost.

* Romæ in medio foro, sive motu terræ, sive qua vi alia, terra specu vastissimo collapsa est, quam terræ voraginem nemo neque terræ conjectu, neque ulla quavis alia materia explere potuit. Inficiebantur autem ex editis inde vaporibus pestilentissimis multorum hominum corpora: quæ quum remedia omnia respuerent, rebus jam desperatis, deorum monitu, Marci Curtii strenui demum equitis animoso facinore liberati sunt. Posteaquam enim se pro salute patriæ in specum armatus præcipitasset, pestis statim post multorum funera sedata est.

XXI. *L. Furio Camillo, Appio Claudio Crasso, coss.* —U. C. 406.—A. C. 346. Lycost.

* In eo bello, quod Romani, duce Camillo, contra Gallos gesserunt, Valerio tribuno militum adversus Gallum provocatorem pugnanti, corvus galeæ insedit: qui non tan-

tum sedem semel captam tenuit, sed quotiescunque certamen initum est, levans sese alis, os oculosque hostis rostro et unguibus appetiit, donec territum prodigio Gallum, ac oculis simul et mente turbatum, Valerius obtruncasset.

XXII. *C Martio* III, *T. Manlio Torquato* II, *coss.* —U. C. 411.—A. C. 341. Lycost.

* Quum Junoni Monetæ in eo Urbis loco, ubi Manlii domus fuit, ædes dedicaretur, prodigium extemplo dedicationem sequutum, simile vetusto montis Albani prodigio. Lapidibus enim pluit, et nox interdiu visa est intendi. Feriæ proinde sunt indictæ, nec tantum a romanis tribubus supplicatum, sed a finitimis etiam populis. Judicia eo anno populi in fœneratores facta, quibus est ab ædilibus dicta dies. Proximo vero anno bellum cum Samnitibus ortum est, gente tum opibus et armis validissima: quod bellum mox aliud cum Pyrrho rege et cum Pœnis gravissimum peperit.

XXIII. *Q. Fabio Maximo Rutiliano* V, *P. Decio Mure* VI, *coss.*—U. C. 457.—A. C. 295. Lycost.

* Terra de cælo pluit, et in exercitu Appii Claudii plerique fulminibus icti sunt. Infestis eo anno armis cum Samnitibus pugnatum est. Pestis mirum in modum per totam Italiam, et in Urbe potissimum grassata est. Galli a Fabio victi ac in fugam versi sunt. Fulvius in Hetruria feliciter contra Thuscos pugnavit.

XXIV. *M. Curio Dentato* II, *L. Cornelio Lentulo*, *coss.* —U. C. 477.—A. C. 275. Lycost.

* Inter alia prodigia, fulmine est etiam dejectum Jovis

in Capitolio signum, cujus caput per aruspices inventum est. Pyrrhus contra Romanos bellum suscepit, qui a Curio victus, et Tarentum fugatus est. Mox Tarentini iterum nova adversus Romanos arma moverunt, Carthaginensium auxilia per legatos poscentes: quos tamen iterum vicerunt Romani.

XXV. *Q. Fabio Maximo Pictore*, *L. Quintio Gulone*, *coss.*—U. C. 483.—A. C. 269. Lycost.

* Obscœna prodigia, et dira Romæ visa sunt. Ædes enim Salutis ictu fulminis dissoluta, pars muri sub eodem loco de cælo tacta. Lupi tres ante lucem ingressi Urbem, semesum cadaver intulerunt: sparsumque membratim in foro, ipsi strepitu hominum exterriti, reliquerunt. Apud Formias multis ictibus fulminum mœnia undique ambusta et dissoluta sunt. Apud agrum calenum repente flamma, scisso hiatu terræ eructa, tribus diebus et tribus noctibus exæstuans, quinque agri jugera, exhausto penitus succo ubertatis, in cinerem extorruit, ita ut non fruges solum, sed etiam arbores cum imis stipitibus absumpserit. Hoc anno Picentes novi hostes facti, romana in se arma excivere.

XXVI. *P. Sempronio Sopho*, *Appio Claudo Rufo*, *coss.* —U. C. 484.—A. C. 268. Lycost.

* Sempronius consul quum adversus Picentes exercitum duxisset, et jam directe intra jactum teli utraque acies consisteret, repente cum horrendo fragore terra ita contremuit, ut stupore miraculi utrumque pavefactum agmen hebesceret. Verum mox in certamen progressi, bellum adeo atrox fuit, ut merito dicatur, humanum tantorum hominum sanguinem suscepturam, etiam cum gemitu

horrisono tunc terram tremuisse: in quo tamen prælio Romani, quorum pauci evaserant, vicerunt.

XXVII. *M. Valerio Maximo, Q. Mamilio Vitulo, coss.* —U. C. 487.—A. C. 265. Lycost.

* Inter multa alia prodigia, sanguis e terra, et lac de cælo manare visum est: nam et pluribus locis scaturiens e fontibus cruor fluxit, et de nubibus guttatim in speciem pluviæ lacte demisso, diri terram imbres irrigaverunt. Eo tempore Carthaginenses, dato adversum Romanos auxilio Tarentinis, quum a senatu per legatos arguerentur, turpissimam rupti fœderis labem præsumptam accumulavere perjurio. Sequutum est quoque libertinorum volsciensium adversus dominos conspirantium nefandum scelus, qui tamen mox duce Fabio Gurgite pœnas dederunt. Pestilentia etiam crudelissima hoc anno Urbem invasit.

XXVIII. *L. Valerio Flacco, L. Octacilio Crasso, coss.* —U. C. 491.—A. C. 261. Lycost.

* Romæ columna ante Jovis ædem, vi turbinis est decussa, cum aureo signo. Quo viso, ex aruspicum responso omnes magistratus se primo quoque die auctoritate abdicarunt. Eo anno exercitus Romanorum ingens in Siciliam missus, multos ad defectionem compulit. Vastata est interea et Italiæ ora ab altera Carthaginensium classe, quum interim Africa ab omni hostili injuria immunis esset.

XXIX. *M. Attilio Regulo Serrano* II, *Cn. Cornelio Bleso, coss.*—U. C. 495.—A. C. 257. Lycost.

* Serpens in Africa portentosæ magnitudinis apparuit, quem Attilius Regulus cum maxima militum clade diffi-

culter catapultis et balistis, veluti molem quamdam expugnavit: qui quum aliquoties jam adversus Carthaginenses pugnasset, eo anno ab hostibus captus est. Hujus autem serpentis exuviæ centum viginti pedum longitudine fuisse feruntur, et ejus maxillæ usque ad numantinum bellum in publico pependisse dicuntur.

XXX. *C. Quintio Flaminio, P. Furio Philone, coss.* —U. C. 529.—A. C. 223. Lycost.

*In Piceno flumen sanguine effluxit; apud Thuscos cælum ardere visum; Arimini nocte multa lux clara effulsit, tres lunæ distantibus cæli regionibus exortæ; magno terræ motu Caria et Rhodus insula adeo concussæ sunt, ut labentibus vulgo tectis, ingens quoque Colossus corruerit. Eodem anno Flaminius adversus Gallos conflixit, et vicit; anno vero proximo Claudius Marcellus iterum profligavit, capto Viridomaro rege; et inter multa Insubrium, quos ad deditionem coegerat, oppida, Mediolanum quoque urbem florentissimam cepit.

XXXI. *Cn. Servilio Gemino, C. Quintio Flaminio* II, *coss.*—U. C. 535.—A. C. 217. Lycost.

*Romæ in foro Olitorio infans semestris triumphum exclamavit; in foro Boario bos in tertiam contignationem sua sponte ascendit, atque inde habitatorum tumultu territus, sese dejecit; navium species in cælo visæ; Spei templum in foro Olitorio fulmine ictum; Lanuvii hasta se commovit; corvus in ædem Junonis devolavit, atque in ipso pulvinario consedit; in agro Amiternino multis locis hominum species procul candida veste visæ; in Piceno lapidibus pluit; in Sardinia in muro circumeunti vigilias equiti, scipio, quem manu tenebat, et in Sicilia aliquot militibus

spicula arserunt, litora crebris fulserunt ignibus; milites fulminibus icti; solis circulus minui visus est; Præneste ardentes lampades de cælo ceciderunt; Arpis parma in cælo; luna cum sole certare, et interdiu etiam duæ lunæ visæ; Cærete aquæ sanguine mixtæ fluxerunt; fons Herculis sparsis hinc inde maculis cruentis manavit; Antii metentibus cruentæ in corbem spicæ ceciderunt; Faleriis cælum findi visum; sortes sua sponte attenuatæ; Mavors telum suum quassavit; signum Martis in Appia via ad simulacra luporum sudavit; Capuæ cælum ardere visum, navium species in cælo visæ; Spei templum de cœlo tactum, terra horrendo motu concussa est, capræ lanatæ quibusdam factæ, gallina in marem, gallus vero in gallinam versus. Eodem anno Hannibal Hetruriam invasit, Romani ad Thrasimenum lacum cruento prælio victi sunt.

XXXII. *C. Terentio Varrone*, *L. Æmilio Paulo* II, *coss.*—U. C. 536.—A. C. 216. Lycost.

* In Aventino Romæ, et Ariciæ, simul lapidibus pluit, et multo cruore ex frigidissimo fonte calidæ aquæ manarunt; in via Fornicata, quæ ad templum erat, homines aliquot de cælo tacti, atque exanimati. Sequuta est memorabilis illa clades ad Cannas, Apuliæ vicum, in qua Paulus Æmilius occisus est, et quadraginta millia peditum, cum duobus millibus equitum et septingentis, et plus quam tria Romanorum millia capta; et Hannibal Campaniam occupavit.

XXXIII. *L. Posthumio Albino* III, *P. Sempronio Graccho*, *coss.*—U. C. 537.—A. C. 215. Lycost.

* Mare arsit, ad Sinuessam bos equuleum peperit; signa Lanuvii Junonis Sospitæ cruore manavere, lapidibus circa

id templum pluit; ob quem imbrem, novemdiale sacrum fuit, cæteraque prodigia cum cura expiata. Eo anno in Galliis Posthumius cum omni exercitu deletus est. Bellum macedonicum inchoatum; res in Hispania feliciter a Romanis gestæ. In Italia Campani cæsi ad Cumas; Pœni in Lucania fusi ac fugati; cædes Pœnorum quoque ad Nolam facta est; Sardi a Manlio cæsi.

XXXIV. *Q. Fabio Maximo Verrucoso* IV, *M. Claudio Marcello* III, *coss.* — U. C. 538. — A. C. 214. Lycost.

* Lanuvii, in æde Junonis Sospitæ corvi nidum fecerunt; in Apulia palma viridis arsit; Mantuæ stagnum effusum Mincio amni, cruentum visum; Calibus creta, et Romæ in foro Boario sanguine pluit; in vico Istrico fons, sub terra, tanta vi aquarum fluxit, ut serias doliaque, quæ in eo loco erant, provoluta, velut impetus torrentis tulerit; tacta de cælo, atrium publicum in Capitolio, templum in campo Vulcani, nux in Sabinis, publicaque via, murus ac porta Gabiis; hasta Martis in Præneste sua sponte mota; bos in Sicilia loquutus; infans in utero matris, in Marrucinis, Io triumphe clamavit; ex muliere Spoleti vir factus; Hadriæ ara in cælo, speciesque hominum circa eam candida veste visæ; quin et Romæ quoque in ipsa urbe secundum apum examen in foro visum; legiones armatæ in Janiculo visæ etiam, quæ tamen mox, quum ad arma concursum est, evanuerunt. Eodem anno Hannibal, magna militum copia, ad Nolam profectus est; a cujus expugnatione a Marcello prohibitus, magnam suorum stragem vidit, et ex Campania fugatus est; Cassilinum oppidum captum, Fabius Samnium depopulatus est, et multa oppida vi cepit; Syracusæ obsessæ; contra Philippum bellum susceptum, qui ad Apolloniam castris exutus est; res in Hispania prospere a Scipionibus gestæ, et Saguntum recuperatum.

XXXV. *Q. Fabio Maximo, T. Sempronio Graccho* II, *coss.*—U. C. 539.—A. C. 213. Lycost.

* Murus ac portæ tactæ; Ariciæ Jovis ædes de cælo icta fulmine; navium longarum species in flumine Tarracinæ, quæ tamen nullæ erant, visæ; in Jovis Vicillini templo, quod in Cossano agro est, arma concrepuerunt, et flumen Amiterni cruentum fluxit. Syphax Numidarum rex, contra Masinissam regem pro Carthaginensibus pugnans, victus est; in Brutiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Pœnos desciverant, Consentini et Thurini in fidem populi romani redierunt; Sempronius, consul, in Lucanis aliquot oppida expugnavit; is quum in Lucanis sacrificasset, angues duo, ex occulto prolapsi, repente hostiæ, quam immolaverat, adeso jocinore, in easdem latebras se retulerunt : ob id deinde factum instaurato sacrificio, idem prodigii evenit; tertia quoque cæsa victima, diligentiusque asservatis extis, neque allapsus serpentum arceri, neque fuga impediri potuit : quod quamvis aruspices ad salutem imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tamen vitare non potuit, quin Flavii Lucani hospitis sui insidiis seductus, inermis a Pœnorum militibus occideretur.

XXXVI. *Appio Claudio Pulchro, Q. Fulvio Flacco* III, *coss.*—U. C. 540.—A. C. 212. Lycost.

* Tempestates fœdæ exortæ; in Albano monte biduum continenter lapidibus pluit; tacta de cælo multa, duæ in Capitolio ædes, vallum in castris, multisque locis supra Suessulam, et duo vigiles exanimati; murus turresque, et quædam alia, Cumis fulminibus icta, et penitus decussa; Reate saxum ingens volitare visum: sol rubere solito magis, sanguineoque colore similis apparuit. Hannibal proditione Tarentum cepit, excepta arce; Samniorum

agri a Romanis depopulati sunt; Romani bis cruentas clades acceperunt ab Hannibale; Capua a Romanis obsessa, et capta; Publius et Gneus Scipiones in Hispania ab hostibus circumventi, et occisi sunt; L. Martius eques romanus quum in Hispania militaret, orationemque ad milites haberet, felicis eventus flamma concionanti a capite, sine ipsius sensu, cum magno circumadstantium pavore, fusa est; cujus aspectu milites pristinam recuperare fortitudinem admoniti, septem et triginta hostium millibus cæsis, magnoque numero in potestatem redacto, bina castra, punicis opibus referta, ceperunt; Hispania aliquandiu quieta reddita; Marcellus, captis Syracusis, magna cum gloria Romam reversus est.

XXXVII. *M. Valerio Levino* II, *M. Claudio Marcello* IV, *coss.*—U. C. 542.—A. C. 210. Lycost.

* In æde Concordiæ Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta, decussaque ad Victorias, quæ in æde fixæ erant, hæsit, neque inde procidit; Anagniæ et Fregellis murus portæque urbis de cælo tactæ; in foro Sudernato sanguinis rivi per totum diem fluxere; Ereti lapidibus pluit; Reate mula peperit; eodem anno incendium perniciosum Romæ, Campanorum malitia ortum. Marcellus in Campania Salapiam recuperavit; romana classis ad Sacriportum infeliciter pugnavit; Scipio in Hispania Novam Carthaginem expugnavit; Marcellus Hannibalis exercitum fudit, et magna pars Siciliæ capta est. Tusculi agnus cum ubere lactanti natus; Jovis ædis culmen fulmine ictum, ac prope omni tecto nudatum; iisdem ferme diebus Anagniæ terra ante portam icta, diem noctemque sine ullo ignis alimento arsit; aves ad compitum Anagninum in luco Dianæ nidos in arboribus reliquerunt; Tarracinæ in mari, haud procul portu, angues miræ magnitudinis,

lascivientium piscium more exsultarunt; Tarquiniis porcus cum ore humano genitus; in agro Capenate, ad lucum Feroniæ, quatuor signa sanguine multo diem ac noctem sudarunt. Mox Valerius Messala agrum Uticensem depopulatus est; et lex, post longas contentiones, de reficiendis consulibus lata est.

XXXVIII. *Q. Fabio Maximo Verrucoso* V, *Q. Fulvio Flacco* IV, *coss.* — U. C. 543. — A. C. 209. Lycost.

* In Albano monte tacta de cælo sunt, signum Jovis, arborque templo propinqua; Hostiæ lacus, Capuæ murus, Fortunæ ædes, et Sinuessæ murus cum porta; Albana aqua cruore fluxit; Romæ intra cellam ædis Fortis Fortunæ de capite signum, quod in corona erat, in manus sponte sua prolapsum; Priverni bos loquutus, vultur frequenti foro in tabernam devolavit; Sinuessæ natus infans ambiguo inter marem ac feminam sexu; lacte pluit; puer cum elephanti capite natus. Marcellus cum Hannibale congressus, primo infeliciter, dehinc secunda pugna dimicavit, hostemque in fugam vertit; Fabius Tarentum recuperavit; Scipio in Hispania res prospere gessit.

XXXIX. *M. Claudio Marcello* V, *T. Quintio Crispino*, *coss.* — U. C. 544. — A. C. 208. Lycost.

* Capuæ duæ ædes, Fortunæ scilicet et Martis, sepulcraque aliquot de cælo tacta; mures in æde Jovis aurum roserunt; Cassini examen apum ingens in foro consedit; Hostiæ murus, portaque de cælo icta; Cære vultur in ædem Jovis volavit; Vulsiniis sanguine lacus manavit. Pestilentia gravis incidit Urbem, agrosque; quæ tamen magis in longos morbos quam in perniciales evasit. Marcellus quum studio niteretur, ut Pœnorum exercitum aut

in Italia prosterneret, aut Italia pelleret, in solenni sacrificio, quo voluntates deorum explorare cupiebat, in prima hostia, quæ ante foculum decidit, jecur sine capite inventum est: proxima jocinoris duplex caput habuit: quibus inspectis, aruspex non placere sibi exta respondit, quoniam prima trunca, secunda nimis læta apparuissent. Ita monitus Marcellus, ne quid temere niteretur, insequenti nocte speculandi gratia cum paucis ingressus, ab hostibus in Brutiis circumventus, dum improvide contra Hannibalem pugnaret, lancea transfixus occubuit; Crispinus graviter vulneratus, etiam interiit: id quod nunquam antea acciderat, ut duo consules, sine memorando prælio interfecti, velut orbam rempublicam reliquerint.

XL. *C. Claudio Nerone, M. Livio Salinatore* II, *coss.* —A. C. 545.—A. C. 207. Lycost.

*Veiis de cælo lapidavit; Minturnis sanguinis rivus in porta fluxit; Jovis templum et lucus Maricæ, item Atellæ murus, et porta de cælo tacta; Capuæ lupus nocte, portam ingressus, vigilem laniavit; in Armilustro lapidibus pluit; Frusinone infans natus quadrimo par; in Aventino Junonis Reginæ ædes de cælo tacta. Apud Metaurum fluvium Hasdrubal cum omni exercitu a Romanis deletus est, in qua clade quinquaginta sex hostium millia a Romanis cæsa sunt, capta quinque millia et quadringenti; civium romanorum, qui capti erant apud hostes, quatuor millia recepta.

XLI. *L. Veturio Philone, Q. Cæcilio Metello, coss.* —U. C. 546.—A. C. 206. Lycost.

*Tarracinæ Jovis, et Satrici matris Matutæ templum de cælo tactum; in æde Jovis ex foribus duo angues

prolapsi; spicæ cruentæ a metentibus visæ; Cære porcus biceps, et agnus mas, idemque femina natus; Albæ duo soles visi; Fregellis nocturno tempore lux oborta; bos in agro Romano loquutus; in circo Flaminio ara Neptuni multo sudore manavit; ædes Cereris, Salutis et Quirini, de cælo tactæ. Lucani, in ditionem populi romani, sine certamine redierunt; Brutiorum urbes sese Romanis dediderunt; Masinissa rex a Romanis in amicitiam receptus est; Astapa urbs a Romanis oppugnata; Scipio rebellantes Hispanos in deditionem cocgit.

XLII. *P. Cornelio Scipione*, *P. Licinio Crasso*, *coss.* —U. C. 547.—A. C. 205. Lycost.

* Crebro de cælo lapidatum est: lectis igitur Sibyllinis, inventum est, tunc demum hostem alienigenam, qui terræ Italiæ bellum intulisset, pelli Italia posse, si Idæa mater ex Pessinunte Romam adveheretur. Eodem anno cum Hannibale in Brutiis frustra bellatum est, pestilentia utrumque exercitum molestante; in Hispania novi motus exorti; in Italia Locri a Romanis recipiuntur.

XLIII. *M. Cornelio Cethego*, *P. Sempronio Tuditano*, *coss.* —U. C. 548.—A. C. 204. Lycost.

* Duo soles visi, et nocte interluxit; fax Setiæ ab ortu solis in occidentem porrigi visa; Tarracinæ porta, Anagniæ vero porta et murus multis locis de cælo tactus; in æde Junonis Sospitæ Lanuvii, cum horrendo fragore strepitus editus. Scipio ex Sicilia in Africam trajecit, et evastatis agris Hannonem juniorem occidit; Sempronius adversus Hannibalem, primo infeliciter, deinde vero prospere pugnavit, cæsis quatuor Pœnorum millibus.

XLIV. *Gn. Servilio Cepione, Gn. Servilio Gemino, coss.*—U. C. 549.—A. C. 203. Lycost.

*Aurum in Capitolio corvi non rostris tantum lacerarunt, sed comederunt etiam; mures Antii coronam auream arroserunt; circa Capuam locustarum vis ingens omnem agrum implevit; equuleus Reate quinque pedibus natus; Anagniæ sparsi primum ignes in cælo, deinde fax ardens in cælo visa; Frusinone arcus solem tenui linea amplexus est; Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit; consulum alteri primam hostiam immolanti, caput jocinori defuit. In Africa per Scipionem juxta Uticam Pœnorum castra sunt combusta; Romani multas in Brutiis ad se deficientes civitates receperunt, Hannibalemque in agro Crotoniensi ceciderunt; Magonem Hannibalis fratrem cruento prælio vicerunt; Syphacis regis fœdifragi castra incendio ac flammis expugnarunt, ipsumque regem ceperunt; Cirta regia urbs a Masinissa rege capta est.

XLV. *M. Servilio Gemino, T. Claudio Nerone, coss.*—U. C. 550.—A. C. 202. Lycost.

*Cumis solis orbis minui visus, lapidibus pluit; in Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit, arboresque in profundum haustæ; Ariciæ forum, et circa tabernæ, Frusinone item murus aliquot locis, et porta urbis de cælo tacta; in Palatio lapidibus pluit; magna Tyberis facta inundatio. Claudius eo anno consul, perniciosa tempestate ingruente, naufragium passus est; insignis fuit hic quoque annus incendio ingenti, annonæ vilitate, et morte Q. Fabii Maximi, qui XXII annos augur fuit: Hannibal magno exercitu Africam ingressus; Vermina, Syphacis regis filius, clade a Romanis profligatus est.

XLVI. *Ser. Sulpitio Galba, C. Aurelio Cotta, coss.* — U. C. 552. — A. C. 200. Lycost.

* In Lucanis cælum ardere visum; Priverni sereno per diem sol sanguineus fuit; Lanuvii, in templo Junonis Sospitæ, nocte strepitus ingens exortus; animalium obscœni fœtus pluribus locis nuntiati; in Sabinis incertus infans natus, masculus an femina esset; alter sexdecim annorum jam, item ambiguo sexu inventus; Frusinone agnus cum suillo capite; Sinuessæ porcus cum capite humano; in Lucanis, in agro publico equuleus cum quinque pedibus: fœda omnia, et deformia, errantisque in alienos fœtus naturæ visa: ante omnia tamen abominati semimares, jussique in mare extemplo deportari. Bellum macedonicum cum Philippo exortum; Galli, Insubres, Cenomani et Boii, duce Hamilcare pœno, irruptiones in agros proximos fecerunt, et oppida flammis ac incendio diripuerunt.

XLVII. *L. Cornelio Lentulo, P. Villio Tappulo, coss.* — U. C. 553. — A. C. 199. Lycost.

* Suessæ duæ portæ, quodque inter eas muri erat, de cælo tactum; Formiani Jovis, apud Ostienses Jovis, Veliterni vero Apollinis et Sangi templa fulmine tacta; in Herculis æde capillus enatus, in Brutiis equuleus cum quinque pedibus, pulli gallinacei cum ternis pedibus nati; in Macedonia laurea in puppi navis longæ enata. Orta est hoc anno in Macedonia atrox militum romanorum seditio; C. Bebius Pamphilus apud Gallos et Insubres infeliciter pugnavit; Carthaginenses argentum in stipendium impositum, primum Romam advexerunt.

XLVIII. *Sex. Ælio Pæto, T. Quintio Flaminio, coss.* — U. C. 554. — A. C. 198. Lycost.

* De cælo tacta sunt, via publica Veiis, forum et ædes Jovis Lanuvii, Herculis Ardeæ, Capuæ murus, turres, et ædes, quæ Alba dicitur; cælum Aretii ardere visum; terra Velitris trium jugerum spatio caverna ingenti desedit; Suessæ agnus cum duobus capitibus natus; Sinuessæ porcus cum humano capite; solis orbis diminui visus: quorum prodigiorum causa supplicatio unum diem habita, et consules rebus divinis operam dederunt. Eo autem anno Flaminius feliciter, in faucibus Epiri, contra Philippum Macedoniæ regem pugnavit; Thessalia, quæ est vicina Macedoniæ, sociis Ætolis et Athamanibus, a Romanis vexata est; L. Quintius Flaminius, consulis frater, navali prælio Eubœam ac maritimam oram omnem cepit; Achæi a Romanis in amicitiam recepti sunt; et conjuratio servorum de solvendis carthaginensibus obsidibus, detecta atque oppressa est.

XLIX. *Cn. Cornelio Cethægo, Q. Minutio Rufo, coss.* — U. C. 555. — A. C. 197. Lycost.

* Ædes Vulcani Summanique Romæ, et Fregellis murus ac porta de cælo icta; Frusinone inter noctem lux orta; Asculi agnus biceps cum quinque pedibus natus; Formiis duo lupi, oppidum ingressi, obvios aliquot laniaverunt; Romæ non in urbem modo, sed in Capitolium penetravit lupus. In Galliis prospere est pugnatum; Insubres, qui in armis contra Romanos erant, a Cornelio sunt debellati; Minutius, Genuam exercitu abducto, ab Liguribus orsus bellum, oppida Clastidium, Litubium, item Celelates, Cerdiceatesque in deditionem accepit, atque omnia cis Padum, præter Gallorum Boios, Ilvates Ligurum, romano imperio adjecit.

L. *L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello, coss.*—U. C. 556.—A. C. 196. Lycost.

* L. Julius equestris in Sabinos proficiscens, fulmine una cum equo exanimatus est; ædes Feroniæ in Capenate de cælo tacta; ad Monetæ templum duarum hastarum spicula arserunt; lupus Esquilina porta ingressus, frequentissima parte Urbis, quum in forum decurrisset, Thusco vico, atque inde Melio per portam Capenam prope intactus evasit: hæc prodigia majoribus hostiis sunt procurata. Hannibal frustra in Africa bellum molitus, ob metum Romanorum profugus ad Antiochum Syriæ regem, bellum contra Romanos gerentem, fugit. Marcellus in Hetruria a Boiis est oppressus. Boii et Insubres a Romanis igni ferroque vastati; Philippus in Thessalia fusus et fugatus est.

LI. *P. Cornelio Scipione Africano* II, *T. Sempronio Longo, coss.*—U. C. 558.—A. U. 194. Lycost.

* Romæ in foro, comitio, et Capitolio, sanguinis guttæ visæ sunt; terra aliquoties pluit; caput Vulcani arsit; Interamnæ lac fluxit; pueri ingenui Arimini sine oculis et naso nati; in Piceno infans absque manibus ac pedibus natus; in Adrianorum agro lapidibus pluit: ea prodigia ex pontificum decreto procurata, et sacrificium novemdiale factum. In Gallia Lucius Valerius Flaccus proconsul, circa Mediolanum, cum Gallis, Insubribus et Boiis, qui Dorulaco duce ad concitandos Insubres Padum transgressi erant, signis collatis depugnavit; Marcus Porcius Cato ex Hispania triumphavit; T. Sempronius Boios primum ancipiti Marte, tandem vero insigni strage cecidit; in Macedonia T. Quintius Romanorum præsidia e Græcia Brundusium deduxit.

LII. *L. Cornelio Merula, Q. Minutio Thermo, coss.*—U. C. 559.—A. C. 193. Lycost.

*Maximi et gravissimi terræ motus fuerunt, et aquæ ingentes; unde et Tyberis loca Urbis plana inundavit; circa portam Flumentanam quædam ruinis sunt collapsa; porta Cælimontana fulmine icta, murusque circa multis locis de cælo tactus; Ariciæ, Lanuvii, et in Aventino lapidibus pluit; Capuæ vesparum ingens multitudo in forum advolavit, et in Martis æde consedit; quæ cum cura collecta, et igni cremata est: horum prodigiorum causa novemdiale sacrum factum, et urbs lustrata est. Minutius a Liguribus in extremum periculi adductus, vix Numidarum industria liberatus est; Antiochus, Hannibale sollicitante, bellum contra Romanos suscepit, et in Hispania res feliciter gestæ sunt.

LIII. *L. Quintio Flaminio, Gn. Domitio Ænobarbo, coss.*—U. C. 560.—A. C. 192. Lycost.

*Capra sex hœdos uno fœtu edidit in Piceno; Aretii puer natus unimanus; Amiterni terra pluit; Formiis porta murusque de cælo tacta; bos loquutus, *Roma tibi cave;* cæterorum prodigiorum causa supplicatum est, bovem autem cum cura servari, alique aruspices jusserunt; Tyberis, infestiore quam prius impetu illatus Urbi, duos pontes, ædificia multa, et maxime circa portam Flumentanam evertit; saxum ingens sive imbribus, sive terræ motu leviore, quam alioqui sentiretur, labefactatum, in vicum Jugarium ex Capitolio procidit, et multos oppressit; in agris passim inundatis pecua ablata, villarum strages facta est. Q. Minutius in agro Pisano cum Liguribus signis collatis pugnavit, et novem hostium millia occidit, cæteros fusos fugatosque in castra compulit; Boiorum

regio longe lateque a Romanis vastata est; in utraque Hispania res feliciter gestæ; contra Vectones et Toletanos prospere pugnatum. Antiochus rex in Hellespontum cum magno exercitu irrupit.

LIV. *P. Cornelio Scipione Nasica, M. Attilio Glabrione, coss.*—U. C. 561.—A. C. 191. Lycost.

*Boves duo domiti in Carinis per scalas pervenerunt in tegulas ædificii, quos aruspices vivos comburi, cineremque eorum in Tyberim dejici jusserunt; Tarracinæ et Amiterni aliquoties lapidibus pluit; Minturnis Jovis templum et tabernæ circa forum de cælo tactæ; Vulturni in ostio fluminis, duæ naves fulmine ictæ conflagrarunt : eorum prodigiorum causa jejunium Cereri est institutum, item novemdiale sacrum, et in unum diem supplicatio facta. Eo anno contra Ligures, acerrimos hostes, prospere a Q. Minutio est pugnatum, interfectis aliquot hostium millibus; duobus fere post mensibus, P. Cornelius cum Boiorum exercitu signis collatis, duodetriginta hostium millia occidit, 3040 cepit, signa militaria 124, equos 1230; Attilius Naupactum expugnavit : navali prælio cum Eumene et Antiochi regis præfectis prospere est pugnatum.

(*Sequentia sunt* Obsequentis, *exceptis iis, quæ nomen Lycosthenis præfixum habent.*)

LV. (1.)[1] *L. Scipione*, *C. Lælio*[2], *coss.*—U. C. 562. —A. C. 190.

Junonis Lucinæ[3] templum fulmine ictum, ita ut fastigium[4], valvæque[5] deformarentur; in finitimis[6] pleraque de cælo icta[7]; Nursiæ sereno[8] nimbi orti, et homines duo

LV. 1. Hunc capitis numerum una cum reliquis fecit Lycosthenes. Codex Argentoratensis numeros capitum habet nullos, sed sola consulum præfigit nomina, qualia et hic in nostra editione leguntur. Utrum et in codice Aldino numeri sint omissi, nescio; dubito tamen, quia video caput nominari primum Barthio, quod hic 55, et 37, quod hic 100. Scheffer. Aldina quoque Ed. nullos capitum numeros habet. Primus eos præfixit Lycosthenes. Oudendorp. Ante Lycosthenem jam in editione Juntina numeri præfixi sunt. A. U. 562.

2. *C. Lælio.* Ed. Aug. *L.* male. Vir summus, J. Scaliger margini libri sui adscripserat *L. Cælio*, quod unde habeat, nescio. *C. Lælium* vocant hujus anni consulem tam Fasti, quam Livius lib. XXXVI, 45; XXXVII, 1; aliique. Oud.

3. *Junonis Lucinæ.* Habet hæc omnia pæne ad verbum Livius lib. XXXVII, cap. 3; unde simul colligas, sua pleraque Nostrum ex ipso sumpsisse. S.

4. *Fastigium.* Summitatem templi significat. Verum ea differt pro diversitate templorum. Nam quum templa sunt rotunda, fastigium est in medio tecti, quippe quod rotundum, et ipsum surgit sic, ut in medio sit altissimum. Quum vero sunt quadrata, fastigium est in fronte, ubi surgit in acumen trigonum. Notat autem non summitatem solam fere, sed et ornamenta illa, quibus apud veteres solebat ornari, et hodieque in templis ac ædibus magnatum ornatur, ut sunt sphæræ, pyramides, metæ, columellæ, statuæ, et id genus. S.

5. *Valvæque.* Quibus claudebantur fenestræ, ita dictæ, quod ex partibus duabus pluribusve, pro spatio et amplitudine fenestrarum, essent junctæ ac compositæ, sic ut complicari et quasi convolvi possent, de cætero ab uno tantum latere in cardinibus suis essent suspensæ. Atque sic diversæ a foribus, quod hæ semper essent binæ, una in suis cardinibus ab uno, altera in suis ab altero latere firmatæ: a januis vero, quod hæ semper essent unicæ. S.

6. *In finitimis.* Livius ait, *Puteolis*, quod fortassis excidit. S.

7. *De cælo icta.* Fulmine nimirum. Locis aliis usurpat *tacta.* Sic c. 71: *Sub idem tempus ædes Salutis de cælo tacta.* Cap. 88: *Multa intra et extra Urbem de cælo tacta;* et c. 98: *Ædicula et signum de cælo tacta.* Et sic mallem etiam hoc loco, maxime quum præcedat *ictum*, ac idcirco ingrata sit illius repetitio. Scheffer. Ut Schefferus, ita etiam nobiliss. Nic. Heinsius malebat *tacta*, quia præcedit τὸ *ictum;* recte. Eodem modo sermonem hic variat Livius. Oud.

8. *Sereno.* Scilicet *die.* Ita enim explet hanc ellipsin Plinius, lib. II, c. 51. « M. Herennius decurio

exanimati; Tusculi terra pluit; mula Reate peperit[9]: supplicatio per decem pueros patrimos matrimos[10], totidemque virgines habita[11]. — * Æmilius Regillus eo anno feliciter contra Antiochum pugnavit, et Antiochus ipse a Scipione captus est. *Lycost.*

sereno die fulmine ictus est.» Noster sæpe ita, ut c. 83: *Sereno intonuit;* c. 87: *Tarracinæ sereno navis, velum fulmine tactum.* Adde. c. 107: *Sereno tonuit...* S.

9. *Mula Reate peperit.* Quod semper habitum infaustum. Vide Plin. VIII, c. 44; Varron. lib. XI R. R. c. 1; Suet. Galb. 4. S.

10. *Patrimos matrimos.* Ita vocabantur, qui parentem utrumque adhuc habebant in vivis. Mallem autem juncta voce scribere, *patrimos matrimos.* Sic enim solebant veteres, quoties conjunctionem omittebant. Vide Vossium in Etymol. Scheff. Delevi distinctionem: has enim voces conjungendas esse recte monnerunt Viri Docti. Vid. Festum in V. *Rica:* ubi etiam male distinguitur in verbis Paulli: «Virgines ingenuæ patrimæ, matrimæ cives.» Plura de iis infra dicentur. Oud. Junt. *per decem ingenuos pueros patrimos, et matrimos*, uti cap. 100.

11. *Habita.* Quomodo, ut ipsi immolarentur? Videtur velle Livius supra dicto loco, ubi ait: «decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti.» Sed de tali sacrificio, et victimis humanis apud Romanos altum est silentium. Et diversissimum de eis Curtius testatur. Itaque in verbis Livii, *ad id sacrificium*, intelligendum erit *faciendum.* Noster ipse infra, c. 100: «Sacrificatum per triginta ingenuos patrimos et matrimos, totidemque virgines.» Clare ait, *per ipsos*, id est, opera et ministerio puerorum illorum. S.

LVI. (2.) *M. Messala, C. Livio, coss.* — U. C. 564. — A. C. 188.

Luce[1], inter horam tertiam et quartam, tenebræ ortæ;

LVI. 1. *Luce.* Opponitur ei, quod dicitur *nocte*, id est, *de luce*, quum jam diu multaque lux per horas tres fuisset. Cæterum hæc eadem leguntur apud Livium lib. XXXVIII, cap. 36. Scheff. Illustr. Heinsius in margine sui codicis emendaverat *Lucæ*, urbe scilicet Hetruriæ. Quod si verum est, *Lucæ* quoque reponendum est in Livii loco, quem citat cl. Schefferus, lib. XXXVIII, cap. 36. «Luce inter horam tertiam ferme et quartam tenebræ obortæ.» Noster tamen, cap. 103: «Interdiu ab hora tertia usque ad horam septimam.» Sed et illic forsan scribi debet *Interamnæ* vel *Amiterni.* Nihil tamen ego mutem. Oud. Nec opus est mutatione; sæpeque Cicero usurpat *luce*, sicut noster.

in Aventino lapidum pluviæ novemdiali[2] expiatæ. In Hispania prospere militatum. Sacrum novemdiale factum[3], quod in Piceno lapidibus pluit[4]; ignesque cælestes[5] multifariam orti, levi afflatu[6] complurium vestimenta adusserunt; ædes Jovis[7] in Capitolio fulmine icta; in Umbria semimas[8] duodecim ferme annorum natus[9], aruspicumque

2. *Novemdiali.* Supple, *sacro.* Ita statim in sequentibus: «Sacrum novemdiale factum.» Fuit autem sacrum hoc solenne, quoties pluisset lapidibus. Vide Livium lib. I, c. 31. Adde infr. cap. 104, 111. S.

3. *Sacrum*, etc. Hæc et seqq. acciderunt duobus annis post, Sp. Posthumio Albino, Q. Marcio Philippo coss. ann. Urb. c. DLXVII. Vid. Liv. lib. XXXIX, 8, 22. Male ideirco Lycosthenes post hoc caput posuit aliud sub his coss. Oud.

4. *Lapidibus pluit.* Forte scribendum *pluerit*, quum alterum sit compendiose scriptum. Vid. c. 77. Sch. Lege *pluerat*, ut Noster semper. Sic c. 77, 104; et Liv. lib. XXXIX, 22; unde enm hæc snmsisse constat. Quare etiam pro *Jovis* paulo infra cum cl. Scheffero malim *Opis.* Vid. Rycquium de Cap. cap. XLI. Oud.

5. *Ignesque cælestes.* Fulmina intelligit. S.

6. *Afflatu.* Tactu. Ita solenniter loquuntur de fulminibus. Dixi ad Petronii fragmentum Traguriannm. S.

7. *Ædes Jovis.* Immo vero *ædes Opis;* ita namque habet Livius, lib. XXXIX, cap. 22; unde sua Noster sine dubio desumpsit. Nam omnia conveniunt ad verbum. S.

8. *Semimas.* Lycosthenes accepit pro androgyno. Sed quum alibi nominet androgynos, mirum videatur, quare non et hic id fecerit. Semimares, aut semiviri aliis scriptoribus castrati, quales Isidis sacerdotes, qui hoc nomine sæpe veniunt apud veteres. An is talis fuit vitio naturæ, de quo hic sermo? Scheff. Androgynum esse intelligendum patet ex Livii lib. XXXI, cap. 12, «Semimares jussi in mare deportari.» Hos enim Livius supra descripserat esse homines ambiguo sexu. Ovidius quoque, lib. IV Met. v. 380, *semimarem* vocat hermaphroditum. Ita *semivir* pro hermaphrodito occurrit apud Ausonium, Epig. LXVIII, et Cupid. cruci adf. v. 88. Oud.

9. *Natus.* In Umbria, puta. Illuc enim hoc est referendum, non ad proxime præcedentia, si scriptio non est vitiosa. Scheff. An, quum nascebatur, XII annos habebat? corruptum esse locum etiam opinor. Doctissimus Barthius ad Statium, lib. XI Theb. v. 231, legebat *aptus*, i. e. inventus, nactus. Vir celeberrimus, J. Broukhusius ad Propertium, lib. IV, El. IX, v. 40, conjiciebat *notus* (i. e. *cognitus*). Verum hæc itidem obscura sunt; nec unquam ita loquitur Obsequens. Quia autem Livius citato loco dicit, *semimarem XII ferme annos natum inventum*, putem pro *natus* scribendum esse *inventus*: ut c. 94, *Androgynus annorum VIII inventus*; c. 96, *annorum X inventus.* Atque ita ipse Bar-

jussu necatus. Galli, qui Alpes transierunt in Italiam sine prælio[10], ejecti[11]. — *Fœdus est cum Antiocho conscriptum, et a Thracibus Romani vexati sunt. *Lycost.*

thius correxerat ad Stat. l. IV Theb. v. 375, *fortusque novos, etc.* Ingeniosissimus et doctissimus vir, mihique multas ob causas colendus P. Burmannus malebat eodem modo legere, quo Livius hæc refert. Posset etiam scribi : XII *ferme annorum natu, aruspicum jussu n.* Pru *jussu* Basil. 3, *ussu.* Oudendorp. In Actis Erudit. Lips. 1721, p. 119, Broukhusii conjectura ad Propertium loc. cit. nisi vulgatum defendi possit, certissima judicatur. Lego : *duodecim ferme annos natus, aruspicum jussu necatus.* Conf. c. LXXXII : « Lunæ androgynus natus, præcepto aruspicum in mare deportatus. »

10. *In Italiam, sine prælio.* Perperam hæc a se invicem commate sunt divulsa, nam distinctio post vocem *prælio* demum erat ponenda. Livius supra dicto loco : « Eodem anno Galli Transalpini transgressi in Venetiam sine populatione aut bello, haud procul inde, ubi nunc Aquileia est, locum oppido condendo ceperunt. » S.

11. *Ejecti. Rejecti*, Heinsius. Oudendorp. Sed præstat prior lectio, *ejecti.*

LVII. *M. Æmilio Lepido, C. Quintio Flaminio, coss.* — U. C. 565. — A. C. 187. Lycost.

*In Sicilia Vulcani insula saxosa, deserta, quæ ex ternis crateribus flammas eructabat, magna hominum admiratione nata est. Eodem anno Q. Fulvius Flaccus prætor in citeriore Hispania XXIII millia hominum fudit; Gracchus in Hispania ulteriore infinita oppida in deditionem accepit; Posthumius in citeriore Hispania feliciter etiam contra hostes pugnavit, ibidemque multa oppida expugnavit etiam Gracchus.

LVIII. *Sp. Posthumio Albino, Q. Martio Philippo, coss.* — U. C. 566. — A. C. 186. Lycost.

*Ludis romanis, quos P. Cornelius Cethegus, et A. Posthumius Albinus faciebant, malus in circo instabilis in

signum Pollentiæ procidit, atque id dejecit: qua religione moti Patres, et diem unum adjiciendum ludorum celebritati, et signa duo pro uno reponenda, novumque auratum faciendum censuerunt. Gn. Manlius de Gallogræcis triumphavit, Asiaticasque illecebras invexit; in Hispania Lusitanorum et Celtiberorum cædes sub idem fere tempus facta est.

LIX. (3.) *M. Claudio, Q. Fabio Labeone, coss.* —U. C. 569.—A. C. 183.

In area Vulcani[1] per biduum, in area Concordiæ[2] totidem diebus sanguinem pluit[3]; in Sicilia insula nova maritima[4]. Hannibal in Bithynia veneno periit[5]; Celtiberi

LIX. 1. *In area Vulcani.* Habet hæc Livius, lib. XXXIX, cap. 46. Porro area Vulcani debet intelligi, quæ vicina templo ejus. Habebant enim frequenter areas ejusmodi ante templa deorum apud veteres. Ita mox est *area Concordiæ*. Vulcani aream memorat et Gellius, IV, cap. 5. SCHEFF. A. U. 569.

2. *Concordiæ.* Hæc habet Livius dicti libri cap. 56. SCHEFFER. Hoc prodigium Livius non memorat accidisse anno seq. ut putat editor Anglic. sed ultima anni parte, post designatos novos coss. OUD.

3. *Sanguinem pluit.* Livius habet *sanguine*, quod noto, quia solet verba ejus fere retinere, et similiter c. 86, *sanguine pluit* [item c. 88, *Cære sanguine pluit*]. Altero tamen modo legitur et cap. 60. sequenti. Sed et Scaliger ad Num. Euseb. MDCCCXVIII, citans verba Livii, habet *sanguinem*, non *sanguine*. S.

4. *Insula nova maritima.* Quid, quæso, *insula maritima?* num datur et terrestris? Scribe confidenter, *insula nova mari edita*. Ita namque habet et Livius supra indicato loco. Adde Eusebium supra dicto numero; Plinium, II, cap. 87; Orosium, IV, cap. 20; quos ibi Scaliger laudat. Scheffer. *Maritima.* Corrupte. Scaliger margini adscripserat *mari nata*. Heinsius *mari innata*. Præferam tamen cum Scheffero *mari edita* ex Livio; vel leg. *mari enata*, ut apud Senec. lib. VI, N. Q. cap. 21, et Plin. lib. XI, cap. 87. De re ipsa præter alios etiam consulendus est Samuel Petitus, Observ. pag. 10. OUDENDORP. Perizon. (ad Ælian. lib. XI, cap. 25) legisse videtur cum Scaligero *mari nata*. *In Sicilia* idem vir doct. ex Liv. lib. XXXIX, 55, recte interpretatur *haud procul Sicilia*. Sic cap. 85, *in Numantia*, ubi vide.

5. *Hannibal in Bithynia veneno periit.* Vide Aurel. Vict. de Viris Illustr.; Plutarch. in Flaminio, 380, B, editionis Wechel; Cornel. Nep. in vita Hann. cap. 12, et quos ibi laudat Lambinus.

subacti[6].— *Obierunt clarissimi imperatores, Scipio et Philippemenes. *Lycost.*

6. *Subacti.* Sic veteres editiones. *Subjecti* Schefferiana. Male. Oudend.

LX. (4.) *L. Æmilio Paulo, Gn. Bebio Pamphilo*[1], *coss.* —U. C. 570.—A. C. 182.

Procellosa tempestate[2] strages in Urbe facta[3]: signa ænea in Capitolio dejecit[4]; signa in circo maximo[5] cum columnis evertit[6]; fastigia templorum aliquot a culmine

LX. 1. *Gn. Bebio Pamphilo.* Ald. (Junt.) Arg. Asul. *Cn. Bebio Tamphilo.* Pariss. *Cn. Bæbio P.* Ant. 2. (Bas. 2.) *G. Bæbio P.* Lege *Cn. Bæbio Tamphilo*, ex Livii lib. XXXIX, 56. Sæpissime autem nomen *Tamphili* depravatum fuisse in *Pamphilum* patet, ex Doctorum VV Commentariis ad Fastos, ann. Urb. conditæ DLXXI. Oud. A. U. 570.

2. *Procellosa tempestate.* Memorantur et hæc Livio, l. XI, c. 2. S.

3. *Facta, signa.* Lege *tempestas, strage in U. facta, etc.* Strages enim non dejecit signa in Capitolio, sed tempestas. Livius dixit : « Atrox cum ventot empestas coorta, multis sacris profanisque locis stragem fecit ; signa ænea in Capitolio dejecit, etc. » Vel, quod malim, post *facta* poneuda est major distinctio, et vox *tempestas* subaudienda est in *dejecit.* Sic c. 101 : *Terra sanguine manavit, et concrevit*, scilicet *sanguis.* Apuleius, lib. I. Metam. p. 104. ed. Elm. *Dei medici baculo, quod ramulis semiamputatis nodosum gerit*, nempe *Deus.* Sulpitius Severus, His. Sac. lib. I, cap. 18 : *Si quis servum proprium servamve percusserit, exque eo ictu obierit*, scilicet *servus servave.* Hyginus, Fab. 191 : *Cujus corpus aquam quum tetigisset, facta est colore aureo*, nempe *aqua.* Quod mutari non debebat. Hoc etiam modo intelligendus est Valer. Maximus, lib. I, cap. 6, §. 9, qui vulgo corrupte legitur : *Deorum spreto manitu, excandescunt*, scilicet *Dii.* Nam in MSS. est *Deorum spreti monitus*, vel *D. præmonitus*, aut *Deorum spiritus.* Nisi malimus *Deorum monitus* capere pro *Dii manentes.* Plura utriusque locutionis exempla si quis videre cupiat, adeat grammaticos. Oudendorp. Recte Oudendorpius post *facta* majorem distinctionem ponit. Conf. cap. 73 : « *Procellosa tempestate tecta diruta, stragesque agrorum facta.* »

4. *In Capitolio dejecit.* Locus hic non satis integer videtur. Deest certe inter hoc et subsequens, quod memoratur Livio, prodigium. De signis pluribus, quibus ornatum fuit Capitolium, diligenter egit Rycquius, qui videri debet. S.

5. *Signa in circo maxima.* Nam et hic signis variis fuit ornatus. Meminerunt veteres. S.

6. *Cum columnis evertit.* Addit Livius, *quibus superstabant*, quod nescio an exciderit apud Nostrum.

abrupta dissipavit: mulus tripes Reate natus; ædes Apollinis Caietæ fulmine ictæ[7]; in area Vulcani et Concordiæ[8] sanguinem[9] pluit; hastæ Martis[10] motæ; Lanuvii simulacrum Junonis Sospitæ lacrimavit; pestilentiæ Libi-

Abesse profecto vix potest, quoniam alias de columnis aliis posset accipi locus. Cæterum columnis signa imponi consuevisse apud veteres, notatum pridem iis, qui de statuis egere. Schef. Male Vir Doctus hinc abesse vix posse opinatur verba *quibus superstabant*. Sic enim cap. 77. et cap. 109. *signa aurata cum capite columnaque*. Oud.

7. *Fulmine ictæ*. Cur *ictæ*, ac non *icta*? Utrum deest *Formiis*, quod legitur apud Livium, locusque sic scribendus? « ædes Apollinis Formiis et Caietæ fulmine ictæ. » Ita puto, et vide, quæ cl. Gronovio notantur dicto Livii loco. Sigonius ibidem laudans ista Obsequentis verba, tali modo edit: *ædes Apollinis Caietæ de cælo tacta*, pro eo, quod in Nostro est, *fulmine ictæ*. Unde hoc acceperit, non possum divinare. Sch. Sigonius ad Livium, lib. XI, cap. 2, legit *icta*, Livium ex Nostro corrigens. *Icta* hic scribendum esse etiam putarunt Scaliger et Heinsius. Oud.

8. *Vulcani et Concordiæ*. Non una fuit area, sed duplex, id quod constat ex cap. antecedenti. Rem ipsam habet Livius, lib. XI, cap. 19. S.

9. *Sanguinem*. Hæc acciderunt, P. Cornelio Ceth., M. Bæbio Tamphilo coss. ann. U. c. DLXXII. Oud.

10. *Hastæ Martis*. Apud Livium vox *Martis* non comparet, adjicienda fortassis ex Nostro, quum cætera inter se conveniant. Hastas porro istas accipio, quæ simulacri vice prisco more in templis erant collocatæ. Consulendus est Justinus, l. XLIII, cap. 3: item Alexand. ab Alex. VI, cap. 26, ab init. ibique Tiraquellus et Colerus. De motu earum, et senatusconsulto ob id fieri solito, vide Gellium, lib. IV, cap. 6. Sch. Videndæ omnino sunt celeberrimi J. Perizon. Dissert. III, p. 224, et ampl. Cuper. Apoth. Hom. p. 23. Oud. In Poleni Thes. Antiq. Rom. et Græc. tom. II, col. 33: Antiquissimis autem temporibus Romani hastam ipsam loco Martis coluerunt, ut Varronis fide tradunt Clemens Alexandrinus, atque Arnobius, cujus ultimi verba adscribenda sunt: « Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse, memorialia ut indicant scripta; informem Arabas lapidem; acinacem Scythiæ nationes: ramum pro Cinxia Thespios; lignum Icarios pro Diana indolatum; Pessinuntios silicem pro Deum matre; pro Marte Romanos hastam, Varronis ut indicant Musæ. » Atque hinc explicandum Plutarchum arbitror, inquirentem, cur Romulus Quirinus, quasi dicas Hastatus, appellatus sit. Hasta autem illa, in regia posita, Martis nomen habuit; et ibi servabitur, opinor, ut pristinæ religionis indicium. Atque inde fortasse deorum statuis bastæ additæ sunt: neque ullum fere in numismatis veteribus numen occurrit, quin hasta, tanquam divinitatis symbolo, armetur.

tina non suffecit[11]: ex Sibyllinis[12] supplicatum, quum sex mensibus[13] non pluisset. Ligures prælio victi, deletique[14]. —* Pestis Urbem et villas invasit, quæ adeo urbem exhausit, ut vix in Sardiniam contra defectionem Corsorum exercitus conscribi potuerit. Sex mensibus nunquam pluit. *Lycost.*

11. *Libitina non sufficit.* Immo, *suffecit.* Hoc autem vult, tam frequentia fuisse funera, ut justa solennia eis fieri non potuerint. Simili modo cap. 65: « Gravi pestilentia hominum boumque cadavera, non sufficiente Libitina, quum jacerent. » Vides, cadavera hic jacuisse insepulta. Sumsit haud dubie ex Livio, qui utroque loco ita loquitur, ubi commemorat, quæ Noster habet, de Libitina. SCHEF. Lege *Suffecit*, cum cl. Scheffero, et ed. Par. 3. Optime autem hic locus potest explicari ex Ovidii libro VII Metam. v. 613.

Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.

Adde Phædr. lib. IV, F. 19. OUDENDORP. *Suffecit* est quoque in Junt. Cæterum ad hanc phrasin intelligendam consulendus est Orosius, lib. V, cap. 2: « Tanta subito pestilentia exorta est, ut ministri quoque faciendorum funerum primum non sufficerent, deinde non essent. Itaque magnæ domus, vacuæ vivis, plenæ mortuis remanserunt, etc. » Vid. etiam infra, cap. 81.

12. *Ex Sibyllinis.* Puta, *libris.* Res est notissima. Solebant enim eos libros adire solenniter Romani in omni casu graviore, quia persuasum vulgo volebant, fata civitatis continere, atque adeo monstrare contra eos casus remedia certo valitura, ne unquam civibus, quantiscunque etiam in malis, spes et animus deesset. Vide Alex. ab Alex. lib. III, cap. 16, ibique Tiraquellum. S.

13. *Sex mensibus.* Sic plane Livius, lib. XL, cap. 29. S.

14. *Ligures .... deletique.* Hæc sunt Obsequentis, non Lycosthenis verba, cujus nomine male in ed. Scheff. circumferuntur. OUD.

LXI. (5.) *Q. Fulvio, Cn. Manlio*[1], *coss.* — U. C. 573. — A. C. 179.

Nimbis continuis in Capitolio signa aliquot dejecta; fulmine[2] Romæ et circa plurima decussa. In lectisternio

LXI. 1. *Cn. Manlio.* Ald. Asul. Pariss. (Junt. Basil. 2.) Antv. Tornæs. *C.* sed legi debere *L.* patet ex Fastis an. DLXXIV; et Livii l. XL, cap. 44. Vid. Pighii Annal. tom. II, pag. 337. OUD. A. U. 573.

2. *Dejecta fulmine.* Perperam: debent enim a se mutuo disjungi com-

Jovis[3], terræ motu deorum capita se converterunt; lana[4] cum integumentis, quæ Jovi erant apposita[5], decidit; de

mate, et vocabulum *fulmine* ad sequentia referri. Ita certe habet Livius, lib. XI, cap. 45, ubi cætera commemorantur; ipsaque res et consuetudo loquendi abunde demonstrant. Scheff. *Dejecta; fulmine.* Ita cum Scheffero, et Heinsio distinxi. Antea male edebatur *dejecta fulmine.* Oud.

3. *In lectisternio Jovis.* Livius non addit, cujus fuerit lectisternium; sed lib. XL, 59, unde hoc caput desumptum est, hæc refert: «Terra movit in foris publicis, ubi lectisternium erat. Deorum capita, quæ in lectis erant, averterunt se.» Unde forsan commode legi posset *lectisternio in foris, etc.* id est, quando lectisternium erat. Sic cap. LXXXVII, *dissensione;* c. CVII, *ludis;* c. CXXX, *Latinis;* et *lustratione.* Plura qui cupit, adeat viri summi J. F. Gronovii notas ad Livium, lib. XI, cap. 36, *Ludis mane servum*, et eruditissimum virum, ac de me meisque studiis optime meritum, J. Perizonium ad Sanctii Minervam, lib. IV, cap. 4, § 28. Oudend. Sed in talibus formulis præpositionem servant Cæsar, Sallustius, reliqui; vid. Act. Erudit. l. c.

4. *Lana.* Pari modo legitur et apud Livium, lib. XL, c. 59. Sed hæc lana Jovis mihi quidem est incognita. An scribendum *Læna?* Lænam esse vestimentum, quo utebantur ituri ad cœnam e balneo, pridem docuit cl. Ferrarius, part. II Rei Vestiar. lib. I, cap. 9, pag. 797, ap. Græv. Id porro mirifice convenit huic loco, quum lectisternium nil fuerit aliud, quam cœna, quam præbebant diis discumbentibus in lectis. Sed et alias non insolens, diis sua quædam dare vestimenta. Vide saltem Val. Max. lib. I, cap. 1, ext. 3. Neque multum fuit diversum *laneum pallium*, cujus ibi facit mentionem ipse, et Cicero, III, de Nat. cap. 34. Nam lanea vincula in deorum pedibus, de quibus egimus ad Fr. Petronii Dalmaticum p. 97 (c. 44, pag. 214, ed. Burm.) qui huc pertineant, non dispicio. Nannius tamen *lanam* putavit capiendam de stemmate. Verba ejus lib. VII Miscell. «Omnes dii stemmatis solebant coli. Est autem stemma, teste Sophoclis interprete, lana ramo circumvoluta, etc. Deorum antem simulacra hujusmodi stemmatis integi solere, apud Julium Obsequentem invenias, ubi inter prodigia refertur, ea ab statuis decidisse.» Subdit dein verba Nostri. S.

5. *Quæ Jovi erant apposita.* Corrigendus ex his Livius, apud quem habent etiam novissimæ editiones, *quæ Jovi opposita fuit*, quum sit legendum, *apposita fuit. Apponere* in re vestimentorum, est *operire, injicere, contegere*, ut sit sententia, Jovem ea læna cæterisque fuisse vestitum, seu amictum. Sch. *Lana.* Non recte cl. Schefferus hic, et in Livio reponere conatur *læna*. Nam *lana* significat *laneam vittam*, qua dii, et omnia sacra diebus festis velabantur. (Ut apud Horatium *purpura* et *ostrum* pro vestimentis inde confectis; vid. Act. Erud. Lips. l. c.)

mensa oleas mures præroserunt [6].—* De Celtiberis triumphatum; res in Hispania feliciter gestæ; et cum Liguribus prospere pugnatum. *Lycost.*

Vid. magnum Grævium ad Hesiodi Theogon. cap. 25, pagin. 126. et ampliss. Cuperum, in Apotheosi Hom. p. 134, 135; Festum, in V, *Laneæ effigies et Donaticæ;* Martian. Capellam, p. 17. Pro *erant* Nannius in Miscellan. p. 212, *erat;* ut apud Livium *fuit* legitur. Hæc scripseram, quum mihi humanissimus vir, P. Burmann. indicaret, Cuperum in Epistola ad se data corrigere, *Lanx cum integumentis, q. J. erat a;* et apud Livium, *Lanxque c. i., q. J. apposita fuit:* præterea Amplissimum Virum hæc integumenta sumere pro operculis, quibus lances opertæ in epulis apponebantur (vid. tamen c. 112); vel etiam pro veste seu stragulis, quibus mensa, de qua paullo inferius fit mentio, erat strata. Quæ conjectura, si non vera, certe admodum est probabilis. Verbum *apponi* quam frequenter occurrat in epulis earumque apparatu, notum est. De vestibus tamen ac tegumentis aliquando etiam dici, patet ex N. Heinsio ad Ovidii Heroid. Epist. IX, v. 60:

Et solidis gemmas apposuisse toris.

Quid si pro *integumentis* legas *intrimentis*, seu ἐμβρεχαῖς, ἐνθρυπτοῖς? Qua voce usus est Apuleius, l. X Met. p. 234, ed. Bipont.: *Coquus, qui sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita, vapore mollibat.* Verum pro hac conjectura, tamquam pro aris et focis, pugnare nolim. Oudend. Nulla hic emendatione opus esse arbitror, si *lanam* cum Oudendorpio et auctoribus Act. Erudit. pro *vestimento ex lana confecto* accipiamus.

6. *Prærosærunt.* Livius habet, *prægustarunt*, quod convenientius rei, magisque prodigium declarat. Mures enim Jovis prægustatores esse, singulariter videbatur observandum. Scheff. Nulla hic mutatione opus est. Sæpissime ita Noster, aliique: nam proprie de muribus dicitur aliquid comedentibus. Sic cap. 79: *Aurum sacrum mures arroserunt.* Cicero, lib. I Divinat. c. 44; lib. II, cap. 27; Phædrus, lib. I, fab. 22, «ut fruaris reliquiis, Quas sunt rosuri.» Oud.

LXII. (6.) *M. Junio, Gn.* [1] *Manlio, coss.* —U. C. 574.—A. C. 178.

Incendio circa forum quum plurima essent deusta, ædes Veneris sine ullo vestigio cremata [2]; Vestæ penetralis

LXII. 1. *Gn.* Anl. Pariss. *Cn.* Lege *A.* ex Livio (lib. XL, c. 59) et Fastis. V. Pigh. Annal. tom. II, pag. 341. Oud. A. U. 574.

2. *Sine ullo vestigio cremata.* Sic cremata, ut ne quidem ullum ejus reliquum maneret vestigium. Opponitur enim præcedenti *deusta*,

ignis exstinctus; virgo, jussu M. Æmilii pontificis maximi flagro cæsa, negavit ulterius interiturum[3]. Supplicationibus[4] habitis, in Hispania et Histria bella prospere administrata.

quod Nostro usurpatum de iis, quæ incendin quadamtenus sunt læsa. Cæterum hæc prodigia, cum initio lib. XLI, apud Livinm periere. Scheff. Vid. Epit. Liv. lib. XLI, ubi tantum de Vesta fit mentin. Ed.

3. *Interitorum supplicationibus.* Prava lectio. Emendo, *ulterius interiturum. Supplicationibus habitis, in Hispania*, etc. *Interire*, hic, *exstinctum iri*. Sensns. Promisit se daturam operam, ne unquam in posterum extingnatur. Scheff. Pariss. *interitum* pro *interiturum*, uti recte Pighius et Schefferus emendarunt. Scaliger conjecerat *introituram*. Pro *cæsa, negavit*, Heinsius *cæsa necatur;* reliqua asterisco nntabat. Bene etiam sequentia distinxit Schefferus, poneudn punctum post *interiturum;* ut exarari curavi. Vid. Livium, lib. XXVIII, cap. 11. «Ignis in æde Vestæ extinctus: cæsaque flagro est Vestalis, cujus cuatodia noctis ejus fuerat, jnssu P. Licinii pontificis. Id quamquam, etc.» Adde H. Ciofan. ad Ovidii Metamnrph. lib. XV, v. 778. Oudendorp. Junt. in indice errorum typogr. legit *interiturum suppl. hab. In Hisp.* nam nperarum errore in textu fuit *interitorum*.

4. *Supplicationibus.* Bas. 2, Gryph. Ant. 2, *supplicatoribus*. Oud.

LXIII. *C. Claudio Pulchro, T. Sempronio Graccho, coss.*—U. C. 575.—A. C. 177. Lycost.

*Lapis ingens in agro Crustumino in lacum Martis de cælo cecidit; puer trunci corporis in agro Romano natus; anguis quadrupes visus; Capuæ multa in foro ædificia de cælo tacta; Puteolis duæ naves fulminis ictu concrematæ; lupus Romæ interdiu quum Collina porta intrasset, per Esquilinam magno consectantium tumultu evasit: eorum prodigiorum causa, consules majores hostias immolarunt, et diem unum circa omnia pulvinaria supplicatio fuit. Histrorum agri a Romanis depopulati sunt; Nesatium oppidum a Junio et Manlio oppugnatum; Mutila et Faveria vi captæ, et deletæ; in Sardinia res prospere gestæ; Ilienses et Ligures sunt devicti. In Crustumino avis, quam

sanqualem vocant, sacrum lapidem rostro portavit; bos in Campania loquutus; vacca ænea Syracusis ab agresti tauro inita, ac semine aspersa: in Crustumino diem unum in ipso loco supplicatio fuit, et in Campania bos alenda publice data; syracusanumque prodigium expiatum, editis ab aruspicibus diis, quibus supplicaretur; pontifex eo anno etiam mortuus est.

LXIV. (7.) *C. Claudio*[1], *L. Petellio*, *coss.* — U. C. 576. — A. C. 176.

Quum immolassent victimas consules[2], jecur extabuit; Cornelius ex monte Albano rediens[3], membris captus[4] ad aquas Cumanas mortuus; Petellius[5] contra Ligures dimicans occisus est. — * Fax in cælo visa; Gabiis Apollinis templum et privata ædificia plura, Graviscis murus portaque de cælo tacta; ea patres procurari, uti pontifices censuissent, jusserunt. Ligures victi, et Sempronius Sardos perdomuit. *Lycost.*

XLIV. 1. *C. Claudio*, etc. Ex Livio et Fastis sine hæsitatione scribendum est, *Cn. Cornelio, Q. Petilio*, vel *Petillio*. Vid. Commentar. ad Fastos ann. Urb. c. DLXXVII. Oud. A. U. 576.

2. *Consules*. Cn. Cornelius et Q. Petilius. Sic enim vocantur Livio, lib. XLI, cap. 14. Quod propterea noto, ut ostendam, non convenire nomina consulum hic appositorum cum Livianis, atque ita fieri multis aliis in locis; sæpe sub eosdem referri consules, quæ sub aliis et pluribus acciderunt: ut credam, Obsequentis male descripta, certe a sciolis interpolata plurimum ad nos venisse. Sane mox in textu ipso vocatur *Cornelius*, qui in lemmate est *Claudius*; quod abunde arguit, quod dixi. S.

3. *Ex monte Albano rediens*. Ubi solenniter sacrificia facere consules consueverunt. Vide Rosin. IV Ant. cap. 17. S.

4. *Membris captus*. Usu membrorum privatus, eo morbi genere, quod apoplexiam medici appellant. Ideo Livius scribit, concidisse. Vid. ipsum, lib. XLI, cap. 16. S.

5. *Petellius*. Livio est *Petilius*, ut jam dixi. Et ea scriptio haud dubie rectior, quum sit convenientior origini. Vide caput ejus 14, lib. XLI. S.

LXV. (8.) *M. Lepido*, *Q. Mucio*[1], *coss.* —U. C. 577.—A. C. 175.

Gravi pestilentia hominum, boumque[2] cadavera, non sufficiente Libitina, quum jacerent[3], vulturius non apparuit[4]. Celtiberi deleti.—* Et Basternarum gens ferocissima, auctore Persa Philippi filio, sine ulla pugna, vel aliquo hoste, eversa est. *Lycost.*

LXV. 1. *Q. Mucio*. In Fastis *P. Mucius* nominatur, uti etiam in Cassiodoro (in mea edit. Cassiodor. est *Q. Mucius*), unde Sigonius in Livio, lib. XLI, cap. 19; pro *Q.* reposuit *P.* Vid. etiam Pighium Ann. tom. II, p. 352. Hæc tamen valde incerta sunt, et mallem in utroque loco retinere *Q.* a manu Obsequentis.

2. *Boumque*. Possit videri, compendium esse vocabuli *brutorumque*; quia tamen Livius quoque ita jungit, uti ex verbis ejus liquet, quæ mox proferentur, nihil hic mutandum, sed per *boves* omne genus pecoris armentique intelligendum; totum enim Livium exscripsit. Oud. A.U. 577.

3. *Quum jacerent.* Insepulta scilicet, terrave obruta. De vocabulo *jacere* aliquid ad Phædrum nostrum, lib. I, fab. 24, diximus. S.

4. *Ulterius non apparuit.* Hæc inepta est scriptura. Repone *vulturius*, pro *ulterius*. Livius, lib. XLI, cap. 21, ubi memorat hæc ipsa: « Satis constabat, nec illo, nec priore anno, in tanta strage boum hominumque, vulturium usquam visum. » Scheff. Junt. *ulterius non apparuerunt.*

LXVI. *Sp. Posthumio Paullo*, *P. Mutio Scævola*, *coss.*—U. C. 578.—A. C. 174. Lycost.

* In Veienti agro biceps puer natus, et Sinuessæ unimanus, Oxini puella cum dentibus; arcus interdiu sereno cælo super ædem Saturni in foro romano intentus: tres simul soles effulserunt; faces eadem nocte plures per cælum lapsæ sunt in Lanuvino; apud Cærites anguis in oppido jubatus, aureis maculis sparsus, apparuit; in agro Campano bos loquutus, et in Sabinis terræ motus ingens factus est. Carthaginienses eodem anno cum Græciæ urbibus adversus Romanos, Perseo sollicitante, conspiraverunt.

LXVII. *L. Posthumio Albino, M. Popilio Lenate, coss.*—U. C. 579.—A. C. 173. Lycost.

* Lanuvii classis magnæ species in cælo visæ; Priverni lana pulla terra enata; in Veienti apud Rementem lapidatum; Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum; in Gallico agro, qua induceretur aratrum, sub existentibus glebis pisces emerserunt: ob hæc prodigia libri fatales inspecti, et supplicatio prodigiis expiandis facta. In Ætolia perniciosæ seditiones propter ingentem æris alieni vim ortæ. Perseus bellum in Romanos paravit; in Liguribus, in agro Stellati pugnatum, ad oppidum Carystum, ubi decem millia hominum cæsa sunt, vincentibus Romanis.

LXVIII. *C. Popilio Lenate, P. Ælio Ligo, coss.* — U. C. 580.—A. C. 172. Lycost.

* Saturniæ sanguine per triduum in oppido pluit; Calatiæ asinus tripes natus; taurus cum quinque vaccis uno ictu fulminis exanimati; Oxini terra pluit: horum prodigiorum causâ supplicatio in unum diem instituta, et habitæ feriæ sunt. Issensium agri hoc anno misere depopulati sunt: ac nihil memoratu dignum apud Romanos eo tempore gestum est.

LXIX. *Q. Martio Philippo* II, *Q. Servilio Cæpione, coss.*—U. C. 583.—A. C. 169. Lycost.

* Anagniæ fax in cælo conspecta; bos femina loquuta; Minturnis per eos dies cæli ardentis species affulsæ; Reate pluit lapidibus; Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes integras lacrimavit: Romæ in æde Fortunæ anguis jubatus a compluribus visus; palma in area enata; sanguine interdiu pluit: Fregillis in domo L. Atrei hasta, quam filio

militi emerat, interdiu plus horas duas arsit, ita tamen, ut nihil ejus amburereT ignis: horum prodigiorum causa post supplicationem victimis majoribus circa omnia pulvinaria facta sacrificia. Perseus rex in Thracia feliciter pugnavit, victis Dardanis, et subactis Illyriis.

LXX. (9.) *Q. Æmilio Peto*[1], *M. Julio*, *coss.* —U. C. 585.—A. C. 167.

Romæ aliquot[2] loca sacra, profanaque cælo tacta[3]. Anagniæ terra pluit; Lavinii[4] fax ardens[5] in cælo visa; Calatiæ in agro publico per triduum et duas noctes sanguis manavit[6]. Rex Illyrici Gentius, et Macedoniæ Perses devicti.

LXX. 1. *Q. Æmilio Peto*, etc. *Pæto* Paris. Lege cum Livio, l. XLV, c. 16, et Fastis ann. DLXXXVI, *Q. Ælio Pæto, M. Junio, coss.* Vid. Pigh. Ann. tom. II, p. 383. Oud. A. U. 585.

2. *Romæ aliquot.* Habet hæc Livius, lib. XLV, c. 16. S.

3. *Cælo tacta.* Suspicor, scripsisse Nostrum *c* (leg. *de*) *cælo tacta*, præpositionem vero interceptam esse a litera proxime præcedente in vocabulo *que*. Vide, quæ notavi supra cap. 55, not. 7. Sic Virgilius, I Ecl. v. 17: *De cælo tactas memini prædicere quercus.* Ubi Servius: « Tacta, id est, afflata leniter fulmine; et Cicero: Tactus est ille, qui hanc urbem condidit, Romulus. » Sch. Forte: *de cælo tacta*, ut Livius, et Obsequens semper loquuntur. Nusquam *cælo*, vel *c cælo*, quod placet cl. Scheffero, inveni. *Ictus e cælo* occurrit apud Ciceronem, lib. I Divin. cap. 43. Oudend. Contra voluntatem viri doctissimi, operarum incuria *e* pro *de* obrepsit, Schefferusque maluit *de cælo*, quod ab ipso citatum cap. 55, et Virgilii locus adductus satis manifestant, uti bene in Act. Erudit. Lips. loc. cit. observatur. Igitur Oudendorp. frustra contra Schefferum disputat. *De cælo tacta* sæpe apud Ciceronem, Orosium, aliosque.

4. *Lavinii.* Ald. (Junt.) Asul. *Lavini.* Recte celeberr. Perizonius legit *Lanuvii*, ex Livio. Vid. ejus Animadv. Hist. p. 333 (ed. Harles.); atque ita etiam citat Fromondus ad Senecæ Nat. Quæst. lib. I, cap. 1: *Talis fuit forma ejus*, etc. Oudend. Vid. cap. 79.

5. *Fax ardens.* Livius simpliciter sic ait: *fax in cælo visa erat.* Possit itaque illud *ardens* Nostri otiosum aut temere adjectum videri. Verum secus est, quod ex eis liquet, quæ jam olim annotavimus ad Phædrum, lib. I, fab. 28. Schepp. Vid. Gudium et Burm. ad Phædri loc. cit. Sic infra, cap. 105, *fax ardens.*

6. *Sanguis manavit.* E terra scilicet, ut alibi clarius pleniusque loquitur. Vide capp. seqq. 71 et 109. Schepp. Immo vero e foco M. Valerii, civis romani. Vid. Liv. l. XLV, cap. 16. Oud.

LXXI. (10.) *M. Marcello*, *P. Sulpitio*[1], *coss.* —U. C. 586.—A. C. 166.

In Campania multis locis terra pluit; in Prænestino[2] cruenti ceciderunt imbres; Veienti lana ex arboribus nata; Tarracinæ[3] in æde Minervæ mulieres tres, quæ operatæ[4] sedebant, fulmine exanimatæ. Ad locum Libi-

LXXI. 1. *P. Sulpitio.* Scribe *C.* ex Liv. lib. XLV, c. 44, et Comment. ad Fastos. Oud. A. U. 586.

2. *In Prænestino.* Scilicet *agro.* Vid. infra, cap. XC, *in Veiente.* S.

3. *Tarracinæ.* Sic Pariss. non *Terracinæ.* Recte. Semper ita scribi oportet. Vid. Strab. lib. V, p. 233, ed. Pariss. (pag. 356, edit. Amst.), Stephanum (pag. 695, ed. Berkelii), aliosque. Oud. *Tarracinæ* quoque Junt. sed alibi *Terracinæ.*

4. *Operatæ.* Solennis vox de iis, qui sacra faciunt: quod ostendit pluribus Barnabas Brissonius in Formulis Antiquis. Itaque hoc vult, finitis sacris ibi consedisse. Scheff. Ergo intelligit cl. Schefferus, illas mulieres stantes sacra de more fecisse. Verum hoc non velle Obsequens videtur, sed mulieres esse exanimatas, dum operabantur: quo sensu hoc participium sæpe sumi notum est. Ovid. lib. III, Art. Am. v. 635:

Quum sedeat Phariæ sistris operata juvencæ

Gratius, Cyneg. v. 42:

Sic operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes festivi turba Canopi.

Mela, lib. III, cap. 5, et passim. Præterea in supplicationibus, similibusque sacris sedebant; unde c. 72: *Populus circa compita sacellaque operaturus sederit.* Quod etiam male explicavit Vir Doctus. Immo hæc est causa, cur in sacris Isidis id solenne esset. Vid. J. Broukhusius ad Tibulli lib. I, El. 3, 30:

Ante sacras lino tecta fores sedeat.

Et, qui ante eum hoc ostendit, ingeniosissimus et nobilissimus vir N. Heinsius ad Ovid. Amor. lib. II, El. 13, v. 17, 18:

Sæpe tibi sedit certis operata diebus,
Qua cingit lauros Gallica turba tuas.

Gallicam turmam, vel turbam, quam *Phariam* appellat Tibullus, videtur vocare Ovidius Isidis sacerdotes a comparatione et similitudine, quam habuere cum sacerdotibus Cybeles, juxta quosdam, ejusdem, quæ Isis. Illi autem sine dubio statis diebus aram et reliqua Isidis sacra lauro ornarunt; ut in aliorum deorum festis aras cæteraque frondium coronis cingi mos erat. Hoc sensu Apuleius, lib. XI, Metam. pag. 271, ed. Elm. dicit: *Dum magno deo* (Osiridi) *coronas exaptat.* Laurus vero Isidi propria fuit. Vid. in Ara marmorea apud Gruterum, pag. 82, et in Boissardi Tabula, p. 1073. Illam enim Isidi attribuerunt, quia vaticiniis, ut Cybele, præesse credebatur. Hinc apud Ciceron. lib. I Divin. c. 58, in verbis Ennii occurrunt *Isiaci conjectores;* et Senec. de Vita beata, cap. 27: « Quum laurumque linteatus senex, et medio lucernam

tinæ[5] in statua equestri ænea, ex ore et pede[6] aqua manavit diu. Galli Ligures deleti. Comitia quum ambitio-

die præferens, conclamat, etc. concurritis, et divinum eum esse affirmatis. » Talia Isiacus conjector, laurum manu dextra gerens, cernitur in Sponii Miscellan. Erud. Antiq. Huc forsan pertinet quoque locus Ælii Lampridii in Severo, cap. 26 : « Isium ornavit, additis signis et Deliacis et omnibus mysticis. » Ut sint signa Apollinis signis similia. Videndum tamen, an non corruptus sit Ovidii versus, et poeta de ansere loquatur, de quo idem, lib. I Fast. v. 453 :

Nec defensa juvant Capitolia, quo minus anser
Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.

Sed jam plus satis super hoc loco. Ad Obsequentem revertamur. Oud.

5. *Ad locum Libitinæ.* Suspicor scribendum esse, *ad lucum Libitinæ*, seu potius *ad lucum Lubentinæ*. Lubentina inter Veneris erat cognomenta, quæ colebatur in luco, cujus mentionem facit Onuphrius in regione Urbis XIV, Transtiberina. Ipsum vide, p. m. 213. Eadem et *Libentina* dicebatur, quomodo *lubere* et *libere*, *lubido* et *libido* promiscue usurpantur. Gyraldus, Syn. XIII, de diis : « Veneri Libentinæ lucus Romæ fuit, ut Festus ait. » Ubi Festus hoc tradat, hactenus invenire non potui. Constare tamen ex collatione loci hujus cum Nostro videtur, *Lubentinam*, *Libentinam*, *Libitinam*, non diversas fuisse, sed eamdem, de quo dubitabat Gyraldus; ac propterea in nomine quidem ejus apud Nostrum nil mutandum. Dionysius Halyc. lib. IV, ubi de nummo ob recens natum dari solito : « Illatus in ærarium Veneris in luco situm, quam Libitinam (Λιβιτίνην) appellant. » Ubi habes ejus quoque lucum. Scheff. Lege cum cl. Scheffero *lucum*, quomodo etiam, vel *lacum*, conjecerat Heinsius. Vide Inscript. Gruteri, pagina 971, n. 8. Verum quod Schefferus dicit, Dionysium Halicarn. narrare, nummum ob recens natum dari solitum, inferri in ærarium Veneris in luco situm, nescio, quid sibi velit. Contrarium enim refert Dionys. nempe nummum dari debuisse pro singulo infante nato in ærarium Illithyiæ : εἰς δὲ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων, id est, *pro mortuis.* Huc facit, quod Pythagoras dixerit, duas esse *Veneres*, *unam supernam*, *et alteram Libitinam*, teste Lutatio ad Statii Thebaid. lib. IV, v. 527 :

Stygiasque severos
Junonis thalamos, et mœsta cubilia cerno.

Plutarch. Quæst. Roman. cap. 23, (pag. 269, ed. Francf.) : Διὰ τί τὰ πρὸς τὰς ταφὰς πιπράσκουσιν ἐν τῷ τεμένει (luco) τῷ Λιβιτίνης, νομίζοντες Ἀφροδίτην εἶναι τὴν Λιβιτίνην; Oudend. Add. Car. Patini Commentar. in Antiquum Monumentum Marcellinæ, in Poleni Thesauro, tom. II, pag. 1119.

6. *Ex ore et pede.* Cujus? num insidentis equo, an ipsius equi? Nam equestris statua utrumque junctim notat. Ego crediderim, equum potius, quam hominem intelligendum. Ac fortasse fuit apud Nostrum quondam, *ex ore et pede*

sissime fierent[7], et ob hoc senatus in Capitolio haberetur, milvus volans, mustelam raptam de cella Jovis, in medio consessu[8] patrum misit; sub idem tempus ædes Salutis de cælo tacta; in colle Quirinali sanguis[9] terra manavit; Lanuvii fax in cælo nocte conspecta; fulmine pleraque discussa[10]; Cassini[11] et sol per aliquot horas noctis

equi; sed illud equi periit, quia sequebatur mox iisdem pæne literis vox *aqua*. S.

7. *Comitia quum ambitiosissime fierent.* Id est, quum magno ambitu in comitiis peterentur honores. Genus loqnendi haud vulgare. *Ambitiose facere* usurpavit pari modo Cicero alicubi. Schef. Locus Ciceronis exstat, l. III, Ep. 7, § 10, ad Divers. ubi vid. ioterpretes.

8. *In medio concessu.* Perperam. Scribendum est, *in medio consessu*, quomodo et in Argeutoratensi editione legitur, a Rhenano adornata (cæterisque edd. aotiquis). Vidit etiam Freinshemius. Ideo in supplemeoto Liviano, lib. XLVII: « Eo (in Capitolium) se milvus avis intulit, raptamque de cella Jovis mustelam in medium consessum misit. » Ex Obseqneote hoc et alia id genus pleraque habere, certum est, mihique privatim cognitum peculiari argumento. Quod autem pro *in medio consessu* maluit, *in medium consessum*, in eo suum sequutus est arbitrium, uec eo magis aliquid in lectione Nostri immutandum. Consuevisse namque veteres præpositioni *in* hunc qnoque casum addere, ubi vulgo casus additur quartus, pridem ad fragmentum Petronii Tragurianum, a me annotatum est. Scheff. Consule Munckerum ad Hygin. fab. 41, *in navem haberet*, et fab. 82, *in aquam stare*. Item Heusinger ad Nepot. X, c. 1, § 1.

9. *Sanguis.* Pariss. *sanguine*, ut *terra* sit casus rectus; c. 109, *Fæsulis sanguine terra manavit*; c. 111: *terra sanguine manavit*. Virgil. in Cul. v. 301:

Teucria quum magno manaret sanguine tellus.

Homerus sæpe, ῥέε δ' αἵματι γαῖα. Oud.

10. *Fulmine pleraque discussa.* Num legeudum *decussa?* Ita certe solet locis aliis. Ut supra, cap. 61: *fulmine Romæ et circa plurima decussa*, et mox cap. 74: *fulmine pleraque decussa*. Eadem habentur verba cap. 73, et 83, et 107, et 109, et 112, et 122. Quum ergo semper dicat *decussa*, vix est dubium, quin et fecerit hoc loco. S.

11. *Cassini.* Plinins, lib. III, cap. 5 (ubi vid. Dalech.). *Casinum* mavult appellare, quod et Statius fecit. At pro lectione Nostri stat et Varro, qui videri potest. Scheff. *Cassini et*. An *est?* an vero alins urbis nomen excidit? Malim assentiri Scaligero, distingueoti *discussa Cassini, et sol.* Pariss. *Cassinii*. Oudendorp. Conjicio legendum: *Cassini et circa sol*, etc. Sic c. 61, 79, 89, 96, 112: *Romæ et circa*; c. 75: *in Capitolio ædes Jovis, et circa*. Conjectura Scaligeri et Oudendorpii, *discussa Cassini*, non placet. Nam Obsequens sæpins habet formulam:

visus; Teani Sidicini[12] puer cum quatuor manibus, et totidem pedibus natus. Urbe lustrata[13], pax domi forisque fuit.

fulmine pleraque decussa sine mentione loci : cap. 74, 76, 83, 107, 109, 122.

12. *Theani Sidicini.* Plinio l. III, cap. 11, sine adspiratione scribitur. Idem docet, urbi huic id cognomenti datum, ut distingueretur a Theano Appulo, quum Sidicinum esset in Campania. Meminit et Strabo lib. V (pag. 237, ed. Paris. et pag. 362, edit. Amst.), qui vocat Τέανον Σιδικινόν, quod latine foret *Teanum Sidicenum.* Scheff. Sine adspiratione scribi debet. Nam ita apud omnes geographos est. Idque etiam monuit Pintianus ad Melam lib. XI, cap. 4, quamquam ille pro *Sidicino* apud Plinium male reponere conatur *Sindicenum.* Oud.

13. *Urbe strata.* Non est dubium, quin *Urbe lustrata* scribi debeat. Ita mox cap. 72 : *Urbe lustrata, nihil triste accidit*, et cap. 109 : *Urbe lustrata, Ptolemæus rex Ægypti Cyrenis mortuus.* Fit et alibi (vid. cap. 86) apud Nostrum mentio lustrationis hujus, ubi et de ritu ipso aliqua dicemus. Scheff. Ald. Asul. Pariss. aliæque *lustrata*, ut bene emendavit Cl. Schefferus, quapropter etiam in textum recepimus. Oud. Junt. Basil. 2, *strata.* Male.

LXXII. (11.) *Cn. Octavio*, *T. Manlio*[1], *coss.* — U. C. 587. — A. C. 165.

Pestilentia fameque ita laboratum, ut ex Sibyllinis populus circa compita[2], sacellaque operaturus sederit[3]; in æde Penatium valvæ nocte sua sponte adapertæ, et lupi

LXXII. 1. *Manlio.* Bas. 3; Torn. *Manilio.* Oudend. Junt. *M. Manlio.* A. U. 587.

2. *Circa compita.* In quibus ipsis quoque sacra solebant haberi, quod ex compitaliciis sacris est notissimum. S.

3. *Operaturus sederit.* Num scribendum, *operatus sederit?* Videtur ita censuisse Freinshemius, nam in Supplemento suo ita scribit : « Pestilentia sic in Urbe laboratum, ut ex Sibyllinis libris populus circum compita et sacella operatus sederit. » Atque ita supra quoque habuit, *mulieres tres, quæ operatæ sedebant.* Nempe fuit hæc sacrificantium consuetudo apud veteres, ut durante sacrificio starent. Hunc eorum habitum ostendunt omnes nummi veteres, et omnia monumenta alia. Finito igitur sacro, considebant. Nisi putes hic intelligendum consessum ante sacra exspectantium sacrificulos cum victimis rebusque aliis necessariis, nec esse quidquam hic mutandum. Quo potius inclino, quia magis declarat studia multitudinis ad ferendum malo publico remedium per suas

Exquiliis, et in colle Quirinali meridie apparuerunt, exagitatique fuerunt[4]: urbe lustrata, nihil triste accidit.

supplicationes, de quo potissimum hic agitur, et ex quo magnitndo mali hic debet intelligi. SCH. Vide ad caput præcedens. OUD. Taubmannus ad Cir. Virg. v. 142: *Dum sacris operata deæ lascivit*, citat hunc Obsequentis locum: *Populus circa compita sacellaque operatus sederit.*

4. *Exagitatique fuerunt.* Hoc est, ejecti per insequentes eos homines. Verbum proprium de feris, quas prosequnntur venatores. Ovid. III, Art. Am. 662: *Et lepus hic aliis exagitandus erit.* S.

LXXIII. (12.) *T. Graccho, M. Juventio*[1], *coss.* — U. A. 589. — A. C. 163.

Capuæ nocte sol visus; in agro Stellati[2] fulgure vervecum de grege pars exanimata; Terracinæ pueri trigemini nati[3]; Formiis duo soles interdiu visi; cælum arsit;

LXXIII. 1. *M. Juventio.* Pariss. Antverp. 2. *M. Inventia.* Sed scribi debet *M'. Juventio.* Vide Pighii Annales, tom. II, pag. 403. OUDEND. A. U. 589.

2. *In agro Stellati.* Stellates ager memoratur Ciceroni Orat. II, de Leg. Agraria in Rullnm (cap. 31). *Campum Stellatem* vocavit Suetonius in Julio, cap. 20. Fuit autem duplex, unus in Campania, alter in Etruria. Festus: « Stellatina tribus non a Stellate campo eo, qui in Campania est, sed eo, qui in Etruria, regione Capena, qua Thusci profecti, eum Stellatem campnm appellarunt. » Ita supplet, quæ desiderantur apud Festum in Schedis, Onuphrius, lib. XI, de Republica Romana, qui est de Civitate Romana p. m. 513 (cap. 50, p. 367, apud Grævium). SCHEFFER. Confer caput 97, et Drakenborchum ad Silium Italicum lib. XI, v. 268.

3. *Pueri trigemini nati.* Mirum, quod et hoc inter prodigia numeraverint, præsertim, postquam nobiles trigeminos, Horatios Curiatiosque celebrare historiis suis cœperunt. Et dubito saltem, an non mendum sit hoc loco, aut fortasse quid desideretur. SCHEFF. Quis unquam hoc esse prodigium credat? quum sæpius uno partu edi trigeminos doceat experientia; et diserte testetur Plinius lib. VII, cap. 3. « Tergeminos nasci certum esse Horatiorum Curiatiorumque exemplo: *supra* (id est, si plures geniti fnerint, quam tres) *inter ostenta ducitur.* » Recte itaque jndicat cl. Schefferus mendnm aliquod subesse. Forsan fuit *tres gemina natura nati.* Vid. capita 111, 113. *Natura* fuit absorptum a vocibus *gemina nati.* OUD. — *Formiæ* oppidum haud procul Terracina, ubi villam possidebat Cicero, cujus non semel mentionem facit in epistolis ad Atticum; velut lib. II, ep. 4 et 13.

Concii[4] homo ex speculo acie orta[5] combustus; Gabiis lacte pluit; fulmine pleraque decussa in palatio; in templum Victoriæ cygnus illapsus[6], per manus[7] capientium effugit; Priverni puella sine manu nata; in Cephalenia turba in cælo cantare visa[8]; terra pluit; procellosa tem-

4. *Concii.* Ubi hæc urbs sita fuerit, ignotum est. Quapropter merito cl. Burmannus (Ortel. in Thes. Geogr.), et ampl. Cuperus locum suspectum habent. Κοντίου quidem meminisse Strabo videtur lib. IV, pag. 178, ed. Par. sed ibi consulendus est Casaubonus. Cuperus conjecit *Comi* vel *Cominii*; si modo ann. Urb. c. DXC. superfuit: nam ann. Urb. c. CDLX, hoc oppidum a Romanis captum est, et, ut videtur, dirutum. Vid. Livium lib. X, cap. 39, etc.; Plin. lib. III, cap. 12. Livius tamen lib. XXV, 14, iterum meminit *Cominii Ceriti*, quæ urbs an eadem sit præcedenti Cominio, nescio. Nob. Heinsius *Antii* malebat, quod verum esse opinor. Oudendorp. Fortasse legendum *Consæ*, id est, *Cosæ*, vid. caput 76, *Consæ arma in cælo volare visa.* Vel, si hoc non placet, cum Heinsio lege *Antii.*

5. *Ex speculo acie orta.* Hæc aperte vitiosa sunt. Lego, *ex speculo face orta.* Per *facem* autem intelligo collectos radios solares, opera speculi; quia facis instar valent ad rem quamlibet accendendam. Unde et Plinius lib. XI, cap. 107: «Specula quoque concava adversa solis radiis facilius etiam accendunt, quam ullus alius ignis.» Scheffer. *Facie tosta* Heins. Oudend. *Acies* posita videtur pro *flamma*, vel *igne*. Virgil. Æneidos lib. X, vers. 408, vol. IV, pag. 141, nostræ editionis; ibique Servius. Editor.

6. *Cygnus illapsus.* Bene, de ave in eum locum ex improviso delata. Nam et alias *labi* aves dicuntur. Ipse Virgilius sic loquitur Æn. I, v. 398, 399.

Ætherea quos lapsa plaga Jovis ales aperto
Turbabat cælo ....

Notat iter avis subitum ex superiori ad inferiora. S.

7. *Per manus.* Vult, persuasum habuisse, quasi manibus jam tenerent. Sic eleganter illud *per* usurpat, et Florus lib. I, cap. 13, §. 16: *Per media hostium tela incolumis religionis auxilio rediit.* Sch.

8. *Turba in cælo cantare visa.* Hoc non intelligo; quomodo enim cantus ille potuit videri, maxime in cælo? Num legendum est, *constare visa?* Plauto sane, quod alias simul et junctim stare, uno verbo est *constare*. Sic enim Curcul. Act. II, sc. 3, v. 11. «Constant, conserunt sermones inter sese drapetæ.» An illud *visa* ideo a Nostro adhibitum, quod crederet non fuisse cantum verum, sed homines persuasisse sibi, quasi cantum audirent, visos sibi esse cantum audire, qui revera fuit nullus, aut saltem admodum incertus. Scheff. *Visa* tentari non debuerat. Vid. Cicer. lib. I, Div. cap. 24; et J. Perizon. Animadvers. Histor. cap. 8, p. 334, 335. Ubi pro *turba* legendum esse *tuba*

pestate tecta diruta, stragesque agrorum facta; crebro[9] fulminavit; nocte species solis Pisauri adfulsit[10]; Cære porcus humanis manibus et pedibus natus; et pueri quadrupedes, et quadrumanes[11] nati; ad forum Esii[12] bovem flamma ex ipsius ore nata non læsit.

optime conjicit; atque ita sui libri margini adscripserat Heinsins. Pluribus exemplis confirmatam hanc correctionem videbis a claro Burmanno ad Ovid. Metam. lib. XV, 784:

Terribilesque tubas, auditaque cornua cælo. Ovid.

Frustra evolves Burmannum, nam ad h. l. illustrandum nihil profert, præter verba: *legendum cum Heinsio*, tuba.

9. *Crebro.* Cl. Burmannus hic quoque nomen urbis latere censet. F. *Crotone*, vel potius *Cremonæ*, aut *Cremone*. Malim tamen cum eodem legere *sereno f.* ut cap. 83, 107, 122: *Fulmine pleraque decussa sereno.* Virgil. lib. I, Georg. v. 487:

Non alias cælo ceciderunt plura sereno
Fulgura ....

Et passim. Oudendorpius ad Lucan. lib. I, v. 530, p. 73, de hoc Obsequentis loco: «ut nihil jam mutem, facit alter locus Taciti l. XV, Ann. c. 47: *Vis fulgurum non alias crebrior.*»

10. *Species solis Pisauri adfulsit.* Bene. Alias simpliciter *solem visum* scribit: ut initio capitis 73, *Capuæ nocte sol visus*; cap. 71, *Cassini et sol per aliquot horas noctis visus*; c. 86, *in Amiterno sol noctu visus*; et sic aliis locis. *Adfulsit* autem, quia illa solis species habebat simul aliquem fulgorem, ad modum aliquem veri, non apparentis solis. S.

11. *Quadrumanes.* A *quadrumanis*, quomodo Virgilius *centumanis* usurpavit. Est autem quadrumanis, qui manus habet quatuor. S.

12. *Ad forum Esii.* Hoc forum Esii nusquam alibi invenio. An scribendum *Æsii?* Strabo lib. V, (pag. 227, ed. Paris. et pag. 348, ed. Amst.) Ἐν δεξιᾷ δὲ τῆς ὁδοῦ βαδίζοντι ἐκ τῶν Ὀκρίκλων εἰς Ἀρίμινον, Ἰντόραμνά ἐστι, καὶ Σπολίτιον, καὶ Αἴσιον. Sed sic scribendum forte fuisset *in foro Esii*. Nunc quia scribit, *ad forum*, magis inclino, ut credam, scribendum *Esquilini*. Mentio hujus exstat apud Appianum. Sch. Conjeceram prins *Alsii*, vel *Æsii*. Nunc lego *ad fluvium Æsin* vel *Æsii*. *Æsis* vel *Æsium* non modo oppidum est, sed etiam flumen, de quo adeundus Cluverius in Italia Ant. lib. XI, cap. 5. Intelligit Obsequens locum, ubi bos pascebatur. Oudendorp. Legendum sine dubio: *ad forum Æsii*, nam *e* pro *æ* sæpissime in libris scriptis et impressis occurrit. Nec video causam, cur *ad forum* retineri tunc nequeat, sed scribendum sit: *in foro*, ut Schefferus voluit. Oudendorpii correctio orta est ex opinione, quod intelligendus sit locus, ubi bos pascebatur; quod vero non est necesse.

LXXIV. (13.) *P. Scipione Nasica, Gn.*[1] *Martio, coss.* —U. C. 590.—A. C. 162.

Anagniæ cælum nocte arsit; fulmine pleraque decussa. Frusinone[2] bos loquutus[3]; Reate mulus tripes natus. Gn. Octavius legatus in Syria per Lysiam[4], tutorem Antiochi pueri[5], in gymnasio[6] occisus.

LXXIV. 1. *Gn.* (Junt.) Asul. Pariss. *Cn.* Scribendum autem est *C.* ex Fastis, aliisque auctoribus. Vid. Onuph. Panvin. lib. I, Fast. p. 144. Pro *Gn. Octavius* eædem edd. *Cn.* Oud. A. U. 590.

2. *Frusinone.* A Lycosthene est, quod in Basil. 3, et Tornæs. legatur, *Frusinonæ;* uti etiam infra cap. 91. In iisdem edd. et Schefferiana *Crotonæ* scribitur: in antiquis vero *Crotone.* Utrumque probum est. In talibus enim Latini ex Græcorum accusativis fecere nominativos. Sic pro *Crotonem* in Livio lib. I, c. 18, MSS. habent *Crotonom*, teste J. Fr. Gronovio. Adi quoque Munkeri doctissimam dissertationem Hygino junctam, p. 7. Oud.

3. *Bos loquutus.* Vide, quæ de hac locutione boum notat S. Bochartus, de Animal. part. prior. lib. II, cap. 14, p. 198. S.

4. *Per Lysiam.* Non ipsum, sed ad hoc utentem ministerio cujusdam Leptinis, qui eum confodit. Appianus de Bellis syriacis, pag. 117 (ed. Tollii, pag. 113). Sæpe autem ipsi facere dicuntur apud bonos scriptores, qui quid faciunt per alios. Vide Sueton. Tiber. cap. 22, et confer. Tac. An. I, cap. 6, ibique Lipsii notam. S.

5. *Antiochi pueri.* Antiochi regis, tunc adhuc pueri. S.

6. *In gymnasio.* Ubi tum ungebatur. Ita docet Appianus supra indicato nobis loco. S.

LXXV. (14.) *L. Lentulo, Q. Martio*[1], *coss.* —U. C. 596.—A. C. 156.

Procellosa tempestate in Capitolio ædes Jovis, et circa[2] quassata; pontis maximi[3] tectum cum columnis in Tibe-

LXXV. 1. *Q. Mortio.* Scribe *C. Martio*, ut omnes habent edd. et Fasti. Scaliger in ora codicis sui scripsit *Cn. Domitio.* Verum hunc cum Lentulo fuisse consulem nusquam inveni. Oud. A. U. 596.

2. *Et circa.* Ea, quæ circa ipsam erant sita, vicina. Ita solet Noster, ut cap. 61. *Romæ et circa plurimo decusso;* adde cap. 79. Livius lib. IX, cap. 23: *Nam et circa omnia defecerunt.* Fragmentum Petronii (Satyricon cap. XL, pag. 178. edit. Burm.): *Circa autem minores porcelli,* etc. S.

3. *Pontis maximi.* Pontis hujus

rum dejectum; in circo Flaminio[4] porticus inter ædem[5] Junonis Reginæ et Fortunæ tacta[6], et circa ædificia plera-

mentio non est obvia ubique. Tiberi impositum fuisse, liquet ex hoc loco. At Publius Victor, qui pontes cæteros ejus fluminis memorat, hujus mentionem fecit nullam, nisi forte aliud quoque habuit nomen. Habuisse tectum etiam ex hoc loco cognoscimus, idque tectum sustentasse columnas quasdam. Tales enim, et non alias putem hoc in loco intelligendas columnas. SCHEFF. Intelligit Obsequens, pontis, qui omnium maximus erat, tabulatum cum palis, quibus substratum erat, esse dejectum, et dispersum. De tali vero ponte, qualem hic describi putat Schefferus, capiendus videtur esse L. Ampelii locus in cap. 8, de Miraculis Mundi: *Ibi pons magnus columnatus duplex.* OUD.

4. *Flamminio.* Scribendum est *Flaminio.* SCHEFF. *Flaminio* Bas. 2. Recte.

5. *Inter ædem.* Bas. 1, 2. Gryph. Ant. 2. *in ædem.* Scaliger legebat *in æde.* OUD.

6. *Tacta.* Fulmine, puta. Solet alibi addere, *de cælo tacta*, quod notavi supra cap. 55. Sed sic simpliciter posuit et cap. 116: *Arma signaque tacta.* S.

— *Ob hæc ipsa.* In his sensus nullus. Et tamen locum istum sic adduxit etiam Brissonius in lib. de Formulis, nulla mendi alicujus, multo minus emendationis facta mentione. Taurus sane concidisse non potuit *ob hæc ipsa*, id est, ob hanc ipsam causam, quia ducebatur, sed quum duceretur, in eo ipso momento temporis corruit; quæ res mali erat ominis apud Romanos, quum victimæ ad sacrificium ductæ vel reluctarentur, et ire nollent, vel plane prociderent, et ire non possent. Quare suspicor, scribendum apud Nostrum: «Taurus, ad immolationem quum duceretur adhuc ipse corruit». Sensus, quum duceretur adhuc, et necdum venisset ad locum, ubi fuit mactandus; inter ipsum ducendum. Vide infra cap. 107. SCHEFF. *Ob hæc ipsa.* id est, ob immolationem. Sed verba hæc corrupta sunt. Forsan legi debet *ob hanc ipse.* Id est αὐτός, sponte sua procubuit, ut immolaretur. Vel *d. adhuc, ipse c.* Posset quoque *ad templa.* Non longe etiam abit *collapsus.* His tamen omnibus præferam: *Taurus a. i. q. d. victima c.* ut cap. 107, *Quum piaretur, taurus victima exanimis concidit.* Ovid. lib. VIII, Metam. v. 763:

....Ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit.

Tibull. lib. IV, v. 15:

....Inaurato taurus cadit hostia cornu.

Alicui ex amicis meis placebat *sub hæc ipsa*, scilicet ædificia; ut obrutum ædificiorum ruinis taurum significet. Heinsius *d. Jovi, ipse c.* Cl. Burmannus *ad* vel *ob aram lapsus:* ut *ob* capiamus pro *coram.* Vid. Sciopp. Susp. Lect. lib. I, Ep. 3; Davis. (Beroald.) ad Ciceron. Tusc. Disp. lib. III, cap. 18; et pro Rabir. 38; et Sextio, 47; Ovidius Metam. lib. VIII, v. 115:

Patris ob ora? OUD.

Bene habent hæc verba *ob hæc* et denotant, per vel propter dissipata ædificia corruisse: quo sensu sæpius *ob hæc* in Livio legitur. Act. Erud. l. c.

que dissipata; taurus ad immolationem quum duceretur, ob hæc ipsa corruit. Dalmatæ Scordis[7] superati.

7. *Dalmatæ Scordis.* Etiam hoc vitiosum. Scribendum est, *Dalmatæ Scordisci.* Scordiscorum crebra mentio apud veteres. Vide Eutrop. IV, fin. Flor. lib. III, cap. 4. De Dalmatis tum victis habes in Epit. Liviana lib. XLVII. Schepf. Recte cl. Schefferus *Scordisci.* Quod vidit etiam Freinshem. ad Flor. lib. IV, cap. 12, § 11. Licet non bene legat *Dalmatæ et Scordisci* (vel etiam *Dalmatæ a Scordiscis*). Scordisci, Dalmatiæ, seu Delmatiæ populus, sic dicti, a sedibus captis ad Danubii et Savi confluentes. Ed. Sic cap. 90, *Ligures Sallyes*; cap. 123, *Lusitani Callæci*; cap. [102.] 123, Heinsius oræ libri sui adleverat *a Scordis.* (Vide ad caput 123, not. 5.) Oud. Scordisci in Plin. lib. IV, cap. 25.

LXXVI. (15.) *L. Opimio, Q. Postumio, coss.* —U. C. 598.—A. C. 154.

In provinciam proficiscens[1] Postumius consul, quum immolaret, in plurimis victimis caput[2] in jocinore[3] non invenit[4], profectusque, post diem septimum[5] æger Ro-

LXXVI. 1. *Proficiscens.* I. e. jam jam profecturus, ut c. 87, *dimicanti* pro *dimicaturo.* Vid. J. Perizon. ad Sanctii Minervam, lib. I, cap. 13, not. 4; cap. 15, not. 2. Bene ergo cl. Schefferus, præeunte doct. Freinshemio in Supplement. Livianis lib. XII, cap. 29, post *profectusque* poni voluit comma. Statim enim, confectis sacris, et paludamento induto, proficisci solebant. Vide cap. 129. Oudendorp. A. U. 598.

2. *Caput in jocinore.* Hoc summam et altissimam ejus fibram explicat Dalechampius ad Plinium lib. XI, cap. 37, not. C. Alii alio modo definiunt, ut videatur incertum, quid in disciplina augurali sic vocarint. S.

3. *Jocinore.* Ita hic et alibi edidi, sequutus ed. (Bas. 2.) Ant. 2, et Lycosthenis ac Schefferi edd. quoniam solent scripturam hanc præferre codices MSS. Livii. Vide J. F. Gronov. ad. lib. XXV, cap. 16. Quod male damnat editor Angl. ad cap. 95, scribens *jocineris* ex aliis edd. *Jecinore* et *jecinoris* habent Pariss. Oud.

4. *Non invenit.* Quod inprimis dirum habebatur. Consule Brisson. lib. I Formular. (pag. 20. ed. Conrad.). Itaque notatio hujus rei toties recurrit apud Nostrum. Vide cap. 95, 107, 112, 115. Adde Plutarch. in Marcello. S.

5. *Profectusque post diem septimum.* Distinctio incommoda: nam post *profectusque* comma ponendum. Sensus quippe non est is, quasi septem diebus post, quam sacrificanti

mam relatus, exspiravit; Consæ[6] arma in cælo volare[7] visa; fulmine pleraque decussa. A Gallis, et a Lusitanis Romani per arma graviter vexati[8].

caput jocinoris non repertum, fuerit profectus, sed quod septem diebus post profectionem factus sit æger, et relatus Romam. S. Ita habet Cicero pro S. Roscio § 148: « Aliquot post menses is occisus est. » Aut Epist. ad Atticum l. V, ep. 20: « Castra paucos post dies habuimus, ea ipsa, quæ contra Darium habuerat apud Issum Alexander, imperator haud paulo melior quamant hic, aut ego. »

6. *Consæ*. Hanc Consam ego nuspiam reperio, suspicorque esse nullam, ac pro ea scribendum *Consentiæ*. Consentia est urbs in Bruttiis, sæpe memorata Livio, Straboni, aliis, pro qua facile per compendium scribi poterat *Consa*. Retinet tamen Consæ nomen Freinshemius in Supplementis lib. XII, cap. 29. Scheffer. Immo scribe *Cossæ*, vel *Cosæ*. Quod vidit etiam doctissimus Ger. Vossius, quem lege ad Velleii Paterculi lib. I, cap. 14; et lib. XI, cap. 68. *Cosæ* etiam Heinsius, et cl. Burmannus. *Compsæ* ampl. Cuperus. De qua urbe V. Voss. ibid. et Cluver. in Italia Antiqua. De Cossa adeundus quoque Ortel. in Thes. Geogr. Oudendorp. Recte legit Oudendorp. *Cosæ*. Error enim ex modo scribendi exstitit, quo propter accentum veteres *n* interposuerunt in *thensaurus*, *succendo* apud Paullinum pro *succedo*, *quotiens*, et similibus. Vid. Act. Erud. Lips. 1721, pag. 119.

7. *Arma in cælo volare*. Arma speciaiori notione hic intelligo de clypeis, ut sæpe usurpari solet hoc vocabulum, quod ad Manricii Strategicon a me notatum est. (Conf. infra ad caput 103, not. 8.) Ea porro visa volare, quum ferrentur huc et illuc, in dextram, modo in sinistram. Scheff. Amplector conjecturam N. Heinsii, reponentis *sonare*. Ovidius lib. V Fast. v. 549:

Fallor? an arma sonant? non fallimur: arma sonabant.
Mars venit, et veniens bellica signa dedit.

Sic sæpe *crepitus armorum in cælo auditus*. Vid. ad cap. 104, not. 15; et cap. 118, not 2. « Ingens signorum sonus, armorumque horrendus clangor auditus. » Oud.

8. *Per arma graviter vexati*. Pro *vexati armis*, h. e. bellis, neque puto aliquid mutandum. Propertius lib. II, Eleg. 28 (in ed. Broukhus. est eleg. XXI, v. 17; sed in edit. Vulpii eleg. XIX, v. 15.):

Sed tibi vexatæ per multa pericula vitæ,
Extremo veniat mollior hora die. S.

Ampl. Cuperus *p. arva* legebat, intelligebatque excursiones in agros factas. Oudendorp. Sil. Ital. XI, v. 125, ibique interpret.

Et per bella diu fasces perque arma negatos.

LXXVII. (16.) *M. Cla. Marcello*, *L. Valerio Flacco*, *coss.* — U. C. 600. — A. C. 152.

Turbinis vi in Campo[1] columna ante ædem[2] Jovis decussa, cum signo aurato[3]; quumque aruspices respondissent, magistratuum et sacerdotum interitum fore, omnes magistratus se protinus abdicaverunt[4]: quod Ariciæ lapidibus pluerat, ita supplicatio habita[5]; quod Romæ

LXXVII. 1. *In Campo.* Martio, intellige : is enim excellentiori notione *Campus* dicebatur. Juvenalis Sat. XI, v. 131.

.... Et cede severi
Jugeribus Campi, quem negligis.

Ubi scholiastes vetus : « Recede de campo Martio, quem tenes, et qui tibi cœpit ædificari. » SCHEFF. *Capitolio* Pigh. Annal. tom. II, p. 434. Recte; intelligitur columna cum signo Jovis. Vid. ad c. 123, not. 11. OUD. A. U. 600.

2. *Columna ante ædem Jovis.* Fuit ergo ædes Jovis in campo Martio, et ante ipsam erectæ steterunt columnæ cum statuis virorum illustrium eisdem impositis. Quod notandum, quia non temere alibi reperias. Notat quidem Marlianus quoque statuas et columnas in campo Martio, translatas illuc ex Capitolio, sed collocatas ante ædem Jovis in eo, id haud docet. SCHEFF. Vid. notam præcedentem Oudendorpii.

3. *Cum signo aurato.* Imagine aurata. Cujus? hominis an dei? non liquet, licet signa proprie de imaginibus deorum velint accipi. Nempe sequitur, per dejectionem hujus signi præmonstratum interitum magistratuum. Ergo verisimile, fuisse imaginem viri alicujus in magistratu quondam constituti ac illustris. S.

4. *Se protinus abdicaverunt.* Supple *magistratu suo.* Ac fortasse scripsit Noster, *omnes magistratu se protinus abdicaverunt.* SCHEFF. *Magistratu* Pariss. ut conjecit Schefferus; sed male. Vid. celeberr. Burmanni notas ad Velleium lib. II, cap. 22 : « Qui se sub adventum Cinnæ consulis abdicaverat. » OUD.

5. *Ita supplicatio habita.* Corruptum est hoc *ita*, et loco alieno intrusum. Suspicor, scripsisse Nostrum : « Quod Ariciæ lapidibus pluerat, supplicatio habita; item, quod Romæ. » Ex *item* primo factum *ita*, post conjectum ad superiora, tamquam locum convenientiorem, quum præsertim bis hic positum propter finem vocis *habita* videretur. SCHEFFER. *Pluerat, ita.* Post *pluerat* Aldina ed. præfert punctum, jungens *abdicaverunt, quod A. l. pluerat.* I. s. *habita, q.* Mihi post *ita* deesse quædam videntur, vel forsan scripsit Auctor: *Q. A. l. pluerat, s. habita : iterata* vel *inde iterum, quod.* Vel *pluerat, novemdiale sacrum fuit. S. habita.* Livius, lib. XXVII, c. 37 : « Hæc procurata hostiis majoribus

multis locis species togarum[6] visæ, appropinquantium oculos eludebant[7]. In Lusitania varie, in Gallia prospere pugnatum.

prodigia, et supplicatio diem unum fuit ex decreto pontificum. Inde iterum novemdiale instauratum, quod in Armilustro lapidibus visum pluere.» Sacrum enim novemdiale diversum fuit a supplicatione. Vide ad c. 104, not. 6. Heinsium etiam conjecisse deinde comperi: *Iterato s. h. quodque R.* etc. Oudend. De hoc loco Act. Erudit. loc. cit. ita: Nec Schefferus, nec Oudendorpius τὸ *ita* possunt concoquere. At Cicero ad Famil. lib. XIII, epist. 70, post *quia* etiam *sic* posuit, nec aliquis particulæ status controversiam movet. Proxime ista verba excipiens *quod* fuit causa turbarum, adeoque delendum. Hactenus Auct. Act. Erudit. quorum explicationi favere videtur lectio edit. Junt. quæ post *habita* distinctionem majorem ponit, *i. s. habita. Quod* etc.

6. *Species togarum*. Immo vero, *species togatorum*, id est hominum cum togis ambulantium, consuetudine romana. Vidit et Freinshemius, ac idcirco in verbis a se prolatis in Supplemento Liviano *togatorum* scripsit, non *togarum*. Vide ipsum lib. XIII, cap. 1. *Species* optime, de idolis ejusmodi. Festus in Lympha: «Quicunque speciem quamdam e fonte, id est, effigiem Nymphæ, viderint.» (Liv. lib. VIII, cap. 6: «Species viri majoris, quam pro humano habitu, augustiorisque.» Drakenb. ad. Sil. Italic. lib. XIII, v. 394.) Suetonius in Claudio cap. I. «Non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris humana amplior victorem tendere ultra sermone latino prohibuisset.» Scheff. *Togatorum* etiam conjecit Heins. Oudendorp. Vide ad capitis 118 notam 2.

7. *Oculos eludebant*. Disparendo videlicet, quum adire eos vellent alii, atque quales essent spectare. Freinshemius non solum *oculos*, sed et *manus* appropinquantium scribit eludisse, quo auctore, haud profecto dixerim. Scheff. Procul euntes putabant, se videre homines, togis indutos, sed propius accedentes animadverterunt, nihil esse, seque inani specie deceptos.

LXXVIII. (17.) *Spurio Postumio, L. Pisone, coss.* —U. C. 604.—A. C. 148.

Vasto incendio Romæ quum regia quoque[1] ureretur,

LXXVIII. 1. *Quum regia quoque*. Quænam? P. Victori nominantur tres: Tulli Hostilii, in regione urbis secunda; Servii Tullii, in regione quarta; Numæ, in regione octava. Suspicari tamen possumus, de Tulli regia hic agi, quoniam in illa sola memorat et templum. *Regia Tulli Hostilii, templumque*, ait. Atque sic et Sextus Rufus (pag. 91,

sacrarium, et ex duabus altera laurus, ex mediis ignibus inviolatæ[2] steterunt. Pseudophilippus devictus.

apud Grævium): *Regia Tulli cum templo*. Regiæ simpliciter sic dictæ mentionem facit Festus etiam in voce *opima*, et Varro. SCHEFF. Puto significari ædem illam sacram, in qua erat sacrarium Martis, et cujus Noster sæpe meminit. Vid. Perizon. Dissert. de Morte Judæ cap. 10, pag. 83; et Gell. lib. IV, cap. 6. OUD. A. U. 604.

2. *Inviolata est, et erunt*. Mendosissime, pro quo scio virum doctum, qui legebat, *inviolata exstiterunt*. Puto, quia illud *est* mutationem nullam videtur postulare. Melius, si scribamus, *inviolata est servata*. Verbum *servare* aut *servari* frequens ac pæne proprium est in hoc argumento. SCHEFFER. Ald. cum aliis edd. *inviolata est et erunt*. Junt. et Asul. *inviolata est*. Pariss. *inviolata est et*. Scaliger legebat *i. est eruta*. Heins. hunc locum ita concipiebat: *quum regiæ q. u. sacrarium, ex d. a. l. e. m. i. inviolata est erepta*, vel *i. evasit, et virens*. Immo scribe ex vestigiis Aldinæ ed., quæ ex MSto expressa est. *In m. i. inviolatæ steterunt*. De qua constructione vid. G. I. Vossius de Const. cap. 4; præterea cap. 116. Ut hic, in incendio. « Inter ruinas simulacrum antiquissimum inviolatum stetit. » Valerius Maximus, lib. I, cap. 8, § 11: *Statua in sua basi flammis intacta stetit*. Veram ex parte lectionem vidit cl. Perizonius, citans ad Sanctium lib. IV, cap. 4, not. 79, pag. 616: *Inviolata steterunt*. OUDEND. Bene Ondendorp. *inviolatæ steterunt*, quod in textum recepi. Simili ratione locum Ampelii depravatum, in capite 14, *Primis, parte regna regnaverunt*, Meursius et Perizonius feliciter sic restituerunt: *primi Spartæ regnaverunt*. Vid. Dukerus ad Ampel. l. c.

LXXIX. (18.) *P. Africano, et Lælio*[1], *coss.* —U. C. 605. —A. C. 147.

Amiterni puer tribus pedibus, una manu natus; Romæ et circa fulmine pleraque icta[2]; Cære sanguinis rivi terra

LXXIX. 1. *Et Lælio. Livio* Pigh. Ann. tom. II, pag. 434, quomodo etiam ad oram libri sui scripserat Scaliger. Sed præterea pro *et* scribe *C.* Nam vocabatur *C. Livius*. Sic *C.* in *et* abiit apud Sueton. Aug. cap. 5. *M. Tullio Cicerone, et Antonio coss.* In MSS. Salmasiano et Copesiano optime legitur *C. Antonio*, monente Grævio. OUD. Vide quoque cap. 111, not. 1. A. U. 605.

2. *Fulmine pleraque icta*. Alias scribit *tacta*. Hoc tamen modo loquitur et capite 97: *Virgo equo insidens, fulmine icta*. Item. cap. 101, *Mulier nupta civi romano, fulmine icta*; et c. 104, *Ædes Jovis clausa, fulmine icta*. Atque sic et locis aliis. SCHEFF. Drakenborch. ad Sil. Ital. lib. V, v. 73, pag. 248.

fluxerunt[3], et nocte cælum ac terra ardere visum[4]; Frusinone aurum sacrum[5] mures adroserunt[6]; Lanuvii[7] inter horam tertiam et quintam duo discolores[8] circuli solem cinxerunt, rubente alter, alter candida linea; stella[9] arsit

3. *Terra fluxerunt.* Pro *e terra*, per omissionem præpositionis. Ita cap. 103: « In Tarquiniensi lactis rivi terra scaturienti exorti. » Ut nil videatur mutandum. Scheff. *Terra* retineri potest; sed tamen edd. Pariss. habent *e terra* : ut cap. seq. pro *fluxerunt* Heinsius legit *effluxerunt*. Oud.

4. *Nocte cælum ac terra ardere visum.* Locus, qui non vacat mendi suspicione. Cur enim non scripsit *visa?* Forsan nomen *terra* ex superioribus hic male repetitum; post addita et conjunctio. Sed magis est, ut sub eo latere nomen loci credamus, in quo visum est id prodigium. *Atellæ* fortassis, quæ urbs est Campaniæ, aut potius *Volaterræ*, quæ est in Thuscis. Scheffer. Forte aliis in locis Noster non habet *ac terra*, ut capite 98, etc. Pro *visum* Pariss. *visa*. Verum nulla mutatione opus est. Vid. Voss. de Const. cap. 4; et Sanctium in Minerva lib. IV, cap. 8, pag. 712, ibique Perizon. Oud.

5. *Aurum sacrum.* Consecratum deo, et repositum in templo, ex consuetudine, de qua post alios et Lactantius lib. II, cap. 4: *His* (diis) *aurum et argentum consecrant, quæ tam non habent, qui accipiunt, quam qui illa donaverunt.* S.

6. *Mures adroserunt.* Simile quid factum Cumis in æde Jovis, de quo Livius lib. XXVII, cap. 23. Adde etiam Plutarchum in Sulla, p. 455. Scheff.

7. *Lavinii.* Ut supra, cap. 70, ita etiam hic scribe *Lanuvii;* quomodo habetur in Ald. Asul. Pariss. Bas. 1, Antverp. 2. Oudend. Junt. et Bas. 2 etiam habent *Lanuvii*, quod ideo pro *Lavinii* in textum recepi.

8. *Discolores.* De junctis, non singulis accipiendum : singuli enim unum tantum simplicemque habuere colorem, licet alius hunc, alius alium; quod ex sequentibus apparet. In Argentoratensi codice legitur una voce auctius *duo discolores*, quæ vox excidit sine dubio per oscitantiam librarii. Scheffer. *Duo discolores.* Sic edidi, addens vocabulum *duo* ex Ald. Asul, Arg. Pariss. Bas. 1. Aut. 2. (Junt. et Bas. 2.) Oud.

9. *Stella arsit.* Qualis? num crinita? Sic Lycosthenes saltem locum hunc accepit, quod ex indice ipsius colligitur. Et arguere videtur verbum *arsit*, quippe quod majorem denotare solet flammam, quam qualis vulgo est stellarum. At sic *stellam* absolute pro *crinita* poni, annotandum fuerit. Scheffer. Non hic intelligendam esse stellam crinitam, patet ex capite 128 : *Stella insignis per dies septem arsit :* ubi clare distinguitur a stella crinita, cujus mentionem eodem capite fecerat. Oud. Fuit igitur, quod sæpe accidit, stella fulgorem solito majorem fundens, sed non cometa. De quibus, eorumque generibus, vide Joann. Lydum De mensibus ed. Schow. 51. A.

per dies triginta duos. Et quum Carthago[10] obsideretur, in captivos Romanorum per Hasdrubalem[11] barbaro more sævitum. Mox Carthago[12] per Æmilianum diruta.

10. *Et quum Carthago.* Illud *Et* suspectum mihi est. Nusquam sane alias conjunctione utitur, quoties ad commemorationem eventuum post prodigia Noster venit. S.

11. *Per Hasdrubalem.* Imperio jussuque ejus. S.

12. *Carthago.* Anno seq. coss. Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio. Vid. Oros. lib. IV, cap. 23. Oud.

LXXX. (19.) *Appio Claudio, P. Metello*[1], *coss.* — U. C. 609. — A. C. 143.

Amiterni puer tribus pedibus natus; Cauræ[2] sanguinis rivi e terra fluxerunt. Quum a Salassis[3] illata clades esset Romanis, decemviri[4] pronuntiaverunt, se invenisse in Sibyllinis, quoties bellum Gallis illaturi essent, sacrificari in eorum finibus oportere[5].

LXXX. 1. *P. Met.* L. Q. ex Fastis, etc. Vid. Pigh. Annal. tom. II, pag. 470. Oud. A. U. 609.

2. *Cauræ.* Hoc mihi admodum suspectum est vocabulum. *Cora* una est inter colonias Romanorum, quæ defecit ad Aruncos, P. Posthumio et Agrippa Menenio coss. Utrum ea huc pertineat deliberent eruditi. Scheffer. *Coræ* Heinsius. Scribe *Cære* cum celeb. Perizonio Animadv. Hist. cap. VIII, pag. 333. Oudendorp. Valer. Max. lib. I, cap. 6, § 5; et Noster cap. 79: *Cære sanguinis rivi terra fluxerunt.*

3. *A Salassis.* Belli hujus mentio apud Auct. Epitomæ Liv. lib. LIII. Sch. Pariss. *Salassis.* Ad sequentia quod attinet, respicere eo videntur, ut monuit H. Valesius, verba Dionis in excerpt. Peiresc. pag. 617: ἔπεμψαν δὲ αὐτῷ (Claudio Salassos Galatas aggresso) οἱ Ῥωμαῖοι ἐκ τῶν δέκα ἱερέων δύο. Oud.

4. *Decemviri.* Sacrorum, quorum peculiaris ea fuit potestas, urgente necessitate, adeundi consulendique libros Sibyllinos. Vide Alex. ab Alex. lib. III, cap. 16. S.

5. *Sacrificari in eorum finibus oportere.* De hac lege non recordor apud alios me quidpiam observare. Ac fortassis ejus notitia Nostro soli accepta est ferenda. S. Nota enim est veterum superstitio in sacrificiis statuto tempore aut loco faciendis, quamque diligentes ea in re fuerint. Nam « si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus et matrimus si terram non tenuit, aut tensam, aut lorum omisit, aut, si ædilis verbo, aut simpulo aberravit, ludi sunt non rite facti, eaque errata expiantur, et mentes Deorum immortalium ludorum instauratione placantur. » Ita Cicero de aruspicum responsis, cap. 11. Ed.

LXXXI. (20.) *L. Metello*, *Q. Fabio Maximo*, *coss.* — U. C. 610. — A. C. 142.

Fames et pestilentia quum essent, per decemviros supplicatum; Lunæ androgynus[1] natus, præcepto aruspicum in mare deportatus[2]; tanta fuit Lunensibus pestilentia, ut jacentibus in publicum[3] passim cadaveribus, qui funerarent, defuerint. In Macedonia[4] exercitus romanus prælio vexatus; adversus Viriatum[5] dubie dimicavit.

LXXXI. 1. *Androgynus.* Plinius lib. VII, cap. 3: « Gignuntur et utriusque sexus, quos hermaphroditos vocamus, olim androgynos vocatos, et in prodigiis habitos. » (Conf. Gellius, lib. IX, cap. 4.) An ex his verbis Plinii colligere quid licet de ætate Nostri, qui *androgynos* semper, nunquam *hermaphroditos* vocat? Vide cap. 86, 92, 94, 107, 108, 110, 113. De androgynis inter infausta prodigia numeratis habet quoque Cicero, de Divin. I, cap. 43: *Quid ortus androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit?* SCH. A. U. 610.

2. *In mare deportatus.* Hoc solenne fuit, quoties inveniretur. Sic infra cap. 92: *Androgynus natus, in mare delatus est.* Cap. 94: *Androgynus in agro romano inventus, et in mare deportatus.* Atque ita legas et in locis cæteris, consentitque Livius lib. XXVII, cap. 37. Et alibi, ut pridem notavit Casp. Bauhinus lib. I. De Hermaphr. cap. 37. Cur autem *in mare?* An, quod gignere monstrosa quævis crederetur? Oceanus certe vulgo a poetis pater monstrorum fingitur. An, quod aqua, præsertim marina, lustrentur et purgentur omnia? Et ostendit Noster, aliquando abjectos et in flumina, ut capite 86: *Androgynus natus, et in flumen dejectus.* Cæterum hanc historiam habet et Eutropius lib. IV, cap. 15. SCHEFFER. Androgyni in aquam deportati sunt, ut nullæ in terris reliquiæ superessent horum fatalium monstrorum.

3. *Jacentibus in publicum.* Pro, *in publico.* Vide, quæ notavi supra cap. 71, not. 8. S.

4. *In Macerdonia.* Hanc Macerdoniam ego equidem ignoro. Num scribendum *Macedonia*, et accipiendum de clade, quam accepit Juventius ab Andrisco, seu Pseudophilippo? At jam supra capite 78, Pseudophilippus dicebatur devictus. Potius sub Pseudoperseo hoc accidit, de quo Eutrop. lib. IV. *Macedonia* est etiam in editione Argentoratensi. SCHEFF. Et in Basil. 2 et Junt. *Macerdonia* est error operarum.

5. *Adversus Viriatum.* In Lusitania, non Macedonia. Nec enim ea vox hic quoque est intelligenda, quod ut fiat rectius, ante vocem *adversus* punctum minus collocandum. Rem ipsam narrat Florus lib. II, cap. 17. Cui addendi, qui a Camerte cæteris que ibi nominantur.

Videnda et Epitome Liv. LII. Sch. Recte vidit clarus Schefferus distinctionem esse ponendam ante hanc vocem; et ita quoque Scaliger, qui præterea pro *dimicavit* leg. *dimicatum*. Optime. Acciderunt hæ res contra Viriathum (sic scribo, non *Viriatum*. Græcis est Οὐιρίατθος vel Οὐιρίαθος: vid. Drakenb. ad Sil. Ital. lib. X, v. 220, pag. 507, 508) in Lusitania sequenti anno. Nam Q. Fabio cos. ann. Urb. c. DCXI, res non sunt dubie gestæ, sed prospere. Florus lib. II, cap. 17: *Tandem eum* (Viriathum) *Fabius Maximus cos. oppresserat*. Livii Epitome LIII: *Q. Cæcilius Metellus, proconsul, Celtiberos cecidit. A Q. Fabio proconsule pars maxima Lusitaniæ recepta est. Lege consule.* Quinto enim Metello proconsule Fabius fuit cos. ut ex omnibus Fastis patet. Verum seq. a. DCXII, dubie res gestæ sunt, tam a Q. Pompeio cos. quam a Fabio procos. Vid. Livii Epit. LIV; Eutrop. lib. IV, cap. 17. Ampl. Cuperus malebat cum Sigonio ad a. DCXII: *in Lusitania exercitus* etc. Oud.

LXXXII. (21.) *Gn. Cæpione*[1], *C. Lælio*, *coss.* —U. C. 612.—A. C. 140.

Præneste et in Cephalenia signa[2] de cælo cecidisse[3] visa; mons Ætna ignibus abundavit[4]; prodigium majori-

LXXXII. 1. *Gn. Cæpione*. Sc. *Q. Cæpione*. Vid. Fast. et Eutrop. lib. IV, 5. 16; Onuph. Panv. lib. I; Fast. pag. 146. Oud. Junt. *Cn.* A. U. 612.

2. *Signa*. Qualia? nam et sacra, et civilia, et militaria. Credo militaria hic intelligenda, h. e. aquilas, vexilla, et id genus. S.

3. *Cecidisse*. Jac. Perizonius Animadv. Historic. cap. 8, pag. 335, legit *cecinisse*: quia nunquam legimus signa de cælo in terram cecidisse. Verum si armis id accidisse potuit, cur etiam de signis, militaribus scilicet, hoc prodigium fieri potuisse non credimus? De armis cap. 101: *Pila cælo cadere visa*. Oud.

4. *Ignibus abundavit*. H. e. ignem copiosum evomuit, ut Freinshemius maluit hæc reddere in Supplemento suo. Nempe *abundare aliqua re*, pro, habere eam tanta copia, ut se continere nequeat intra suos terminos, sed effluat, rarum, nec temere alibi invenias. Accedit proxime, quod habet Cicero de Divin. I, cap. 29: *Sive deest naturæ quidpiam, sive abundat atque effluit*. Jungit enim verbo *abundare* τὸ *effluere*, tamquam per interpretationem. Scheff. Recte explicat Scheffer. per *ignem evomuit*. At vero *abundare* pro habere tantam copiam, ut se non contineat, sed effluat, non temere alibi legi, male pronuntiat. De aqua, Livius lib. V, cap. 15: *Ut quando aqua albana abundasset*. Quod Cic. interpretatur lib. I. Divin. cap. 44, *dum locus is redundaret*. Lib. XXX, cap. 38: *Ita abundavit Tiberis, ut circo inundato* etc. Tibull. lib. I. El. 8, v. 22:

Fertilis æstiva Nilus abundet aqua.

Seneca lib. IV, Natur. Quæstion. c. 1: *Nilus æstivis mensibus abundet*.

bus hostiis[5] quadraginta expiatum. Annus pacatus fuit, Viriato victo[6].

Unde patet, Salmasium recte correxisse locum Flori lib. IV, cap. 2, §. 27, *abundatione verni fluminis*. Vulgo *obundatione*. Immo, quid dubitandum? de ipsa Ætna idem Seneca, N. Q. lib. II, cap. 30: *Ætna aliquando multo igne abundavit*. Et Lucretius lib. VI, v. 669:

Ignis abundare Ætnæus.

Quod egregie explicatur his verbis Virgilii, libro I, Georg. v. 472:

Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam
Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa.

Vid. ibid. Servium. Oud.

5. *Majoribus hostiis*. De his dixi aliquid ad Phædrum, lib. III, Fab. 3. S.

6. *Viriato victo*. Consule Epitomen Livianam LIV. S.

LXXXIII. (22.) *M. Æmilio, C. Hostilio Mancino, coss.* —U. C. 615.—A. C. 137.

Quum Lanuvii[1] auspicarentur, pulli e cavea in silvam

LXXXIII. 1. *Lanuvii*. Brissonius, qui hæc verba laudat lib. I Formular. p. 114. ed. Conr. pro *Lanuvii*, scribit *Lavinii*. Neque dixerim nunc certo, quid præferri debeat. Vulgatum etiam a Freinshemio servatum est lib. XX Suppl. cap. 9. Scheff. Non solum Brissonius, sed etiam Pighius in Ann. tom. II, pag. 495; et ad Valer. Maximum lib. I, cap. 6, §. 7; et Cluverius in Italia Ant. pag. 884, 936. Hic et in Valerio Maximo scribunt *Lavinii*. Rationem autem addunt, quod silva Laurentina fuerit prope Lavinium, non prope Lanuvium. Verum hæc incerta sunt. Tibullus quidem lib. II, El. 5, v. 51, dicit:

....Laurens Castrum, murusque Lavini.

Et Ovidius lib. XV Metam. v. 727:

....Donec Castrumque, sacrasque
Lavini sedes, Tiberinaque ad ostia venit.

Adde Livium lib. I, cap. 14. Sed idem Ovidius Laurento quoque jungit Lanuvium lib. VI, Fast. v. 60:

Et populus Laurens, Lanuviumque meum.

Nempe Laurentina silva fuit media inter Lanuvium et Lavinium. Verisimilis magis ratio datur ex eo, quod consules, quum adeunt magistratum, rem divinam faciant Lavinii, ut viri docti ostenderunt ex Macrobio lib. III, Sat. Serm. c. 4, Servio ad lib. III Æn. v. 12, aliisque. Illos autem tunc auspicia cepisse ex pullis etiam notum est. Hinc Prudentius περὶ στεφάνων H. X, v, 146.

Quum consulatum initis, ut vernæ solent,
Pudet fateri, farre pullos pascitis.

Verum, quia omnes alii auctores, qui hujus historiæ meminerunt, semper solius Mancini mentionem faciunt, non de binis coss., forsan hoc non satisfaciet. Quare etiam dici posset *Lavinii* hic esse legendum; quia per hanc urbem ipsi iter erat ad mare, ut in Hispaniam navigaret, non autem per Lanuvium, quæ urbs fuit a mari remotior in via Appia; Lavinium autem

Laurentinam[2] evolarunt, neque inventi sunt. Præneste fax ardens in cælo visa. Sereno intonuit. Tarracinæ M. Claudius prætor in nave fulmine conflagravit[3]. Lacus [4]Fucinus per millia passuum quinque quoquoversum inundavit[5].

mari propior. Hinc sæpe legimus *Lavina litora*. Præterea coss. cæterique magistratus iter ingressuri auspicia capere solebant ex pullis. Sic Liv. lib. XXVII, cap. 16: «Fabio auspicanti, priusquam egrederetur ab Tarento, aves semel atque iterum non addixerunt.» Prior tamen ratio magis convenit cum narratione Obsequentis. Nisi fœdius eum corruptum esse dicamus, atque excidisse nomen *Mancini;* ut fuerit, *Quum Mancinus Lavinii auspicaretur.* Tale quid accidit c. 123. *Quum*, etc.; ubi elapsum esse Antonii nomen videbimus. Quicquid igitur sit, constet hic scribi oportere *Lavinii*. De duabus antem his urbibus utinam nobis aliquis certas præscribere possit leges. Coufusissima enim in auctoribus varietate scribuntur, ut patet ex Sigonio ad Livium, lib. VIII, cap. 13, et commentariis Cluverii, aliorumque. Nisi ipsos auctores erroris accusare velimus. Oudendorp. Cap. LXX, LXXIX; Drakenb. ad Sil. Ital. lib. VIII, v. 363, p. 419; lib. XIII, v. 364, pag. 659.

2. *In sylvam Laurentinam.* A Laurento oppido sic dictam, de quo Virgilius et alii. Fuit autem vicinissimum Lanuvio, ut Leander docet, p. m. 200. Quæ hic *sylva Laurentina*, ea Plinio *Lucus Jovis Indigetis*, lib. III, cap. 5, id est, Æneæ, qui Jupiter Indiges est dictus, teste Livio, lib. I, cap. 2. S.

3. *Fulmine conflagravit.* Valde mihi hæc suspecta sunt; deest saltem aliquid. Ecquid enim *in nave fulmine?* debebat addidisse *ictus* aut *percussus*, aut quid simile. Scheffer. Quod hic dicit *fulmine conflagrare*, alibi effert per *fulmine exanimari*. Similiter loquitur Phædrus, lib. IV, F. 6. *Pinus bipenni concidisset Thessala;* ubi etiam vox *icta* deest vel *cæsa*, quod Ennius addiderat, et sic alii. Oud.

4. *Lacus Fucinus.* Lacus in quarta regione Italiæ, prope Albenses Marsorum populos: qui et Celanus, Albanus, Marsicus, Volscorum. Causas exundationis ejus crebræ adfert Strabo, lib. V. p. 240 (ed. Par. et pag. 367. ed. Amst.); ubi vide. De hoc lacu, ejusque inundationibus consulenda est Raph. Fabretti descriptio Emissarii lacus Fucini, et de hoc ipso loco, pag. 407. Oud.

5. *Quoquoversum inundavit.* Terras ab omnibus lateribus undis suis invasit. Similiter cap. 128: *Padus inundavit.* Plinius: *Antequam Nilus inundaret.* S. Habebantur autem inundationes lacus Albani inter ostenta admodum tristia: et conferendus Cicero, de Divinat. lib. I, cap. 100: «Quid? quod in annalibus habemus, Veienti bello, quum lacus Albanus præter modum crevisset, Veientem quemdam ad nos hominem nobilem profugisse, eumque dixisse, ex fatis, quæ Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret, etc.» Ed.

In Græcostasi[6], et comitio[7], sanguine fluxit[8]. Exquiliis equuleus[9] cum quinque pedibus natus. Fulmine pleraque decussa. Hostilius Mancinus[10] consul in portu Herculis quum conscenderet navem, petens Numantiam, vox improviso audita: Mane Mancine. Quumque egressus, postea navem Genuæ conscendisset, anguis in navi inventus e manibus effugit; ipse consul devictus[11], mox Numantinis deditus.

6. *Græcostasi.* Loco in foro romano, qui memoratur et P. Victore, item Tullio, lib. XI, ad Q. Fr. Ep. 1. Qualis fuerit, ac unde nomen hoc acceperit, declarat Varro, lib. IV, istis verbis: *Sub dextra hujus* (Curiæ Hostiliæ), *a comitio locus substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad senatum essent missi. Is Græcostasis appellatur a parte, ut multa.* Quando ait *a parte*, debet intelligi *nationum*, solis nempe Græcis, quum tamen pertineret ad nationes omnes. S.

7. *Et comitio.* Loco vicino, quod ex Varronis verbis antea productis manifestum est. S.

8. *Sanguine fluxit.* Genus singulare loquendi, *fluxit sanguine in comitio:* ponitur enim illud *fluxit* per se quasi; nam revera est ellipsis; quum integre sit: *fluxit flumen de sanguine;* atque *flumen de sanguine*, idem est, atque *flumen sanguinis.* Etiam Valerius Maximus, lib. I, cap. 6, § 5, sic est locutus, sicut quidem verba ejus citat Gronovius ad Livii lib. XXII, cap. 1. Ita enim habent, *Cærites aquas sanguine fluxisse dicebatur.* Nam vulgati una voce auctius legunt, *sanguine mistas;* quomodo et Livius ipse dicto loco. Vide cap. seq. S.

9. *Equuleus.* Ita quoque scribi oportet in Onomast. Græco-Lat. Col. 45. *Equuleus, equulus*, ἱππάριον. Vulgo *equileus.* Oud.

10. *Hostilius Mancinus.* Habet eadem Val. Max. lib. I, cap. 6, ext. 7; Epit. lib. LV. S.

11. *Consul devictus.* Vide Epitom. Livian. LV. Adde et LVI. S.

LXXXIV. (23.) *L. Furio*[1], *Atilio Serrano*, *coss.*— U. C. 616. — A. C. 136.

Rhegium pene totum incendio consumptum sine ullo humanæ fraudis, aut negligentiæ[2] vestigio. Puer ex ancilla

LXXXIV. 1. *L. Furio*, etc. Lege cum Onuph. Panv. lib. I, Fast. p. 147, et Pigh. Ann. tom. II, p. 499. *P. Furio, S. Atilio Serrano.* Apud Ciceronem etiam, lib. III Off. cap. 30, prænomen Furii corruptum est. Oud.

2. *Sine ullo humanæ fraudis, aut*

quatuor [3] pedibus, manibus, oculis, auribus, et duplici obscœno natus. Puteolis in aquis calidis rivi [4] manarunt sanguine. Fulmine pleraque dejecta. Puer [5] aruspicum

negligentiæ. Unde scilicet, ac ex quibus causis duabus alias incendia oriuntur, ut reliqnum nil fuerit, quam prodigiose factum colligere. S.

3. *Puer ex ancilla quatuor pedibus*, etc. Hoc accidisse anno seq. refert Orosius, lib. V, cap. 6: *Romæ puer ex ancilla natus est quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, natura virili duplex*. F. *Duplici*, ut hic *duplici obscœno*; cap. 113, *duplici natura*; cap. 111, *puella gemina fœminea natura*. Oud.

4. *In aquis calidis rivi*. Paulo aliter hæc intellexisse Freinshemius videtur, quam verba ipsa volunt; ita namque ista extulit in Supplemento suo, lib. XXI: *Sanguis Puteolis inter rivos aquarum calidarum fluxit*. At Noster in aquis illis calidis vult fuisse rivos, id est, tenues fluores. Ita namque Festus *rivos* explicat. Forte illud *manat sanguine* suspectum habuit, quum dicendum esset, vulgoque diceretur, *manant rivi sanguinis*. Sed *rivi sanguine* per ellipsin suut *rivi de sanguine*. Ita supra, cap. præced. *fluxit sanguine*; ubi vide. Adde cap. 86, not. 17; c. 109, not. 5. Sch.

5. *Dejecta, puer*. Distinctio vitiosa: post *dejecta* enim punctum collocandum. Porro *puer* iste non est alius, quam is cum pedibus quatuor, cujus supra mentio est facta. Scheff. Deesse hic quædam videntur, ut *semimas*, vel simile quid, ant cum VV. DD. Scheffero, et Freinshemio, in Supplem. lib. XXI, cap. 1, illud est intelligendum de puero ex ancilla nato, atque adeo illi narrationi aduectendum, deleta voce *puer*. Nisi malis pro *puer* legere *bubo* ex cap. seq. Hanc autem monstrorum cremationem, et cineris in mare projectionem jam olim Græci adhibuerunt. Quod patet ex Theocriti Idyll. (Herculiscus inscript.) v. 89:

> Καῖε δὲ τώδ' ἀγρίῃσιν ἐπὶ σχίζῃσι δράκοντε
> Νυκτὶ μέσᾳ, ὅκα παῖδα κανῆν τεὸν ἤθελον αὐτοί.
> Ἦρι δὲ, συλλέξασα κόνιν πυρὸς ἀμφιπόλων τὶς,
> Ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα, etc.

Oud. Librarius, quum scripsisset *obscœno natus*, ex oscitatione et negligentia putavit, se scripsisse in *mare dejectus* (quod facillimum fuit, quum et *natus* et *dejectus* in *tus* desinunt), et ideo sequentia verba *Puteolis in aquis*, etc. addidit, nec prius animadvertit errorem, quam veniret ad vocem *fulmine pleraque dejecta*. Ne quid igitur omitteret, verba *aruspicum jussu*, etc. alieno loco inseruit, et perspicuitatis caussa, ut lector sciret, quorsum ista verba pertinerent, repetiit vocem *puer*. Series igitur verborum in MS. ex quo exemplum suum descripsit, hæc erat: « Puer ex ancilla..... duplici obscœno natus, aruspicum jussu........... in mare dejectus. Puteolis in aquis.... Fulmine pleraque dejecta. Ab Achæis, » etc. Vid. cap. LVI, not. 9.

jussu crematus, cinisque ejus in mare dejectus. Ab Achæis[6] exereitus romanus cæsus.

6. *Ab Achæis.* Falsum id est. Quare Pigh. Ann. tom. II, p. 500, legit *Vardæis*. *Ardiæi* enim, vel *Ardyæi*, et per pleonasmum τοῦ Σ, *Sardyæi* (quod non mutare ubique debuerunt H. Valesius, in Excerpt. Peiresc. pag. 85, et L. Holstenius ad Stephan. pag. 284). Illyrici vel Dalmatiæ populus, dicti etiam sunt *Vardæi*. Atque ita scribendum esse opinor apud Strabonem, l. I, p. 315, ed. Paris. (et pag. 485, ed. Amst. Janson. ab Almeloveen) ΟΥΑΡΔΑΙΟΥΣ δὲ οἱ ὕστερον ἐκάλεσαν τοὺς Ἀρδιαίους: non ΟΥΑΡΑΑΙΟΥΣ, quod nusquam se legisse testatur magnus Casaubonus. Veruntamen hi Vardæi, anno seq. a cos. Fulvio Flacco subacti sunt; Epit. Liv. LVI. Quare forsan melius scribas *a Vaccæis*, populo Hispaniæ, a quibus hoc anno cladem accepit procos. M. Æmilius Lepidus; Liv. ibid. Oros. lib. V, cap. 5. Millies *b* pro *v* in MSStis reperiri monent ubique viri docti. Ne autem aliquid dissimulem, postea deprehendi locum Strabonis ante me jam correctum esse ab J. F. Gronovio ad Liv. l. XXVII, cap. 30. Oud.

LXXXV. (24.) *Servio Flacco, Q. Calpurnio, coss.* — U. C. 617. — A. C. 135.

Mons Ætna majoribus solito arsit ignibus. Romæ puer solidus posteriore naturæ parte[1] genitus. Bononiæ[2] fruges

LXXXV. 1. *Solidus posteriore naturæ parte.* Honesta locutio et elegans. *Natura* generatim, quidquid suo nomine honeste satis nominari non posset. Hinc *naturæ pars posterior*, opposita *parti anteriori*, hoc est illi, qua discriminatur sexus, et est ea, per quam alvi fæces egeruntur. Ea pars hic *solida* vocatur, quum est impertusa, sineque foramine, per quod exeant fæces. S.

2. *Fruges*, id est, frumenta vel legumina. In has duas namque species dividuntur fruges, sic ut significent, quidquid vel frumentum est, vel legumina. Plinius, lib. XVIII, 7: « Natura nunc indicabitur frugum. Sunt autem duo prima earum genera, frumenta, ut triticum, hordeum; et legumina, ut faba, cicer. » Ac sæpe quoque Cicero fructibus opponit, qui gignuntur in arboribus; velut, de Senectute 5: « Sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum, et tanquam in arborum baccis, terræque frugibus maturitate tempestiva, quasi vietum, et caducum. » Aut, de Div. lib. I, 116: « Nec fruges terræ [natura], baccasve arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus et conditiones tradidisset. »

in arboribus[3] natæ. Bubonis vox[4] primum in Capitolio, dein circa urbem audita. Quæ avis, præmio posito, ab aucupe[5] capta, combustaque; cinis ejus in Tiberim dispersus[6]. Bos loquutus. In Numantia[7] res male gestæ; exercitus romanus oppressus.

3. *In arboribus.* Non convenit, quod habet Plinius, lib. XVIII, cap. 18 : « Frugibus ostentum semel, quod quidem invenerim, accidit, P. Ælio, Cn. Cornelio coss. quo anno superatus est Annibal. In arboribus enim tum nata produntur frumenta. » Dicit, semel tantum nata frumenta in arboribus, idque, quum victus esset Annibal. At hoc, quod Noster memorat, longe post accidit. Atqui Plinius saltem vidit Livium, quippe cujus ipse passim testimonium adducit : ex ipso vero tantum non omnia transcripsit Obsequens. Quid dicemus? an oblivio hæc fuit Plinii, an oscitantia? SCHEFF. Orosius, lib. V, cap. 6 : *In Bononiensi agro fruges in arboribus natæ sunt.* Vid. infra, cap. XC.

4. *Bubonis vox.* Plinius, lib. X, cap. 12 : « Bubo funebris, et maxime abominatus, publicis præcipue auspiciis; deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam et inaccessa. Noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Itaque in urbibus aut omnino in luce visus, dirum ostentum est. » S.

5. *Præmio posito ab aucupe.* Perperam : nec enim auceps præmium posuit, sed consul vel senatus. Distingue igitur, *præmio posito, ab aucupe capta.* Illud *præmio posito* est elegans, pro *præmio proposito, constituto, promissa.* Phædr. l. I, fab. 14 : *Hoc bibere jussit ipsi posito præmio.* Ubi vide, quæ notavi. (Conf. Drakenborch. ad Sil. Ital. lib. XVI, v. 459.) Distinctionem post *aucupe* etiam Argentoratensis editio non agnoscit. S.

6. *Dispersus.* Id est, *sparsus, conjectus.* Compositum pro simplici. S.

7. *In Numantia.* Hoc non intelligo. Numantia urbs fuit; qui ergo rem male gerere debuit in ipsa, eum oportuit in ipsa quoque esse constitutum. At Romani non erant constituti in ipsa, verum ipsam tenuerunt obsessam. Res ex Flori lib. XI, c. 18, est certissima. Scribendum ergo potius erat, *ad Numantiam.* Quoniam tamen nimium a se diversa sunt *in* et *ad*, nec in his error commissus videri potest, suspicor, fuisse quondam *in Numantiam*, quod quia non intelligebant, mutatum esse in eum modum, qui nunc habetur in vulgatis. Est autem *in Numantiam* idem, ac *in Numantinos*, sive *contra Numantinos*, sensu convenientissimo et verissimo. Historiam alias tangit et Epit. Liv. LVI. SCHEF. *In Numantia* significat, circa Numantiam : quomodo sæpissime loquuntur auctores Græci et Latini. Vid. de hoc loco I. Perizon. ad Ælian. Var. Hist. lib. XI, 25, et lib. XII, 57. Heins. *Numantiæ.* Oudendorp. Adde ad cap. CX, not. 2.

LXXXVI. (25.) *P. Africano, C. Fulvio, coss.* — U. C. 618. — A. C. 134.

In Amiterno sol noctu visus, ejusque lux[1] aliquandiu fuit visa. Bos loquutus, et nutritus publice. Sanguine pluit. Anagniæ servo tunica arsit, et intermortuo igne[2], nullum flammæ apparuit vestigium. In Capitolio nocte avis[3] gemitus simileis hominis[4] dedit[5]. In æde Junonis Reginæ[6] scutum ligusticum[7] fulmine tactum. Fugitivo-

LXXXVI. 1. *Ejusque lux.* Seorsum, etiam quum sol ipse amplius non conspiceretur. Ita puto, locum hunc accipiendum. Sunt enim duo distincta, solem videre, et videre lucem. Ideo sæpe lucis visæ noctu fit mentio, ubi nulla solis. Noster infra, c. CIV: *In Gallia in castris lux nocte fulsit.* Plinius, lib. XI, c. 33: « Lumen de cælo noctu visum est, C. Cælio, Cn. Papyrio coss. et sæpe alias, ut diei species noctu luceret. » S.

2. *Intermortuo igne.* Extincto, cessante; eleganter. Sic est apud Plinium, *ignis interiisse creditus*, lib. XXXVI, cap. 27; et apud Ciceronem, III, de Nat. Deor. c. 14, extr.: *Ignem interiturum esse, nisi alatur.* S.

3. *Nocte avis.* Quænam? non solet Noster sic indefinite loqui. Puto scribendum *nocte noctua avis.* Illud *noctua*, quod esset pæne idem cum præcedenti *nocte*, tamquam supervacuum, scribi omissum est. Scheff. Posset simpliciter legi *noctua avis:* vel, si conjecturis licet indulgere, *otis avis:* quæ avis bubone minor est, noctua major. Vid. omnino G. J. Vossium in Etymol. et Munckerum ad Anton. Liber. c. XXIV. Forsan etiam nihil mutandum est, et per avem intelligenda aliqua avis ignota (ut scribit infra), quæ per noctem non potuerit dignosci. *Noctuam* fuisse, scribit quoque Freinshemius in Supplement. lib. XXI, cap. 41. Oud.

4. *Hominis.* Basil. II; Antv. II, *hominibus.* Quod non est spernendum. Neque de hac locutione exempla ut afferam, necesse est. Invenire illa diligens lector potest in J. F. Gronovii Observ. lib. IV, c. 8, et ad Livii Epitom. XLVII, aliisque in locis. Adde cl. Perizon. ad Sanctii Minerv. lib. IV, cap. 7, pag. 700, etc. Heinsius hic legendum conjecerat *humanis*, quod voluisse etiam videtur Freinshemius, loco citato. Oud.

5. *Dedit.* Simplex pro composito *edidit.* Virgil. lib. I, Æn. v. 479: Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo. Schefferus.

6. *Junonis Reginæ.* Quæ fuit in regione decima tertia Urbis, uti constat ex Victore. Hanc enim puto intelligere, non aliam, etsi essent ædes plures extra Urbem, in quibus hoc cognomento colebatur. S.

7. *Scutum ligusticum.* Captum e Liguribus in bello, quod cum eis fuit, et suspensum in templo, ex more. Solebant enim spoliis ho-

rum bellum[8] in Sicilia exortum. Conjuratione servorum Italia oppressa[9]. Tiberius Gracchus[10] legibus ferendis[11] occisus. Proditum est memoria[12], Tiberium Gracchum, quo die periit, tristia neglexisse[13] omina, quum domi, et in Capitolio sacrificanti dira portenderentur, domoque exiens, sinistro ad limen offenso pede, decusserit pollicem[14], et corvi fragmentum tegulæ ante pedes ejus projecerint[15]

stium ornare templa suorum deorum. Meminit Val. Max. lib. VII, cap. 6, § 1 : « Cannensis clades adeo urbem nostram vehementer confudit, ut M. Junii opera, dictatura rempublicam administrantis, spolia hostium affixa templis, deorum numini consecrata, instrumento militiæ futura, convellerentur. » S.

8. *Fugitivorum bellum.* De quo Epit. Liviana libri LVI; Diodorus in Excerptis Peiresc. pag. 363, et alii. S.

9. *Oppressa.* Heins. *pene oppressa.* Oud.

10. *Tiberius Gracchus.* Quorumdam annorum acta in hoc capite recensentur. Quod facile quis historias persequens videbit. Nam Gracchus occisus est ann. Urb. cond. DCXX, et servi sunt comprehensi ann. Urb. cond. DCXXII. Oud.

11. *Legibus ferendis.* Id est, in ferendis legibus, in ferendo leges, quum ferret leges. Ita Cicero, de Senect. cap. 7 : *His enim ipsis legendis in memoriam redeo mortuorum.* Adde Sanctium, lib. I, c. 15, p. 147, et ibi Perizon. not. 8. Leges autem, quas intelligit, agrariæ sunt, de quibus, ut et de cæde Gracchi Florus, lib. III, cap. 14, et qui ad eum citantur. Adde Liv. ep. LVIII. S.

12. *Proditum est memoriæ.* In codice Argentoratensi est *memoria*, quod non debuit mutari. Cæsar, Bell. Gall. lib. V, cap. 12 : *Quos natos in insula ipsi memoria proditum dicunt.* Scheff. — *Memoria.* Ita scribo cum cl. Scheffero, et ed. Ald. cæterisque antiquis. Sic etiam apud Plinium, lib. XI, cap. 87 : *Memoriæ produntur enatæ.* MSS. quidam habent *memoria.* Utrumque autem suos auctores invenit. Oud.

13. *Neglexisse.* Tanquam nullum habitura eventum, aut ad se non pertinentem. Est autem *negligere* oppositum τοῦ *procurare*, quum omittuntur sacrificia, per quæ ira mitigari posset divina, et eventus ominis malus averti. Contra enim quum fit, *procurari omina* dicuntur, genere locutionis proprio et vere solenni. S.

14. *Decusserit pollicem.* Sede sua naturali emoverit, luxaverit; hoc enim hic intelligendum puto. Hyginus *ejicere* usurpat, nisi fallor, sensu simili. Vide, quæ in ejus indice a nobis notantur. Scheff. Hygin. fab. 57 : *Coxas ejecisse dicitur*, sed Munckerus ad hunc locum legit *elisisse*, id est, *fregisse*. Valer. Max. lib. I, cap. 4, § 2 : *Ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur.*

15. *Projecerunt.* Mallem *projecerint*, ut respondeat præcedentibus : quanquam non ignorem, hujus ge-

ex stillicidio. In lacu Romano[16] lacte rivi[17] manarunt. Lunæ terra quatuor jugerum spatio in profundum abiit[18], et mox de caverna lacum reddidit[19]. Ardeæ terra pluit. Minturnis lupus vigilem laniavit, et inter tumultum effugit. Romæ bubo et alia avis ignota visa. In æde Junonis Reginæ, clausis per biduum valvis, infantis vox audita. Scuta novo sanguine[20] maculata. Puella quadrupes nata. In agro Ferentino androgynus natus, et in flumen dejectus. Virgines ter novenæ canentes[21] Urbem lustraverunt. In Italia multa millia[22] servorum, quæ conjuraverant,

neris non pauca etiam apud optimos scriptores reperiri. Cæterum historia legitur et apud Valerium Max. lib. I, cap. 4, ext. 1. SCHEFF. Pariss. *projecerint*, ut recte hoc loco puto emendasse cl. Schefferum. OUD.

16. *Lacu Romano.* Hunc locum alibi non invenio. Suspicor esse eumdem, et qui Sexto Rufo in regione Urbis prima est *lacus publicus.* SCHEFF. Aliquo scilicet sine nomine, quales multi apud Victorem occurrunt. OUD.

17. *Lacte rivi.* Nihil hic mutandum. Ita supra *rivi manarunt sanguine*, cap. LXXXIV; ubi vid. S.

18. *In profundum abiit.* Subsedit ita, ut relinqueret foveam profundam. Infra, cap. CX: *Hiatu terra alte subsedit.* S.

19. *De caverna lacum reddidit.* Cavernam intelligit, quam terra subsidens reliquerat; ex ea, inquit, provenit aqua, et in terræ successit locum. Ita terra, quæ abierat, velut in vicem suam reddidit lacum; eleganter. S.

20. *Novo sanguine.* Nam et ante maculata erant in prælio, quum eriperentur hosti, quo sic sanguinolenta suspensa in illo templo. *Novo* itaque est *recenti*, non illo veteri hostili. Observa autem, suspendi consuevisse arma hostibus erepta sic sanguine hostili respersa. SCHEFF. —*Scuta novo.* Heinsius legit *scuto ignoto;* Cuperus *scuta nova.* Cl. Burmannus amplectitur Schefferi explicationem, quibus et ego assentior. Nam per novum hunc sanguinem, quo nunc iterum scuta, quæ olim sanguine hostili adspersa in templo erant suspensa, maculabantur, moles ingentis belli portendebatur. Vide cap. CXXI. Huic similia prodigia sunt, si hastæ et arma sua sponte movebantur, aut dii sanguinem sudabant, ut unicuique satis est cognitum. OUD.

21. *Virgines ter novenæ canentes.* Carmen peculiare, quod seorsum hoc fine docebantur. Ibant autem per urbem, longas indutæ vestes, præcedentibus hostiis et signis deorum, sequentibus decemviris coronatis: cantus incitabatur pulsu pedum; hostiæ immolabantur certo loco. Vide Livium, lib. XXVII, cap. 37, et infra ad cap. CIV.

22. *Multa millia.* De hoc et sequenti bello consulendus Florus in historia. S.

ægre comprehensa, et supplicio consumpta. In Sicilia[23], fugitivi Romanos exercitus necaverunt. Numantia diruta.

23. *In Sicilia.* Vide Livii Epitomen LVIII. SCHEFFERUS.

LXXXVII. (26.) *Appio Claudio*, *M. Perpenna*[1], *coss.* — U. C. 622. — A. C. 130.

Reate mulus cum quinque pedibus natus. Romæ in agro Cortasi[2] lacte pluit. Lupus et canis Hostiæ pugnantes, fulmine exanimati. Grex ovium in Apulia; prætor[3]

LXXXVII. 1. *A. Claudio, M. Perpenna.* Lege *C. Claudio, M. Perperna.* Vide Onuphrium Panvinum, lib. I, Fast. p. 148, et Pigh. Ann. tom. III, p. 18. OUD.

2. *Cortasi.* Hoc fœdissime depravatum nomen illius, ad quem ager spectabat, quod in defectu historiæ nobis emendare, ac integritati suæ reddere difficile. *C. Orthii*, vel *C. Ortali* accederet proxime; sed tales nulli illis temporibus leguntur. SCHEFF. Scribebam *Græcostasi*. Cap. LXXXIII: *In Græcostasi et comitio sanguine fluxit.* Cap. LXXXXI: *In Græcostasi lacte pluit.* Atque ita Munckerum quoque emendasse ad Lactant. Argum. Metam. Ovidii, l. VI, fab. 3, postea deprehendi. Ne tamen hoc in textum recipiam, in caussa est N. Heinsii auctoritas, qui margini sui libri etiam adscripserat *C. Ortali.* Probare tamen id nequeo. Fateor quidem, *agrum C. Ortali* dici posse, ut *ager L. Petillii*, *ager Aurelii*, etc. Verum nusquam hujus nominis fit mentio, quod sciam, ante M. Ortalum, Hortensii nepotem, de quo agunt Torrent. ad Sueton. Tiber. cap. XLVII, et Is. Vossius ad Catull. cap. LXVI, qui *Hortalum* legit ex MSStis. OUDENDORP. Quid si pro *Cortasi* legas *Corn. Sc.* i. e. *Cornel. Scipionis*, qui M. Aquilio, C. Sempron. coss. in lectulo repertus est mortuus? Vellei. lib. XI, cap. 4, § 5. *Corn.* facile potuit mutari in *Corta*, et vox sequens *Sc.* in *Si*, et adjungi præcedenti *Corta.* Tunc ab imperito librario scriptum est *Cortasi.* Nec mirum est, nomen *Corn. Scip.* fuisse per literas initiales tantum scriptum, quum id librariis familiare fuit, præsertim in vocabulis ubivis obviis, et cuilibet notis. Sic e. g. supra, cap. LXXV, scriptum est *Scordis* pro *Scordisci*; et infra, cap. CXIV, *Urbi* pro *Urbini*: vid. cap. CIV, not. 11. Sic etiam mihi videtur restituendus locus male sanus apud Ampelium, cap. XLVII, ubi in lemmate legendum *CIV*, i. e. *CIVES*, quum vulgo ibi scriptum sit *CCIV*, nullo sensu.

3. *Prætor populi romani.* Quid prætori cum grege ovium? Conjeceram *pastor P. R.* Apulia enim frequens ovibus et pastoribus erat. Unde apud Cicer. Catil. III, c. 6:

populi romani uno ictu fulmine[4] exanimatus. Terracinæ sereno navis velum fulmine tactum[5], in aquas[6] dejectum; et impensas omneis[7], quæ ibi erant, ignis absumpsit.

« In M. Cæparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam erat indicatum. » Vid. inf. cap. XCI. Sed quia probandum erat, populum romanum hic publicos habuisse pastores, nihil muto. Potuit exanimari prætor una cum grege ovium, dum forte locum, ubi grex ille pascebatur, præteriret. Videndum tamen, an in vocibus *pop. rom.* non lateat nomen urbis, et *prætor* mutari debeat in *propter*. Certe *Hyrium* et *Arpi* sunt Apuliæ urbes. *Arporum* meminit Noster, cap. XC. OUDENDORP. Hæc verba in mendo cubare cum Oudendorpio puto. An ita restituenda? « Grex ovium in Apulia præter pastorem et canem ictu fulminis exanimatus. » Saltem hæc habent bouum sensum, nec longius abeunt a lectione vulgari; et cap. XCI, apud Obsequentem etiam legitur: « Grex ovium cum cane et tribus pastoribus exanimatus. » Viderint alii.

4. *Fulmine*. Mallem *fulminis*; nam *ictu fulmine* vix convenit. Quamquam forte statuamus rectius, illud *fulmine* intrusum esse ex glossa, vocabulo repetito ex superioribus. SCHEFF. Scribe *ictu fulminis* cum Scheffero. Cicero, lib. III de Offic. cap. 25: *Ictu fulminis deflagravit*. Oros. lib. V, cap. 15: *Ictu fulminis exanimata*. Infra, cap. CIII: *Fulminis ictu vultures exanimati*. OUDENDORP. Oros. lib. IV, cap. 4, *ictu fulminis dissoluta*. Sextus Rufus, cap. 24, *fulminis ictu interiit*.

5. *Fulmine tactum*. In Argentoratensi est *fulmine exanimatum*. Quod quum manifeste ineptum esset, fecerunt *fulmine tactum*. Mihi non est dubium, quin *fulmine exanimatum* sit intrusum ex superioribus, et idcirco neque hoc, neque illud locum hic inveniat, sed utrumque delendum scribendumque, *navis velum in aquas dejectum*. SCHEFF. Ald. et omnes Edd. antiquæ *fulmine exanimatum*, quæ male delet clariss. Scheffer. Melius meo judicio Pigh. lib. III Ann. pag. 18, legit *fulmine inflammatum*; et Scaliger, conjiciens *exarmatum*. Forsan fuit *navalem fulmine exanimatum*, etc. Cl. Munckerus ad Lactantii Argum. Ovid. Metam. lib. VI, F. 3. reponit *navalem fulmen exanimavit, in aquas dejectum*. Oudendorp. Barth. ad Stat. Theb. lib. V, v. 86, hunc locum ita adducit: « Sereno navis velum fulmine in aquam dejectum, » cui malim assentiri. Nam librarius facile potuit *exanimatum* ex superioribus inserere, quum vox *fulmine* bis præcedat, *fulmine exanimati*, et *fulmine exanimatus*.

6. *In aquas*. Ald. Asul. Pariss. aliæque *in aqua*. Sic, cap. LXXI, *in consessu misit*; et in hoc cap. *in cella allapsi*. De hoc autem loquendi genere egerunt multi viri docti; sed inprimis stupendæ doctrinæ vir, Claud. Salmasius in Plin. Exercit. pluribus locis. OUDEND. Barth. *in aquam*.

7. *Et impensas omneis*. Has vero impensas ego non intelligo, nec a

Publius Crassus[8] adversus Aristonicum dimicans, occisus. Apollinis[9] simulacrum lacrymavit per quatriduum. Vates portenderunt[10], Græciæ fore exitium[11], unde deductum

quo, aut quos in usus sint factæ. Num legendum, *res impositas omnes?* quod sit sermo de prædictæ navis onere. Verum abeunt hæc longius, nec mihi ipsi satisfaciunt. Divinent, quibus ingenii vis est major, major animi sagacitas. SCHEFFER. Pighius ibidem : *Et in ea pisces omnes, q. inibi e.* Minori mutatione legi posset *et una p. o. q. i. e.* ut intelligantur pisces in mari, non in navi. Vid. cap. 89. Sed de piscibus hic agi, non credo. Scaliger interpretabatur *impensas* per ἐνθήκην. Hinc mihi conjectura nata est, an non ipsum hoc vocabulum usurparit Noster. Nam invenitur etiam apud latinos auctores, quod notatur a doctiss. Kuhnio ad Pollucem, lib. I, §. 99. Neque alienus a Græcis vocibus fuisse Obsequens videtur, ex cap. CXVI: *Stratopedo, Peiræum.* OUDENDORP. Perplacet sententia Burmanni ad Ovid. Heroid. VII, v. 118: male Schefferus, inquientis, *res impositas omnes*, audaci conjectura restituit. *Impensæ navis* sunt ornamenta, vel armamenta, quibus instructa fuit navis.

8. *P. Crassus.* Leguntur hæc in Epit. Liviana libri LIX; Strabone, lib. XIV, pag. 646 (edit. Par. et pag. 957, ed. Amst.); Velleio, lib. XI, cap. 4; Justino (lib. XXXVI, cap. 4), atque aliis. SCHEFF. Jam procos. et decedens ex Asia, quo anno præcedente consul profectus erat. Ita locus hic capi debet. Vide Oros. lib. V, cap. 10; et Vellei. lib. XI, cap. 4, atque ibi G. Vossium. OUD.

9. *Apollinis.* Cumæi sive Cumani, ut nos docet B. Augustinus, lib. III, Civ. D. cap. 11; ubi habet totam hanc historiam. Cæterum, quomodo fieri hoc possit, refert Plutarchus in Coriolano, p. 232, edit. Francf. S.

10. *Vates portenderunt.* An scribendum *prodiderunt?* res enim et signa portendunt, non vates. Cicero tamen etiam de diis: *Quum dii principibus periculum portendunt;* in de Arusp. Resp. cap. 25. (Vid. quoque Claudian. in Eutrop. lib. I, v. 14: *nova portendunt superi*, et Drakenb. ad Sil. Ital. lib. XVI, v. 592, p. 834: *Id monstrare deos, atque hoc portendere signis.*) Sed fors. ratio peculiaris est in diis, quia signa et portenta faciunt. Certe apud alios de hominibus usurpatum vix invenies. Ac fortasse unicus est Virgilius, qui lectionem Nostri vulgatam poterit tueri. Sic enim habet in III Æn. v. 184, de Cassandra :

Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro.

SCH. Munckerus ad Lact. Arg. Met. lib. VI, F. 3, *responderunt*, quod et mihi in mentem venerat. Nihil tamen muto. Forsan dixit Auctor *vates portendunt;* ut, contra, Justin. lib. XXXVII, cap. 2, *ostenta prædixerunt*, et alii. Neque ab Obsequente tam accurata optimæ latinitatis observatio petenda est. OUD.

11. *Græciæ fore exitium.* Mira locutio, *est exitium Græciæ*, pro,

esset. Sacrificatum tum a Romanis, donaque in templo posita. Phrygia recepta. Asia[12] Attali testamento[13] legata Romanis. Antiocho regi Syriæ ingenti exercitu dimicanti[14], hirundines in tabernaculo[15] nidum fecerunt: quo prodigio neglecto, prælium commisit, et a Parthis occisus est. M. Fulvii Flacci triumviri dissensione in legibus

Græcia venit in *exitium*, adducitur in *exitium*. Neque satis persuadere mihi possum, Obsequentem ita scripsisse. Putem potius, vocem *exitium* esse compendium vocabuli *exitiosum*, ac scribendum, *Græciæ fore exitiosum*, id scilicet, quod simulacrum Apollinis lacrymavit. SCHEFF. *Exitium* non debuit mutari in *exitiosum*. Simulacrum exitium est Græciæ, quando Græciæ est exitiosum, et causa exitii; quomodo sæpissime talia ponuntur. De hac ipsa voce consule virum acerrimo ingenio, et maxima eruditione præditum, Rich. Bentleium ad Horat. lib. I, Od. 15, v. 11.

Non Laertiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Nestora respicis?

Si quid mutandum sit, mallem potius *exitio*, quam *exitiosum*. Justin. lib. XLIII, cap. 4. «Massiliam exitio finitimis populis futuram.»

12. *Recepta. Asia*, etc. Male hæc distinguuntur. Scribendum est *recepta*, *Asia legata*. Vel excidit conjunctio *atque*. Non enim hoc anno Asia legata est, sed A. DCXX. Verum hoc demum tempore recepta ac Romanorum facta est, Aristonico victo. Vide præter alios Ep. Liv. LVIII, c. 59; Oros. lib. V. c. 8, 10. Oudendorp. Basil. 2, *recepta*, *Asia Attali testamento legata Romanis*.

13. *Attali testamento*. Vide Justinum lib. XXXVI, cap. 4, et ibi citatos. S.

14. *Dimicanti*. Id est *dimicaturo*: c. LXXVI, *proficiscens*: cap. XCI, *leges ferente*, ubi vide. OUD.

15. *Hirundines in tabernaculo*. Consule, quæ habet Ælianus, lib. X Hist. Animal. cap 34, et interpretem ipsius ex his Nostri emenda: exemplis quoque ipsi allatis adde hirundines in nave Cleopatræ nidificantes apud Plutarch. in Anton. pag. 944, ed. Francf. S. Fiebat autem auguratio ex hirundinibus, easque sensu quodam rerum futurarum præditas credebant veteres, quia æstivo tempore præsto sunt, ante frigus recedunt. Unde oratores quoque et poetæ sæpe, alio sensu, ad eas allusionem faciunt, per translationem similitudinis: Ita falsi amici sereno vitæ tempore ad manum sunt; simul atque hiemem fortunæ viderint, devolant omnes. Vide auctor. ad Her. lib. IV, cap. 48. De hirundinibus hæc quoque habet Plinius, Hist. Nat. lib. X, cap. 24: «Abeunt et hirundines hibernis mensibus, sola carne vescens avis ex iis, quæ aduncos ungues non habent; sed in vicina abeunt, apricos secutæ montium recessus: inventæque jam sunt ibi nudæ atque deplumes.» Eas, ait Turn., alligato filo victoriæ indicio ad suos dimittebant veteres. ED.

ferendis[16], angues duo nigri in cella Minervæ[17] allapsi[18], civilem cædem[19] portenderunt.

16. *Dissensione in legibus ferendis.* Quum esset dissensio illius, quum dissentiret. Intelligit autem dissensionem eam, qua ipse cum duobus collegis C. Graccho et C. Carbone dissidebant a consulibus et senatu propter leges agrarias et divisionem agrorum a Graccho institutam. Vide Velleium, lib. XI, cap. 6; Epitomen Livianam, l. LIX; Florum in seditione gracchana, et alios. S.

17. *In cella Minervæ.* Quæ fuit in Capitolio. Vide Rycquium, cap. XIII. S.

18. *Allapsi.* Proprie de serpentibus. Livius, lib. XXV, cap. 16: « Ad exta, sacrificio perpetrato, angues duo ex occulto allapsi. » Valer. Max. lib. I, cap. 6, ext. 8: « Diligentius asservatis extis, neque allapsus serpentum arceri, neque fuga impediri poterat. » SCHEFF. Male Edd. Scheffer. et Angl. *elapsi*, typographorum, credo, vitio. Horat. Epod. I, vers. 20:

Serpentium adlapsus. OUD.

19. *Civilem cædem.* In seditione gracchana propter leges agrarias factam. S.

LXXXVIII.[1] *Cn. Octavio*, *T. Annio Rufo*, *coss.* — U. C. 624. — A. C. 128. Lycost.

* Multa intra et extra Urbem de cælo tacta. Reate mula peperit. Frusinone ex ancilla puer biceps natus. Fax ardens in cælo visa, et bubonis vox in urbe audita. Cære sanguine pluit, ac gallus gallinaceus quinque pedibus inventus. Bella inter Antiochum, Syriæ regem, et Phraartem, Parthorum regem, gesta sunt. Et res turbidæ Ægyptiorum: Ptolemæus enim Evergetes, ob nimiam crudelitatem suis invisus, incensa a Pop. Rom. regia, clam in Cyprum profugit. Et, quum sorori ejus Cleopatræ, quam ejus filia virgine per vim compressa, et in matrimonium ducta, repudiaverat, regnum a populo datum esset, infensus, filium, quem ex ea habebat, in Cypro occidit, caputque ejus, manus item et pedes, matri misit.

LXXXVIII. 1. Hoc caput abest editione Argentoratensi, et sic Aldina prima, quod notare Lycosthenes omisit; et perperam asterisco notavit caput antecedens, salvem in editione mea. SCHEFF. Interim hoc caput ab ipso Scheffero aliquoties male, tanquam Obsequentis, adlegatum est; e. g. cap. LV, et LIX.

LXXXIX. (27.) *M. Æmilio, Lucio*[1] *Aurelio, coss.* — U. C. 626. — A. C. 126.

Nocturna tempestate in Capitolio aliquot templa[2] concussa sunt. Romæ et circa fulmine pleraque dejecta sunt. Ætna mons terræ motu ignes super verticem late diffudit, et ad insulam Liparas[3] mare efferbuit[4], et quibusdam adustis navibus vapore plerosque navaleis[5] exanimavit: piscium vim magnam[6] exanimem dispersit, quos Liparenses avidius epulis appetentes, contaminatione ventris[7]

LXXXIX. 1. *Lucio. Lucilio* Basil. 1. Oud.

2. *In Capitolio aliquot templa.* Plures enim dii simul cum Jove colebantur in Capitolio, ibique templa et ædes suas habebant. Vide qui hæc omnia diligenter tradit, Rycquium, de Capitolio. S.

3. *Ad insulam Liparas.* Mallem *Liparam*. Sic enim eam vocant Pompon. Mela, XI, cap. 7; Plinius, III, cap. 9; Strabo, VI (pag. 275, ed. Par. et p. 422, seq. ed. Amst.), atque alii. Scheff. Male cl. Schefferus *Liparam* præfert. Nam λέγεται καὶ πληθυντικῶς, teste Stephano, de Urbibus (pag. 517, ed. Berkelii); ubi vide L. Holstenium, et Sam. Bochartum in Chan. lib. I, cap. 27; Oros. lib. VI, cap. 18: *Inter Mylas et Liparas.* Adde L. Ampel. cap. 36. Oudendorp. Videatur Oudendorp. ad Lucan. lib. IV, v. 404.

4. *Mare efferbuit.* Elatum est in altum. Vide Senec. II Quæst. Nat. 26; Strabonem, VI, p. 277 (ed. Par. et p. 424. ed. Amstel.). Factum id autem vi latentis ignis. Unde Plin. II, cap. 106. «In medio mari Hiera, insula Æolia juxta Italiam, cum ipso mari arsit per aliquot dies sociali bello.» Ubi narrat ea, quæ habet Strabo dicto loco. Itaque Livius, lib. XXIII, cap. 31: *Mare arsit eo anno.* Et propterea sequitur quoque apud Nostrum, *adustis navibus*. S.

5. *Plerosque navaleis.* Puta, *socios*, id est, remiges atque nautas. Vide, quæ dico in editione secunda librorum de Milit. nav. si unquam venient in lucem per temporum calamitatem. S.

6. *Piscium vim magnam.* Non multum dissimile quid memoratur Plin. lib. II, cap. 88. S.

7. *Contaminatione ventris.* Vitiosum reddidisse ventrem intelligit. Ea enim hic *contaminatio*, quæ significatio hujus vocis alibi non temere occurrit, ut opinor. Vitium porro crediderim fuisse in eo, quod continere venter nihil posset, quod alvus redderetur lubrica et soluta, eo morbi genere, quod dysenteriam vocant. Scheff. *Contagione* legit clar. Burmannus. Pro *ventris*, conjecit *veneris*, vel *inter se* Heinsius. Oud. Sed nihil mutandum, tametsi *contagio*, vocabulum sit Ciceronianum: *contagio turpitudinis*, ad Att. lib. I, cap. 13; *contagio cum corporibus*, Tusc. I, cap. 72. Ed.

consumpti[8], ita ut nova pestilentia vastarentur insulæ[9]. Quod prodigium aruspicum responso, seditionem, quæ post tempora patuit[10], portendit.

8. *Consumpti.* Ludov. Vives hæc verba ad Augustin. de Civit. Dei, a quo hoc prodigium recensetur, lib. III, cap. 31, citans, addit vocabulnm *sunt.* Cæterum Liparas piscium copia abundare, trad. Diod. Sicul. lib. V. Bibl. Histor. p. 293, ed. Rhod. Oud.

9. *Vastarentur insulæ.* Quænam? Sicilia, in qua Ætna, et Lipara. Atqui Liparenses soli piscium illa copia donati, soli gavisi epulis. An igitur scribendum, *vastaretur insula?* Schef. Non opus hic est numero singulari. Intelliguntur insulæ Æoliæ, quarum Liparæ fuere præcipuæ: Μεγίστη γὰρ αὐτῶν ἡ Λιπάρα, ἐξ ἧς, ὡς ἀπὸ μέρους προέχοντος, αἱ πᾶσαι Λιπαραίων λέγονται νῆσοι. Sunt verba Eustathii ad Dionys. Perieg. v. 461. Immo L. Ampelius in cap. 46 de Punicis bellis dicit: *Duillius cos. apud Liparas insulas.* Oud.

10. *Post tempora patuit.* Mihi admodum lectio hæc est suspecta. Quæ namque ea *tempora?* et quid est, *seditio patet?* Mallem, *post tempus apparuit.* Vitium ex eo, quoniam antique *tempos*, pro *tempus* fuit scriptum, mox verba duo juncta in unum *temposa paruit*, quod deinde iterum diviserunt in *tempora patuit.* Schef. Neque in his aliquid mutandum est. Verba hæc significant, seditionem istam post quædam tempora innotuisse, et palam factam esse. Vide auctores, quos laudat cl. Burmannus ad Phædri lib. IV, fab. 18, *post tempus dolet.* Oud.

XC. (28.) *P. Plautio*[1], *M. Fulvio*, *coss.* — U. C. 627. — A. C. 125.

In arboribus fruges natæ sunt. Oleo[2] et lacte in Veiente[3] pluit. Bubo in Capitolio visus. Arpis lapideus

XC. 1. *P. Plautio.* Scribe *M. Pl.* Vid. comment. ad Fastos, A. U. C. DCXXVIII, et J. Meurs. ad Phlegont. Trall. cap. 10. Oud. Sic enim memorantur hi coss. ad a. U. c. 628, qui erat ante Chr. nat. ann. 125:

M. PLAVTIVS HYPSAEVS
M. FVLVIVS FLACCVS

Alii quoque sunt Plautii: veluti poeta comicus, qui interdum cum Plauto solet confundi; Plautius Sylvanus, consul, A. U. 752; Plautius Lateranus, de quo vide Tacit. Annal. XV, 49 et 60; L. Plautius Venno consul, ann. Urb. cond. 425, et 432 prætor, de quo adi Livium, lib. VIII, c. 19, et 40; P. Plautius Proculus, ibid. c. 22, cos. U. C. 427: ut de Aulo Plautio aliisque taceam.

2. *Oleo.* Hoc genus pluviæ singulare, nec temere alibi legitur. S.

3. *In Veiente.* Scilicet agro. Ita supra cap. 71, *In Prænestino.* S.

imber[4] triduo apparuit. Locustarum ingentia[5] agmina in Africa; quæ a vento in mare dejectæ[6], fluctibusque

4. *Lapideus imber.* Paris. Antv. Bas. 1 (Bas. 2) *fiber.* Notum est, credo, quale animal sit *fiber*, seu κάστωρ. Sed quid erit *lapideus fiber?* F. *rapidus fiber*. Id genus animalium visus inter prodigia recensetur: ut *mustelæ visus* cap. 71. Neque, ut hujus rei exempla congeram, necesse est. Satis enim illud demonstrarunt viri docti plurimis locis, præsertim Is. Casaubonus ad Theocrit. cap. 5, et Theophrasti Charact. cap. 16, καὶ τὴν ὁδὸν ἐὰν παραδράμῃ γαλῆ. Dicitur autem *fiber apparuit*, ut cap. 65, *Vulturius non apparuit*; cap. 72: *Lupi Exquiliis apparuerunt.* Quum de lapidibus agit auctor, solita formula utitur *lapidibus pluit.* Oud. Nihil mutandum putem. *Lapideus imber* apud Ciceronem, Livium, alios, occurrit, et vox *apparere* Obsequenti familiaris est. Vide indicem.

5. *Ingentia agmina.* Deest aliquid; nam sequens *pestilentiam fecerunt* non ad *agmina*, sed ad *dejectæ* refertur. Cæterum de his locustarum agminibus videndus est Plin. lib. VIII, cap. 29. Historia memoratur et in Epitome Livii, lib. LX. Schef. Pro *ingentia agmina* Ald. Asul. Antv. Bass.: *Ingenti agmine.* Merito itaque cl. Schefferus aliquid deesse suspicatus est; quod egregie supplent Pariss. *Ingenti agmine in Africa pluit.* Si vero hoc non placet, necessario addi debet *visa*, quod cl. Burmanno in mentem venit. Vide cap. 100, 103, etc. Oudendorp. Totus hic locus, quem viri docti varie tentarunt, ita constituendus mihi videtur. Primum pro *ingentia agmina* lege *ingenti agmine*, sequutus editiones ab Oudendorpio jam nominatas, et Juntinam. Lectio *ingentia agmina* orta videtur ex eo, quod has voces editores et interpretes conjunxerunt cum sequenti *facerent*. Sed recte monuit Schefferus, verbum *facerent* referendum esse ad *dejectæ*, non vero ad *ingentia agmina*. Deinde non opus est, ut cum Burmanno, subintelligamus *visa*, nam *visa* præsupponit veritatem lectionis *ingentia agmina*; aut cum edit. Paris. *pluit*, nam *locustarum ingenti agmine in Africa* construi debet cum *hominum DCCC millia consumpta tabe proditum est.* Huic quidem explicationi obstare videtur *que* in *hominum;* sed *que* male irrepsit ex falsa constructione *hominum* cum præcedenti *pecori* (quod deinde Schefferus frustra in *pecoris* mutat), et *que* sine hæsitatione delendum, uti supra cap. 56, in *aruspicum*. Locustarum agmen fuit causa mortis; tabes vero genus morbi, quo tantus numerus hominum interiit. Tandem cum Oudendorpio voculam *et* ante *mortifero vapore* addo.

6. *Dejectæ.* *Devectæ* vel *delatæ* Heinsius. Non male. Augustinus tamen, lib. III, cap. 31, Civ. D.: « Locustarum in Africa multitudinem, etc., ingenti atque inæstimabili nube in mare dicunt esse dejectam, etc. » Oud. « Venti se dejiciunt de montibus, » habet quoque Livius, XXVIII, 6; et « fulmen cælo in terras dejectum », Virgilius Æneid. VIII, 427.

ejectæ[7], odore intolerabili[8] Cyrenis mortifero vapore[9] gravem pestilentiam fecerunt pecori[10]; hominumque DCCC millia consumpta tabe, proditum est. Fregellæ[11], quæ adversus Romanos conjuraverunt[12], dirutæ; Ligures Sallyes[13] trucidati.

7. *Fluctibusque ejectæ*, etc. Lege et distingue. « Fluctibusque ejectæ, odore intolerabili Cyrenis, et mortifero vapore gravem pestilentiam fecerunt pecori. Hominumque, etc. » Nunc autem *fecerunt. Pecoris hominumque.* Primum in genere de pecore agit, dein specialius de hominibus. Nec aliter Orosius, lib. V, cap. 11, hujus prodigii meminit. Postquam enim multa de locustis præmiserat, ait: « Tanta pestilentia consequuta est, ut avium, pecudum ac bestiarum, corruptione aeris dissolutarum, putrefacta passim cadavera vitium corruptionis augerent. At vero, quanta fuerit hominum lues, etc. » Consule etiam Augustin. Civit. Dei. Oud.

8. *Odore intolerabili.* Consule August. C. D. lib. III, cap. 31; Orosium, lib. V, cap. 11; Freculph. lib. VI, cap. 6. Adde quoque, quæ de hac re Sam. Bocharto, in de Animal. part. poster. lib. IV, cap. 5, pag. 481, observantur. S.

9. *Mortifero vapore.* Hoc suspectum habeo. Debebat saltem cum superioribus conjunctione *et* conjungi. Jam quis ille vapor mortiferus? nam quamvis constet quum ex aliorum, tum ex Tottii narratione, qui sæculo superiore medio regiones imperii turcici lustravit, odorem gravem esse admodum locustarum mortuarum, pestilentiam tamen inde gigni haud facile credas: et nonne idem præcedens *odore intolerabili?* Alterutrum ergo glossa videtur. Ed.

10. *Fecerunt pecori.* Ne hæc quidem non corrupta. Scribendum enim distinguendumque, *gravem pestilentiam fecerunt. Pecoris hominumque*, etc. Nihil certius. Scheff. vid. not. 7.

11. *Fregellæ.* Vide Livii Epit. lib. LX. Velleii lib. II, cap. 6, §. 4, qui memorat fregellas ab Opimio excisas, dum prætor erat. Ed.

12. *Conjuraverunt.* *Conjuraverant* Heinsius. Oud.

13. *Ligures Sallyes.* In Epitoma Liviana nominantur *Ligures Salvii.* Sed per *Salvios*, Salues vel Salyes intelligendi, *y* literæ mutatione in *u*, quod frequenter fit apud Latinos. Sane et Straboni, lib. IV, sunt *Salyes*, nec fortassis aliter apud Nostrum hoc loco scribendum. Quamquam altero modo scribantur et cap. 92. Scheff. An *Salyes*, an *Sallyes* sit scribendum, incertum est; neque multum interest. Varie hic populus vocatus fuit, apud Græcos quidem, Σάλυες, et Σάλλυες, Σάλυοι; apud Latinos vero, *Salyes*, *Sallyes*, *Salyi*, *Salvii*, *Saluvei.* Oudendorp. Adi Cellar. Notit. Orb. Ant. lib. II, cap. 2, sect. 3, § 113; Plinium, Histor. Natur. III, 4, prope finem, sect. 5, edit. Harduin. et III, 17, sect. 2; Livium, Epitom. lib. LX, edd. Gronovii; Florum, Hist. II, 3, et III, 3. Erant in Gallia Narbonensi, ad ostia Rhodani. Ed.

XCI. (29.) *C. Cassio Longino, C. Sextilio*[1], *coss.* — U. C. 628. — A. C. 124.

In Græcostasi[2] lacte pluit; fulmine Crotone[3] grex ovium cum cane[4], et tribus pastoribus exanimatus; Saturæ[5] vitulus biceps natus. Tumultus in urbe fuit, Graccho leges ferente[6].

XCI. 1. *C. Sextilio.* Scribe *C. Sextio Calvino.* Vide Onuph. Panv. lib. I, Fast. p. 149, et Pigh. Ann. tom. III, p. 43. Oud. A. U. 628.

2. *Græcostasi.* Dixi supra c. 83. S.

3. *Crotonæ.* Ald. (Junt.) Asul. Bas. 2, Paris. aliæque *Crotone.* Vid. supra ad cap. 74, not. 2. Oud.

4. *Cum cane.* Pastoritio videlicet, ac custode pecoris. Dicam ex professo in opusculo peculiari, de Opilione. S.

5. *Saturæ.* Latii oppidulo, cujus mentio apud Virgilium, lib. VII, v. 801, et Servium, eo loco, Silium Italicum (lib. VIII, v. 382), et alios. Scheff. Errat Cl. Schefferus, quum docere vult, *Saturam* esse Latii oppidulum ex Virgilio, et Silio Ital. nam est palus. Vide Ab. Ortelium in Thes. Geogr. et Cluver. Ital. Ant. lib. III, cap. 7, p. 992, qui hoc loco legunt *Asturæ.* Posset etiam legi *Saturniæ*, cujus urbis fit mentio, cap. 96. Atque ita libri sui margini adscripserat Scaliger, qui conjecit etiam *Satrii.* Oud.

6. *Graccho leges ferente.* Agrarias videlicet. Intelligit autem Caium Gracchum, Tiberii fratrem, de quo supra quoque. Vide Livii Epit. LXI. Scheffer. Pighius, Annal. tom. III, pag. 43, legit *fabricante*, quia non tulit leges hoc anno, sed anno seq. Verum *ferente* usurpatur pro *in animo habente ferre, laturo;* ut cap. 76, *proficiscens :* ubi vide. Vel, quod malim, duos annos suo more in uno capite Obsequens recenset. Quod jam alibi monui, et sæpe usu venict. Per *Gracchum* intelligitur hic *C.* sive *G. Gracchus.* Atque ita simpliciter sine prænomine occurrit apud Velleium et Ampelium: Malim tamen cum Ill. Nic. Heinsio credere, literam illam oscitantia librariorum excidisse. Videtur enim suo prænomine a fratre Tiberio fuisse distinctus. Vide cap. 93, et Heins. ad Vell. lib. II, cap. 2. Oud.

XCII. (30.) *Gn. Domitio, C. Fannio*[1], *coss.* — U. C. 630. — A. C. 122.

In foro Vessano[2] androgynus natus, in mare delatus

XCII. 1. *Gn. Domitio.* Junt. et Bas. 2, *Cn.* A. U. 630.

2. *Vessano, Suessano* Ortel. in Thes. Geograph. Forte *Vesciano* vel *Vescino* a Vescia Ausonum oppido. Vide Ciceron. lib. XV, ad Attic. Ep. 2: « Quinto decimo kalend. e Sinuessano proficiscens, quum dedissem ad te literas, divertissemque a Cumis in Vesciano. » Cum

est; in Gallia tres soles, et tres lunæ[3] visæ; vitulus biceps natus; bubo in Capitolio visus, et ex incendio catena consumpta.[4] Sallyes et Allobroges[5] devicti.

Ortelio facit Ill. Heinsius. *Vestino* Scaliger. Oud.

3. *Et tres lunæ.* Meminit prodigii hujus etiam Plin. lib. II, c. 32. Sch.

4. *Et ex incendio catena consumpta.* Mira loquutio, *consumpta ex incendio*, nam alias *consumpta ab incendio* diceretur, ut contra *ex incendio conservata*. Sed nec, quæ ista fuerit catena, satis intelligitur. Num ferrea? quoniam ferrum alias in ignibus durare solet. Quamquam ne sic quidem omnia sint clara, ut suspicer, locum esse mutilum. Scheff. *Consumi ex incendio* dici posset, ut *mori ex vulnere* apud Livium, lib. XXX, cap. 12. (Hæc phrasis, *mori ex vulnere* in laudato Livii loco non invenitur, sed occurrit apud Ciceronem, ad Diversos lib. X epist. 33, § 9. *Pansam ex vulneribus mortuum.*) Quomodo a Græcis etiam adhibetur præpositio ἐκ. Verum locus corruptus est; et primo pro *catena* legendum *Catina*, urbs scilicet Siciliæ. Illam enim urbem hoc anno incendio consumptam esse tradunt Augustinus, de Civit. Dei, lib. III, cap. 31: « Eodem rursus æstu ignium tanta vi favillæ scripserunt oppletam esse Siciliam, ut Catinensis urbis tecta obruta et oppressa fuerint. » Et Orosius, l. V, cap. 13: « Eodem tempore Ætna mons ultra solitum exarsit, et torrentibus igneis superfusis, lateque circumfluentibus Catanam [scrib. *Catinam* hic (ut est. in edit. 1510, Paris. in 4.) et apud Front. lib. III, cap. 6, § 6, ex MSS. Vide Salmas. Plin. Exerc. p. 78. ed. Ult. et Voss. ad Pomp. Mel. lib. II, cap. 7.] urbem, finesque ejus oppressit, ita ut tecta ædium calidis cineribus præusta et prægravata corruerent. » Ex quibus locis præterea patet, pro *et ex* legi debere *Ætnæ*: ut fuerit: *Bubo in Capitolio visus; Ætnæ incendio Catina consumpta.* Cap. 84: *Rhegium pene totum incendio consumptum.* Frequentius vero hoc Catinæ accidisse, patet ex Martiano Capella, lib. VI, p. 208: « Ætna crater favilla Tauromininum, Catinamque respergit, magno strepitu mugiens, et immensos fragores intonans obluctatione (l. *obructatione*) flammarum. » Hinc Silio, lib. XIV, v. 196, Catina dicitur *nimium ardenti vicina Typhœo.* *I* autem in *e* facillime depravari posse, certum est, licet per talem mutationem sæpe verus loci sensus, vel elegantia pereat. Ut in Lucano, lib. I, v. 228:

> Rapit agmina ductor
> Impiger, et torto Balearis verbere fundæ
> Ocior, et missa Parthi post terga sagitta

Scribendum est ex MSS. *impiger: it* etc. Languet vulgatum. Ovidius lib. X Metam. v. 588:

> Quæ quamquam Scythica non serius ire sagitta
> Aonio visa est juveni.

Ire de sagitta invenias quoque apud Lucret. lib. I, v. 969 (p. 228 ed Haverk.):

> Telum;
> Id validis utrum contortum viribus ire.

et apud Ovidium, lib. VIII Metam. v. 634 et 695:

> Quantum semel ire sagitta
> Missa potest.

et de funda balearica, lib. II, v. 727:

> quam quum Balearica plumbum
> Funda jacit: volat illud, et incandescit eundo.

Oudend. Junt. *cathena.*

5. *Sallyes et Allobroges.* Vide Livii Epit. LXI. S.

XCIII. (31.) *L. Opimio*, *Q. Fabio Maximo*, *coss.*— U. C. 631. — A. C. 121.

Grex luporum[1] limites, qui in agrorum divisione per C. Gracchum depositi erant[2], dissipavit. Ipse Gracchus in Aventino occisus.

XCIII. 1. *Grex luporum.* Memorat Plutarchus in Gracchis. Scheff. A. U. 631.

2. *Depositi.* Hoc est, positi, locati, constituti. *Ponendi* verbum velut proprium ac solenne in hac re. Siculus Flaccus: «In quibusdam regionibus alii terminos siliceos ponunt.» Julius Frontinus: «Nam ideo limes agro positus est, ut litem discerneret arvis.» Aggenus Urbicus: «Quum possessor invenerit terminum in possessione sua aliter formatum, aut aliter positum.» Quod ergo communiter *ponere*, id nostro est *deponere*, quomodo fuerunt, qui dicerent *disponere*. S.

XCIV. (32.) *L. Aurelio*, *et L. Cæcilio*, *coss.* — U. C. 633. — A. C. 119.

Androgynus in agro romano annorum octo inventus, et in mare deportatus; virgines ter novenæ in urbe cantarunt[1].

XCIV. 1. *In urbe cantarunt.* Urbis lustrandæ causa. Dixi de hoc ritu supra, ad cap. 86. S. A. U. 633.— *Ager Romanus* autem campi sunt, ab Apennino mare usque Romam circumdantes.

XCV. (33.) *M. Catone*, *Q. Martio*[1], *coss.*— U. C. 634. — A. C. 118.

Catone[2] consule immolante exta tabuerunt[3]; caput jocinoris[4] inventum non est; lacte pluit; terra cum mu-

XCV. 1. *Q. Martio.* Ald. Asul. (Junt. Basil. 2.) Pariss. aliæque: *Quintio Martio*. Oud. A. U. 634.

2. *Catone.* Porcio. Is enim tum fuit consul, maleque pugnavit adversus Scordiscos, quod forte hoc prodigio significatum. Vide Epit. Liv. LXIII. S.

3. *Exta tabuerunt.* In liquorem soluta, et pæne consumpta fuerunt, id quod inprimis habitum est dirum. S.

4. *Jocinoris.* In editione veteri Argentoratensi scribitur *jocineris*, quod fortasse non est contemnendum. Videtur enim venire ab anti-

gitu[5] tremuit; examen apum[6] in foro consedit. Sacrificium ex Sibyllinis[7].

quo *jocinus*, sicut a *jocinor* est *jocinoris*. De antiquis hisce *jocinor* et *jocinus* videndus Vossius in Grammaticis et Etymolog. SCHEFF. Vid. supra ad cap. 76, not. 3.

5. *Cum mugitu*. Plinius, lib. II, cap. 80. «Præcedit vero comitaturque terribilis sonus alias murmuri similis, alias mugitibus, aut clamori humano.» Patet cur hic nominatim agat de mugitu. Cicero de Divin. lib. I, cap. 18. «Terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus, sæpe motus multa nostræ reipublicæ, multa cæteris civitatibus gravia et vera prædixit.» Sueton. in Galba, c. 18. «Urbem quoque et deinde palatium ingressum excepit terra tremore, et assimili quidem mugitui sono.» S.

6. *Examen apum*. Quod infaustum semper creditum. Vide infra cap. 103, et 104, item 132, et alibi. Adde Livium, XXIV, cap. 10, et XXVII, cap. 23. SCHEFFERUS. *Apium* scribitur in ed. Anglic. hic et infra aliquot in locis. Plurimæ quoque ed. in cap. 130, *apium* habent. Incertum est, quid præferas: variant enim ubique edd. Quod observare etiam licet in aliis auctoribus. Sic apud Quintilianum, in Declam. XIII, p. 233. ed. Obr. (cap. 10, pag. 283, ed. Burm.) *Nisi fallor, esset et æstimatio apum*, legitur in MS. Voss. *apium*. Plura vide apud Drakenborch. ad Silium Italic. lib. VIII, v. 637:

Nec densæ trepidis apium se involvere nubes
Cessarunt aquilis.

Malim tamen ego semper in Obsequente legere *apum*, cum edd. Paris. quia Livius, quem Noster compilavit, *apum* scribere solet. OUD.

7. *Ex Sibylinis*. Scribendum est *Sibyllinis*, nempe *libris*, ut supra cap. LX. Deest tamen aliquid, puta *decretum*, *oblatum*, aut quid simile. Immo potius locus est corruptus, et pro *sacrificium* scribendum *sacrificatum*. SCHEFF. Pro *sacrificium* Paris. *sacrificatum*; quomodo legisse etiam videtur Cl. Freinshemius in Supplem. lib. XXVII, cap. 1. OUDENDORP. Pro *sacrificium* probo lectionem Paris. *sacrificatum*, quæ confirmatur ex cap. 100, *ex Sibyllinis in ins. Cimol. sacrificatum*.

XCVI. (34.) *L. Cæcilio, L. Aurelio*[1], *coss.*—U. C. 635. —A. C. 117.

Fulmine Romæ et circa pleraque tacta; Præneste lacte

XCVI. 1. *L. Cæcilio, L. Aurelio*. Male *C.* edit. Scheff. Scribendum est *L.* ut in omnibus, quas vidi, legitur edd. Sed præterea illud *L. Aurelio* corruptum est. Nam ann. Urbis conditæ 636, fuere consules, L. Cæcilius Metellus, *Q. Mucius Scævola*. Anno autem Urbis conditæ 638, coss. fuerunt M. Cæcilius Metellus, *M. Æmilius Scaurus*; quorum alteruter hic restituendus est. *Q. Mucio* malim cum

pluit; hastæ Martis in regia[2] motæ; Priverni[3] terra septem jugerum spatio in caverna desedit[4]; Saturniæ androgynus annorum decem inventus, et mari demersus: virgines viginti septem urbem carmine[5] lustraverunt. Reliquum anni in pace fuit.

Pighio, Ann. tom. III, p. 89. Ad ann. Urb. cond. 636, hæc prodigia etiam refert Freinshemius. Vitium ortum est a cap. 94, ex quo sumptum est a librario consulis nomen, dum hoc loco nomen consulis legere non potuit. OUD. A. U. 635.

2. *Hastæ Martis in regia*. De hastis Martis dixi supra cap. 60; de regia quoque c. 78. Id seorsum hic notaverim, quod hastæ illæ fuerint in regia. Firmant cap. 104, 107, et 110, in sequentibus: quamquam et hastæ Martis exstiterint aliquæ extra Romam aliis in locis. SCHEFF. Videtur celeberr. Perizonius hic et cap. 104, auctius legisse *in regia, in sacrario*. Nam verba ejus sunt in Dissert. de morte Judæ, cap. 10, pag. 83. *Hinc passim apud Obsequentem, qui ex Livio potissimum sua hausit prodigia*, cap. 96, et 104: *Hastæ Martis in regia, in sacrario motæ*; et brevius, cap. 107, 110: *Hastæ Martis in regia motæ*. Verum nec hic, nec cap. 104, hoc additamentum *in sacrario* apparet in edd. quas ego inspexi. Sed cap. 78, dicit: *Romæ, quum regia quoque ureretur, sacrarium*, etc. et Gell. lib. IV, cap. 6, refert, *in sacrario, in regia hastas Martias movisse*. Hoc enim sacrarium Martis in regia fuit. OUD.

3. *Priverni*. Hoc est non in oppido ipso, sed in ejus suburbano agro. Perizon. ad Ælian. Var. Hist. lib. II, cap. 25.

4. *In caverna desedit*. Non repudio. Et vide, quæ notavi supra cap. 71, et 81. Mallem tamen hic *in cavernam*, nam et supra cap. 86, *terra quatuor jugerum spatio in profundum abiit*. Porro *desedit* dixit proprie. Cicero, de Divin. I, cap. 35. « Ut multa oppida corruerint, multis locis labes factæ sint, terræque desederint. » Et de hoc ipso prodigio, De Divinat. lib. I, cap. 43: « Delata etiam ad Senatum labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desediaset. » SCH. Pro *caverna* Heinsius cum Scheffero mavult quoque *cavernam*. Atque ita hunc locum alibi citant viri docti. Sed omnes edd. *caverna*. Vide, quæ notavi cap. 78, not. 6, et Livium, lib. XXX, cap. 38. « In veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit. » Quapropter nihil muto. OUD. Adde Oudend. ad Lucan. lib. III, v. 630, *descendit in undas*, ubi tamen in aliis non editionibus solum sed etiam codd. legas, *desedit*.

5. *Viginti septem urbem carmine*. Sunt hæ illæ ipsæ, quas alias appellat *ter novenas*, sacri numeri exprimendi gratia. Nam hæc causa, cur essent ter novenæ. Vide sup. cap. 94. S.

XCVII. (35.) *M. Acilio*[1], *C. Portio*, *coss.* — U. C. 638. — A. C. 114.

Pompeius Elvius[2] eques romanus, a ludis romanis, quum in Apulia[3] reverteretur, in agro Stellati[4] filia ejus virgo, equo insidens, fulmine icta, exanimataque, vestimento deducto[5], in inguinibus exerta lingua[6] per inferiores

XCVII. 1. *M. Acilio.* Scr. *M'.* Vide Onuph. Panv. lib. I, F. p. 157; Pigh. Ann. tom. III, pag. 104, qui hic omnino inspici meretur. Oud. A. U. 638.

2. *Pompeius Elvius.* Vix est integrum hoc cognomentum. Puto *Elvius* aut *Helvius* scribendum. Sic conjectaveram, quum ex codice Argentoratensi didici, *Elvius* esse rectum. Scheff. Non modo Arg. sed. etiam Ald. Asul. Bas. 2. (Junt.) Paris. Antverp. scribunt *Elvius* : quare sine ulla hæsitatione hoc reponendum est, vel, quod malim, *Helvius* cum aliis. Apud Orosium *L. Helvius*, lib. V, 15, vocatur. «L. Helvius eques romanus cum uxore et filia, Roma in Apuliam rediens, tempestate correptus, quum filiam, etc. » Oud. Unde Neapolis ad Ovid. Fast. lib. IV, v. 157, dubitat, an prænomen Pompeii Elvii certum sit. Apud Orosium, loc. cit. in edit. Paris. 1510, est *L. Ælius.*

3. *In Apulia.* Non potest esse dubium, quin legendum sit *in Apuliam.* Schæffer. Pariss. quoque *Apuliam;* quomodo Pighius etiam, aliique legi volebant. Sed cap. 104, dicit: *ne unquam Romæ reverteretur:* quamquam illud quoque Schefferus mutare conatur. Est latinitas illius seculi. Consule doctiss. Munckerum ad Hygin. fab. 15 : *Lemno accesserunt*, et ad fab. 92 et 108 : *Castraque transtulerunt Tenedo.* Malim tamen ego ipsius Hygini verba capere in dativo, ut vocant, casu : et sic apud Valer. Maximum, ex MSS. legendum puto, lib. I, cap. 1, § 20 : *Tegulas Locris reportandas curavit.* Oudend. *Apulia* pro *Apuliam* est ex compendio scribendi *Apulia.* Apud Nepot. Eumen. cap. 4, § 4, est in quibusdam MSS. *in Macedonia remisit*, pro *in Macedoniam.*

4. *In agro Stellati.* De hoc agro dixi supra cap. 73. S.

5. *Exanimataque*, *vestimento deducto.* Distinctio non satis apta, nam post *exanimataque* punctum collocandum. Sequitur post de novo, *Vestimento deducto*, ubi *vestimentum deductum* significat, *sublatum*, *exutum*, significatione minime protrita. S.

6. *In inguinibus exerta lingua per inferiores.* Post vocem *lingua* perperam omissa est distinctio; debebat enim collocatum esse colon, nam verba *per inferiores*, et sequentia sunt non de facto aut historia, sed judicio scriptoris. *Lingua exerta in inguinibus*, est protensa, exstans; si tamen recte viderunt ii, a quibus virginis exstinctæ corpus tumulo est mandatum. Ed.

locos[7], ut ignis ad os emicuerit[8]: responsum, infamiam virginibus et equestri ordini portendi, quia equi orna-

7. *Per inferiores locos, ut.* Hic comma post vocem *locos* delendum. Est enim trajectio quædam vocum, quum communi ratione scribi debuisset, *ut per inferiores locos*, etc. *Loci inferiores*, honeste dicuntur, quæ supra vocavit *inguina*. Varro simili ratione dixit *locos muliebres*, lib. IV, de Ling. Lat.: *Loci muliebres, ubi nascendi initia consistunt.* Vocabulum *locorum* esse inter ea, quibus partes genitales occultius significantur, docti pridem ad Petronium, cap. 79, notarunt. S.

8. *Ut ignis od os emicuerit.* Hoc sensum habet nullum. Nam si ignis emicuit *ad os*, quomodo lingua exerta in inguinibus? Lingua est in ore, quæ, ut exeratur in inguinibus, ab ore extrahi, illucque deferri debet. Hoc autem fieri non potest, igne per inferiora emicante ad os, quia sic ignis primum intrat inguina, post per corpus evadit ad os, ubi linguam auferre secum non ad inguina, sed extra hominem necesse est. Quod quum totum sententiæ scriptoris nostri repugnet, suspicor, scripsisse, *ut ignis ab ore emicuerit.* Vitium videtur ortum ex eo, quod in vocabulo *ore* litera ultima ob similitudinem sequentis primum esset neglecta. Sic remansit *or*, quod correctores mutarunt in *os*. Jam quum viderent *ob os* pravum esse, secunda emendarunt vice, ac scripserunt *od os*. Scheffer. — *Fulmine*, etc. Totum hunc locum ita legi et distingui debere opinor: *fulmine icta, exanimataque: vestimento reducto in* (vel *ab*) *inguinibus, exerta lingua, per inferiores locos quod* (vel *ut*, id est, *postquam*) *ignis ad os emicuerat.* Pro *exanimotaque* Pariss. *exanimata est.* Forsan fuerat *fulminis ictu ex. est*: ut scribit Orosius. Vid. supra ad caput 87. *Vestimento reducto in inguinibus est*, quod Plutarchus, Q. R. pag. 284, dicit: Ἀνηγμένου τοῦ χιτῶνος ἀπὸ τῶν ἀποῤῥήτων. *In inguinibus* enim capiendum est pro *eo loco, ubi sunt inguina.* Exerta autem est lingua, quia ignis per nudata pudenda intrans, et emicans ad os vi sua linguam ex ore protrudebat. Plutarchus: Τοῦ δὲ στόματος ἔξω προβεβληκότος τὴν γλῶσσαν. His adde Orosium. Eruditissimus Car. Neapolis ad Fastos Ovidii lib. IV, v. 157, ubi agit Ovidius de Venere Verticordia, legit: « Fulmine icta, exanimata cecidit vestimento deducto ab inguinibus, exerta lingua, adeo ut ignis ad os emicuerit: » verba illa *per inferiores locos*, ut glossam delens. Pro *ad os*, *ob os* libri sui margini adscripserat Heins. Oudend. Perperam, meo judicio, Schefferus *vestimentum deductum* interpretatur sublatum (quod rectius *detractum* dixisset), exutum, quum sit deductum a summa ora. Sed ne sic quidem locus sanus est, ut Schefferus vidit, qui vehementer in eo æstuat. Puto rescribendum, *exanimataque: vestimentoque deducto, in inguinibus reperta lingua, ut ignis per inferiores locos ob ore emicuerit.* Ut sit sensus, fulmine tactum fuisse os, ejusque vi linguam intra corpus adactam, et quum, qui aderant, tunicam deducerent, ut viderent,

menta[9] dispersa[10] erant: tres uno tempore virgines Vestales[11] nobilissimæ cum aliquot equitibus romanis incesti pœnas[12] subierunt: ædes Veneri Verticordiæ[13] facta.

ubi læsa esset virgo, deprehenderint linguam in inguinibus fumantem, ita ut ignis, qui per os intraverat, per inferiores locos (id est, pudenda mulieris, vide ad Petron. cap. 79) emicuerit. Burm. ad Ovid. Amor. lib. I, Eleg. 7, v. 47.

9. *Equi ornamenta.* Quænam hæc ornamenta equi? nam illa vulgo ita dicta nusquam memorantur in superioribus. Puellam quoque intellexisse non potuit, quia, quomodo ea dici possit *ornamenta equi*, haud apparet. Forte scribendum, *quia equitanti ornamenta*, et *ornamenta* explicanda de lingua, et virginali membro, quum, si illæsa sit pudicitia, si lingua facilis, polita, amabilis, id inter decora singularia puellarum referatur. Scheff. Fortasse, *quia equi quoque ornamento.* Ornamenta illa expressit Orosius, lib. V, cap. 15, *straturis, frenis, et cingulis dissolutis passim, ac dispersis.* Plutarchus dicit, γυμνὸν μὲν εὑρεθῆναι κείμενον τὸν ἵππον. Nihili itaque sunt, quæ hic habet Schefferus. Ceterum auctores, qui hujus historiæ meminerunt, enumerat doctissimus H. Valesius, in Excerpt. Peiresc. pag. 88. Oudendorp. Hæc verba in mendo cubant, ut recte Schefferus animadvertit, sed restituenda hoc modo puto, *quia equo quoque ornamento disperso erant.* Illud *quoque* adhæserat *equo*, et librarius per compendium scripserat *equoque*, quod quum inconcinnum videretur, *equi* inde effinxerunt librarii. Porro *diducere vestem*, quod olim hic Heinsius, ut ex ora codicis video, probaverat, longe aliud est. *Diducere* separationem notat, et ita *diducere vestem* est, a corpore separare, tunicam aperire, vel fibula aut alio modo constrictam laxare. *Deducere* vero est, a summa parte trahere vel scindere. Burmann. loc. citat. quem vide.

10. *Disperso.* Nam lingua suo emota loco, et in alium translata. *Dissipoto* hoc sensu dixit Plinius, lib. II, cap. 51: *quæ sicca veniunt, non adurunt, sed dissipont.* S.

11. *Tres uno tempore Vestoles.* Æmilia, Licinia, et Marcia. Epitome Liviana, lib. LXIII, et Dio in Excerptis Peirescianis, pag. 627, ubi fusius historia omnis memoratur. Meminit et Asconius in Ciceronis Milonianam, ad cap. 12. S.

12. *Incesti pœnas.* Vivæ defossæ. Hoc enim solenne fuit supplicium Vestalis, si se passa fuisset corrumpi. Vide Lipsium peculiari libello de Vesta. S.

13. *Veneri Verticordiæ.* Ita dictæ, cultæque, ut a libidine corda virginum mentesque ad pudicitiæ cultum converteret. Ædes ista facta ex monitu librorum Sibyllinorum, simulacrumque deæ consecratum per Sulpitiam, Q. Fulvii Flacci uxorem. Vide Valerium Maximum, lib. VIII, cap. 15, ext. 12. Fuit autem extra portam Collinam, via Salaria, ut Onuphrius testatur. Scheff. Car. Patini Comment. in Antiq. Monum. Marcellinæ apud Polenum, tom. II, pag. 1124.

XCVIII. (36.) *C. Cæcilio, Gneo Papyrio*[1], *coss.* — U. C. 639. — A. C. 113.

Albanus mons nocte ardere visus; ædicula et signum[2] de cælo tacta; ara Salutis[3] interrupta[4]; terra in Lucanis et Privernati[5] late hiavit[6]; in Gallia cælum ardere visum. Cimbri, Teutonique[7] Alpes transgressi, fœdam stragem Romanorum sociorumque fecerunt.

XCVIII. 1. *Gneo Papyrio.* Junt. et Basil. 2, *Cneo.* A. U. 639.

2. *Ædiculo et signum.* Deesse nomen signi et ædiculæ videtur. Ædiculas tamen sic sine certo nomine reperio memoratas a P. Victore quoque, quibusdam in regionibus urbis, nunc octo, nunc decem, nunc duodecim, nunc triginta. Quamquam apud eumdem quoque sit *ædicula Capraria* in regione septima, *Concordiæ*, itemque *Juventæ* in regione octava, et longe plurium deorum, apud Sex. Rufum, quæ legi apud ipsum possunt, itemque Onuphrium, lib. I, de Republica romana. S.

3. *Ara Salutis.* Quæ, ut opinor, in ipsius fuit templo, in regione sexta urbis; ut ex P. Victore novimus. S.

4. *Interrupto.* Soluta commissura lapidum, lapidibusque ideo a se mutuo discedentibus. Habes non multum dissimilem historiam in Sacris Lib. III (lib. I) Regum, c. 13, v. 5. SCHEFFER.

5. *Privernati.* Scribo, *Privernotibus.* Urbis enim nomen, *Privernum.* Servius ad Virg. XI Æn. v. 540, ubi poeta ipse, *Priverno antiquo urbe.* Ab hoc *Privernates.* Plinius, lib. III, cap. 5, *Privernates, Setini.* Item Livius et alii. Vitium ex eo, quod primo compendiose scriptum fuit *Privernatib.* deinde *b* omissum, propter similitudinem literæ, quæ sequebatur. SCHEFFER. Cl. Schefferus *Privernatibus.* Vindicant egregie vulgatam scripturam J. Perizon. Animadv. Hist. cap. 8, pag. 333, 334, et J. F. Gronovius ad Liv. l. XXII, c. 1: *In Antiati metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse.* OUD.

6. *Late hiavit.* Supra cap. 96: *Tot jugerum spatio in caverno desedit.* Ubi vide, quæ a me notata sunt. S.

7. *Cimbri Teutonique.* Hanc historiam memorat Florus, l. III, c. 3, cui addendi, qui ad eum a Camerte aliisque nominantur; item, quæ habentur in Epitoma Livii LXV, quamquam ibi L. Junium Silanum nominat consulem, sub quo acciderit ea clades. Fuit autem omnino gravissimum hoc bellum, ita ut tunc in uno C. Mario spes salutis poneretur. De eo, qui idem cum Jugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administravit, vide Ciceronem pro lege Manilia, et Plutarchum in vita C. Marii. ED.

XCIX. (37.) *P. Scipione, L. Calpurnio, coss.* — U. C. 641. — A. C. 111.

Maxima pars urbis exusta[1] cum æde Matris Magnæ[2]; lacte[3] per triduum pluit, hostiisque expiatum majoribus. Jugurthinum bellum[4] exortum.

XCIX. 1. *Maxima pars urbis exusta.* Observandum, quod inter prodigia numeraverint et incendia magna. Noster ipse infra cap. 125: *Incendium, quo maxima pars urbis deleta est, prodigii loco habitum.* S. A. U. 641.

2. *Cum æde Matris Magnæ.* In Palatio. Ibi namque sitam scribit Livius, l. XXIX, c. 37; l. XXXVI, cap. 36, conditam, M. Livio et C. Claudio censoribus. Cæterum Mater Magna, quæ et Mater deum, et Isis, de qua Gyraldus in Syntagm. de Diis. S.

3. *Lacte.* Juntina editio, *Late.*

4. *Jugurthinum bellum.* De quo Sallustius peculiari libro. Florus. l. III, c. 1, et plerique veterum. S.

C. (38.) *Sergio Galba, M. Scauro, coss.* — U. C. 644. — A. C. 108.

Avis incendiaria[1], et bubo, in urbe visæ[2]; in laoto-

C. 1. *Avis incendiaria.* Memorat hoc ipsum Plinius, lib. X, cap. 13. Verum alios nominat consules, sub quibus se præbuerit conspiciendam. Nempe in consulibus citandis non conveniunt veteres, præterea nec apud Nostrum omnia eorum vocabula justo sese habent modo. Vide quæ notavi supra c. 64. Cæterum, quæ avis illa sit, *incendiaria* vocata, ipso fatente Plinio, incertum est, quum alii aliter intellexerint. Vide Scaliger. ad Festum voce *Bustum.* Neque invenitur id adjectivum apud Ciceronem, sed occurrit in Declam. IX Quintiliani: « Morabar inter sacrilegos, incendiarios, et (quæ gladiatoribus una laus est) homicidas inclusos turpiore custodia. » Suetonius etiam utitur in Vitellio. Ed.

2. *In urbe visæ.* Argentoratensis habet *in urbem.* Vide, quæ notavi supra capite 71, verbo *in medio consessu.* Adde quoque Barthium lib. XXV, Adv. cap. 14, ubi itidem hanc lectionem probat. Sch. Cum Argentor. consentiunt Ald. (Junt.) et Asul. scribentes *urbem*, cap. 81, *in publicum jacere.* Sueton. Cæsar. cap. 7: « Ad captandas quamprimum majorum rerum occasiones in urbem; » (in edit. *Ernesti* est *urbe.*) Propert. lib. II, El. 7, v. 49, 50:

Et dominum lavit mœrens captiva cruentum
Appositum flavis in Simoenta vadis.

Higyn. fab. 82: *In aquam media fine corporis stare.* Et sic alii passim. Oudendorp. Gell. lib. I, cap. 7, § 16, sq.

miis[3] homo ab homine adesus[4]; ex Sibyllinis in insula Cimolia[5] sacrificatum per triginta ingenuos patrimos et

3. *In laotomiis.* Immo vero *in latomiis*, aut *latumiis* scribendum. Sic enim appellabantur, teste Cicerone. Festus: « Latumias ex græco, et maxime a Syracusanis, qui latomias et appellant, et habent ad instar carceris, ex quibus locis excisi sunt lapides ad extruendam urbem. » Hoc vult, istas speluncas, factas per exemptionem lapidum, Syracusanis fuisse pro carcere, in quem sontes conjicerent. Ad eumdem deinde modum talibus speluncis alios quoque usos, quæ dein exemplo syracusanarum dictæ sunt latomiæ. An et Romani habuere? Immo, fueruntque in urbe ipsa. Meminit Livius, lib. XXXVIII, cap. 3: *Romam deducti, et in lautumias conjecti sunt:* quibus verbis verisimilius sit, Obsequentem *lautumiis* scripsisse. Locum habuere vicinum foro piscatorio. Idem, lib. XXVI, c. 27: « Comprehensa postea privata ædificia, neque enim tum basilicæ erant, comprehensæ lautumiæ, forumque piscatorium, et atrium regium. » Habes et hic lautumias, easque foro piscatorio vicinas, ut in quod ex illis incendium se dilatarit. Cæterum si quis *laotomias* apud Nostrum propugnare vellet, quoniam et *laos* apud Græcos lapis, nollem quidem adversari, desiderarem tamen loca scriptorum aliorum, ubi sic vocatæ legerentur. Scheff. Pariss. *latomiis*. Scribe cum viris doctis *lautumiis*. Vid. Pintianum apud Dausq. Orthog. pag. 181, et J. F. Gronov. ad Liv. lib. XXXVII, cap. 3. Oudendorp. Exstat hic locus Gronovii ad Livii librum XXXIX, cap. 44.

4. *Adesus.* Id est, ex parte esus, fame, credo, impellente. Sicut *lapides adesos* dixit Horat. III, carm. 29, et *adesa corpora* Lucret. lib. V (v. 992, p. 358, ed. Haverk.). Possit tamen et de penitus et omnimodo comesto intelligere; quomodo *adesum frumentum*, pro *consumpto* positum apud Sisennam, teste Nonio. Vide infra cap. 112. S.

5. *In insula Cimolia.* Non longe sita a Creta. Vide Strabon. lib. X, (pag. 484 edit. Paris., et pag. 742 ed. Amstel.) Scheff. Observandum est, hanc insulam ab Ovid. lib. VII Metam. v. 463; Scylace, pag. 42, aliisque; quos ibi laudat Is. Vossius, vocari *Cimolon*, non *Cimoliam*. *Cimolia* enim est terra, seu cretæ genus ex Cimolo. Quare non male forsan apud Nostrum quoque *Cimolo* legas. Remoratur tamen nos paullulum scholiastes Aristophanis, ad Ranas, v. 727: Καὶ Κιμωλίας γῆς, hæc notans: Μία τῶν Κυκλάδων νήσων αὕτη ἡ Κιμωλία. Excidit hujus insulæ nomen apud L. Ampelium, cap. VI: *Cyclades* XII, *Delos*, *Gyaros*, *Myconos*, *Andros*, *Paros*, *Pharos*, *Tenedos*, *Cythnos*, *Melos*, *Naxos*, *Donusa*. Vides, Lector, hic modo recenseri XI. Lege *Myconos*, *Cimolos*, *Andros*, *Paros*, *Olearos*, *Tenos*, etc. Vide Strabonem, lib. X, p. 485 ed. Paris. (et pag. 743 ed. Amstel.) Ex quo loco simul patet *Olearos* et *Tenos*, ut correxi, scribendum esse pro vulgatis *Pharos* et *Tenedos;* quamquam *Tenedos* a quibusdam inter Cycladas ponatur. Pro *Pharos* legi

matrimos[6], totidemque virgines; multa millia hominum, intumescente Pado[7], et stagno Arretino[8] obruta; bis lacte pluit; Nursiæ gemini ex muliere ingenua nati, puella integris omnibus membris, puer a parte priore[9], alvo aperto[10], ita ut nudum intestinum conspiceretur[11], idem[12]

etiam posset *Syros*, ex Mela, lib. XI, cap. 7: *Paros*, *Syros*, *Tenos*, *Myconos*. Ab Enstath. ad Dion. Perieget. v. 530, *Cimolos* recensetur inter Sporadas. Sed frequens in multis Sporadum et Cycladum insulis apud anctores confusio ac pertnrbatio est. Oudendorp. Vide Dukerum ad Ampelium, loco citato.

6. *Ingenuos patrimos et m.* Snspicor, abesse vocem *pueros*, et scribendum *ingenuos pueros patrimos*, quia sequitur, *totidemque virgines*, quod alias non habet, quo aperte referatur. Nam *ingenuorum* vox ad utrumque sexum pertinet. Atque ita supra cap. LV: « Supplicatio per decem pueros patrimos matrimos, totidemque virgines habita. » Ubi vide. Quod autem Barthins, lib. XLVI, Adv. cap. 20, locum hunc adducit, et ex eo probat, cautasse hos in ludis secularibns, ab eo gratis fit, quum hic nulla mentio fiat eorum ludorum. Scheff. Intelligit *Camillos*. Festns in v. *Flaminius*. *Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus patrimes et matrimes*. f. *patrimus et matrimus*. Cæterum non interponerem in Obsequente vocabnlnm *pueros*. Hoc enim modo Livins quoque illud omittit, dicens, lib. XXXVII, 3: « Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes, matrimique. » De his antem puellis et pueris consule Fabrettum ad Columm. Trajan. pag. 160, etc. Oud.

7. *Intumescente Pado*. Excurrente super ripas terminosque solitos in agros, per copiam aquarum. Supra dixit *inundante* c. 83. Sch. Vid. c. 128.

8. *Stagno Arretino*. Mallem *Aretino*; quamquam nec stagni hujus, nec quam intulit, cladis apud alios factam mentionem adhuc observaverim. Scheff. Cave, ne legas, *Aretino*. Ex Lapidibns constat *Arretino* esse scribendnm; quod semel dictum snfficiat. Infra aliquoties occurret. Oud.

9. *A parte priore*. Circa ventrem imum, ut suspicor. Pars *prior* enim hic anterior, quæ opponitur *posteriori* in sequentibns. S.

10. *Alvo aperto*. Scribendnm est, *aperta*. Hoc autem vult, alvum habuisse foramen, per quod fæces ejus egeruntur, non a posteriori parte, sicut natura constituit, sed a priori. Scheff. Nihil hic mutandum est, licet Pariss. etiam præferant *aperta*. *Alvus* tam masculino, quam feminino genere invenitur. Adi J. G. Vossium in Grammaticis, et Luc. Fruterium Verisim. lib. XI, c. 19, ac lexica. Oud.

11. *Ut nudum intestinum conspiceretur*. Vocat *intestinum* specialiori notione intestinorum partem ultimam, in ano desinentem, per quem et alias in nonnullis solet exire. Id vero in hoc ait fuisse perpetuum. Scheff.

12. *Idem*. Pigh. Ann. tom. III,

posterior enatura[13] solidus natus, qui voce missa exspiravit. Contra Jugurtham prospere dimicatum.

p. 130, scribit *inde*. Lege *item*. Oud.

13. *Posteriore natura*. Supra c. 85, de simili: *Solidus posteriore parte naturæ genitus*. Itaque *posterior natura*, pro *posteriore parte naturæ*, si non plane ita scripsit. Scheff.

CI. (39.) *Q. Servilio Cæpione, Atilio Serrano, coss.* — U. C. 646. — A. C. 106.

Amiterni quum ex ancilla puer nasceretur[1], Ave dixit[2].

(40.) In agro perusino, et Romæ locis aliquot, lacte pluit; inter multa fulmine icta, Atellis digiti hominis quatuor tamquam ferro[3] præcisi; argentum signatum afflatu fulminis diffluxit[4]; in agro Trebulano mulier nupta civi romano, fulmine icta, nec exanimata[5]; fremitus[6] cælestis

CI. 1. *Nasceretur.* Id est, in ipso actu nascendi, ipso tempore, ac inter nascendum. Simile quid de alio puero, qui dixit *Io triumphe*, habes apud Liv. lib. XXIV, c. 10. Scheff. A. U. 646.

2. *Ave dixit.* Post hæc verba in edit. Argentoratensi novi scribuntur consules: *P. Sarranus* et *C. Attilius*. Quod argumento esse potest, vere a me dictum supra, vocabula consulum valde oscitanter esse in Nostro consignata. Sch. Post hæc verba non modo in Argentor.; sed in omnibus ante Lycosthenem edd. iterum leguntur coss. *P. Sarranus, C. Attilius*: ex quo patet, pro *Attilio* scribendum esse *C. Attilio*, sive potius *Atilio*. Auctor noster semper addit prænomen, licet male e tribus vel quatuor locis exsulet. Oud.

3. *Tanquam ferro.* Cultro puta, nulla parte contusa fractave. Hoc enim vult ista comparatio hoc loco. Scheff.

4. *Diffluxit.* Liquefactum scilicet. Meminerunt similium Plin. lib. II, cap. 51, et Seneca. Plinius sic ait: « Aurum, et æs, et argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis » Seneca lib. II, Quæst. Nat. cap. 31: « Loculis integris ac illæsis conflatur argentum. » Sch.

5. *Nec exanimata.* Quod peculiare est in hominibus; nam animantia cætera moriuntur. Testis Plinius, lib. II, cap. 54: « Unum animal, hominem non semper exstinguit, cætera illico. Hunc videlicet natura tribuente honorem, quum tot belluæ viribus præstent. » Habet alias exemplum simillimum in Marcia ejusdem libri, cap. 51, quod huic conjungendum. Scheff.

6. *Fremitus cælestis.* Ita dicitur in oppositione *ad fremitum infernum*, cujus mentio cap. 120, qui auditur de cælo. Fit autem per tonitrua, quorum non est idem semper sonus. Scheff.

auditus, et pila[7] cælo cadere visa; sanguine pluit[8]; Romæ interdiu fax sublime[9] volans conspecta; in æde Larum[10]

7. *Pila.* Num globus, qualis memoratur et sequenti cap. 114; an tela peculiaria sic dicta, et militibus romanis in frequenti usu? in posteriorem explicationem magis inclino. Scheff.

8. *Sanguine pluit.* Ante hæc verba non comma, sed punctum locandum. Scheff.

9. *Fax sublime.* Num volans in sublimi, an ex inferiori tendens ad sublime, ut desit præpositio *in?* Pro priori explicatione pugnant ista Ciceronis Tuscul. I, cap. 43: *Nihil mea interest, humine, an sublime putrescam.* Pro posteriori illa Virgilii, lib. I Georg. v. 319:

.... Gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent.

Et lib. III, v. 108, de vehiculis circensibus, seu curribus:

.... jamque elati sublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque assurgere in auras.

Puto, posteriorem præferendam; nam faces alias vix, nisi in sublimi conspiciuntur, ut de ista, tamquam singulare quid notari, haud necesse fuerit. Sch. *Sublime* hoc loco significat *in cælo, in alto.* Sic in Catalectis Scaligeri, Epigr. 4, de Ortu Solis, pag. 169:

Tithoni conjux roseo sublime rubore
Inficit cælum luteo sidereum

Ita lege ex MSS. (Vulgo):

.... sub limine terras
Inficit, et cælum....

Lucret. lib. II, v. 206:

Nocturnasque faces cæli sublime volantes.

Lib. VI, v. 96:

....concurrunt sublime volantes
Ætheriæ nubes, etc.

Si vero notat *ad sublime*, quo sensu capit Cl. Schefferus, solent addere vocem *ferri*, vel simile verbum, quo dignosci possit. Livius, lib. XXI, 30: *Legatos pennis sublime elatos.* Pedo Albin. in obitum Drusi, v. 341: *Hæc ipsum sublime ferent.* Nemesianus, Ecl. I, v. 18:

....laudesque tuas sublime ferebat.

Plura possunt legi in notis (Interpret. ad h. l. Nemesiani, Lambini ad Lucret. lib. II, v. 206, p. 301, Edit. Haverk.) N. Heinsii ad Val. Flacc. lib. I, v. 285, et Ovid. Epist. IX, v. 129:

Dat vultum populo sublime sub Hercule victo.

Et doctiss. J. Davisii ad Ciceron. lib. II. N. Deor. c. 39 [50]: *sublime fertur.* Oud.

10. *Æde Larum.* Quæ fuit in Campo Martio, si Onuphrium audimus. Meminit et Cicero, lib. III, cap. 25, de Nat. Deor. cujus tamen quidam codices habent *Larium*, secundum vulgatam regulam grammaticorum. Sed *Larum* est in melioribus, ut apud Nostrum. Sic Insc. Tomasino laudata de Donar. p. 88: VICO. LARVM. RVRALIVM. et alia p. 90: DECVRIO. LARVM. VOLVSIANORVM. Adde Golii grammat. per Berneggerum emendatam editamque Argent. an. 1658, pag. 75. Scheff. *Larum* non modo scribendum est apud Ciceronem, lib. III, de N. D. cap. 25; sed etiam apud Plinium, lib. II, cap. 7, quem eo loco laudat Davisius (et Manutius). Macrobius, lib. I Saturnal. cap. 7: *Ut pueri mactarentur Maniæ Deæ matri Larum.* Sic in monumento Ancyrano est ÆDEM. LARVM. IN. SVMMA. SACRA VIA. Inscript.

flâmma a fastigio ad summum[11] columen penetravit innoxia. Per Cæpionem[12] consulem senatorum et equitum judicia communicata. Cætera in pace fuerunt[13].

Gruteri, pag. cccevi, n. 4.

M. FABIO.
ASIATICO.
SEVIRO. MAG.
LARVM. AVG.

et passim. Vide doctissim. Reinesium, inscript. Cl. I, not. 101. Et sane pleraque desinentia in *r* faciunt *um*, non *ium*. Consule J. G. Vossium, de Analog. lib. II, cap. 14. Oud.

11. *A fastigio ad summum. Fastigium* in ædibus communibus id proprie, quod ab imo patens coit in acumen superne, in modum græcæ literæ Λ. Ab hoc differt summum columen, quia est in fastigii supremo. Vitruvius, lib. IV, cap. 2. *Columen in summo fastigio culminis.* Suece *äsen* vocant, et est trabs, sustinens cantherios. Vult itaque, a parietum extremo cœpisse, perque fastigium surrexisse ad summum columen, sive trabem summam, in quam tectum desinit. S.

12. *Per Cæpionem.* Integre, *Q. Servilium Cæpionem* dictum, unde lex de hac re ab eo lata, *Serviliæ* nomen accepit. Tacit. XII Annal. c. 60. « Claudius omne jus tradidit, de quo toties seditione ac armis certatum, quum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione judiciorum locaretur, aut rursum Serviliæ leges senatui judicia redderent ». Adde, quæ de eo habet Rupertus in epistola ad Reines. XXVIII, pag. 724. Sch. In marmoribus quoque memorantur Cæpiones admodum multi: velut apud Murator. CXI, 1:

D. R. S.
DVPL. N. EXPLOR.
BREMEN. ARAM
INSTITVERVNT
N. EIVS C. CAEP
CHARITINO TRIB
V. S. L. M.

Literas priores singulares interpretari possis: *Dianæ Reginæ Sacrum. Duplarii Numeri Exploratorum Brementurorum* [seu *Bremenensium*] *Aram Instituerunt Numini Ejus, Caio Cæpione Charitino Tribuno. Votum Solverunt Lubenter Merito.* Erat nempe Bremenium locus, ubi nunc Reichester, in Magna Britannia, ibique exstat hæc inscriptio. Memoratur quoque apud eumdem, CMLXVIII, 4:

TI. CAEPIO
HIERONYTAEUS

et ibid.

CAEPIO
HISPO

sed omnes illi diversi sunt a Q. Servilio Cæpione cos. de quo Noster.

13. *Cætera in pace fuerunt.* Simili fere modo supra cap. 96: *Reliquum anni in pace fuit.* Usurpavit et Cicero, sed de hominibus, non de rebus. Ut in fine Catilin. III, cap. 12: *Atque ut in perpetua pace esse possitis, providebo.* Scheffer. Apud Livium, lib. XXIII, cap. 27, legitur: *Nec diu in pacato mansit.* Verum ea locutio displicet Glareano. Forsan dixerat quoque Livius, *in pace commansit.* Sed nil temere mutem. Oud.

CII. (41.) *P. Atilio, et Corn. Manilio*[1], *coss.* — U. C. 647. — A. C. 105.

Trebulæ Mutuscæ[2] ante quam ludi committerentur[3], canente tibicine, angues nigri aram circumdederunt; desinente[4] cantare, dilapsi[5]; postero die exorti[6], a populo

CII. 1. *P. Atilio, et Corn. Manilio.* Lege *P. Rutilio, Cn. Manlio* vel *Manilio.* De iis, et præcipue de *Manlio*, quod nomen variis modis corruptum scribitur apud auctores, consulendi sunt Onuph. Fast. lib. I, pag. 153; Pigh. Ann. tom. III, pag. 145, et notæ ad Livii Epit. LXVII. Voculam *et* etiam delevi; quia nec in edd. Pariss. habetur, nec usquam in his titulis eam usurpat Obsequens. Nam cap. LXXIX, vidimus legendum esse *C.* pro *et*. Semel tamen adhuc apparet cap. 95. Verum illic quoque inducendam esse, nemo, ut opinor, negabit. OUD.

2. *Trebulæ, Mutuscæ.* Comma, quod hæc duo distinguit, delendum. Nam hoc cognomentum Trebulæ usurpari solitum ad differentiam alterius, quæ *Balinii* appellabatur, idque ideo, quia hoc illius vetus fuit nomen. Mutusca enim Virgilio, lib. VII Æn. quæ deinde Trebula vocata. Servius ad vers. 711, in quo poeta, *obliviscere Mutuscæ. Hæc*, inquit, *Trebia postea dicta est, quam modo Trebulam dicunt.* Hinc Trebulani Mutuscæi apud Plinium, lib. III, cap. 11: *Reatini, Trebulani, qui cognominantur Mutuscæi.* SCHEFFER. Recte distinctionem tollit cl. Schefferus hic et cap. seq. Neque eam agnoscunt Ald. Asul. Paris. (Basil. 2). Vide magnum Casaubonum ad Strabon. lib. V, pag. 228 edit. Par. et pag. 349 ed. Amst. OUDENDORP. Cellar. Not. Orb. Ant. lib. XI, cap. 9, sect. 11, §. 337.

3. *Ludi committerentur.* Ita proprie solenniterque loquitur. Cicero ad Q. fratrem, lib. III, Ep. 4: *Hæc scripsi a. d. 8, kal. nov. quo die ludi committebantur.* Suet. Claud. cap. 21: « Ludos dedicationis Pompeiani theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali, posito in orchestra, commisit. » SCHEFF.

4. *Desinente.* Argentor. una voce auctius: *desinente cantare.* SCHEFF. Addidi *cantare*, quia hoc in omnibus edd. ante Tornæsianam invenitur. OUD.

5. *Dilapsi.* Edd. quædam *delapsi.* Male. Cap. 119, « duo angues conspecti, in diversumque lapsi. » OUD.

6. *Exorti.* Denuo progressi ex abdito in lucem. Terent. Hecyr. act. II, sc. 1:

Tu sola exorere, quæ perturbes hæc tua impudentia.

Donatus, hoc loco: « Exorere, exsistis. Exoriri dicitur, qui non exspectatus invadit in aliquem. » Pro *exsistis*, paulo ante dixit *emergis*, quod proprie pertinet ad abditos. SCHEFF. *Exorto* Heinsius. OUDEND. Bene Schefferus explicat *exorti.* Nec audiendus est Heinsius, qui *exorto*

lapidibus enecati[7]; foribus templi adapertis, simulacrum Martis ligneum capite stans[8] inventum. A Lusitanis exercitus romanus cæsus.

legit. *Exarti* exquisitior lectio est, quam quæ proficisci potuerit a librario imperito. Angues *dilapsi*, postero die *exarti* sunt, et *enecati*. Oudendorp. Sic Plinius, lib. XXX, cap. 12, *Mus araneus pendens enecatus*, ubi vero in ed. Paris. est *necatus*.

7. *Enecati*. Rarius hoc reperias pro *enecti*. Legitur tamen et apud Plinium, lib. XVIII, cap. 13, *flaccidarum quoque et in horreis enecatorum*: ut monet celeberr. J. G. Vossius, Anal. lib. III, cap. 20. *Enecare angues* dixit quoque Plautus in Amphitryone (act. V, sc. 1, v. 67).

8. *Capite stans*. Omissa præpositione, pro *in capite stans*, nisi malumus per antecedentem literam *m*, totidem lineolis constantem, præpositionem *in* esse assumptam. Est autem *stare in capite*, stare inverse, pedibus sursum versis. Schepp.

CIII. (42.) *C. Mario, C. Flacco*[1], *coss.* — U. C. 648. — A. C. 104.

Bubo extra Urbem visus; bos loquuta: Trebulæ Mutuscæ[2] simulacrum[3] in templo, quod capite adoperto fuit, opertum inventum[4]; Nuceriæ ulmus vento eversa, sua

CIII. 1. *C. Flacco*. Scribe *C. Flavio*. Inspice Comment. ad Fast. A. DCXLIX. Oud.

2. *Mutuscæ simulacrum*. Quasi dea fuerit Mutusca, cujus simulacrum exstiterit Trebulæ. Hoc vero est falsissimum. Mutusca cognomentum Trebulæ, ut jam ostendi capite præcedenti proximo. Itaque comma ante *Mutuscæ* delendum. Atque sic habetur etiam in edit. Argentoratensi. Schepp. Et in Bas. 2.

3. *Simulacrum*. Quale, cujusve dei? Martis credo; idque ipsum, cujus mentio est facta capite præcedenti. Ac fortassis nomen *Martis* intercidit propter similitudinem vocis *Mutuscæ*. Schepp.

4. *Adoperto fuit*, *opertum inventum*. Vix possum dubitare, quin *apertum* lectio sit vera, quum alias nulla sit oppositio inter *adopertum* et *apertum*. Dicat aliquis, scribendum potius *adapertum* in prioribus. Sed ita necesse non fuisset, tanquam singulare notare ista, quum deorum plerorumque capita fuerint talia. Certe si, quod dixi, Martis simulacrum hic intelligendum, res est clara, quum ipsius simulacrum caput habuerit tectum galea. Ita docent nummi veteres, quos exhibet *Du Choul* in lib. de Religione veterum Romanorum, p. m. 204. Et Albericus in libello de Imaginibus deorum, describens Martem: «Ga-

sponte erecta in radicem, convaluit[5]; in Lucanis lacte,

leam habebat in capite, et flagellum in manu portans.» Ac hoc quidem primum. Amplius est cogitandum annon pro *opertum* legendum sit, non *apertum*, sed *aperto*; præcedit enim *capite*, ut, sicut *adoperto*, ita et *aperto* legendum videatur. Certe *simulacrum apertum* pro eo, cujus caput tectum non est, nescio, an usquam alibi legatur. Scheffer. Clariss. Schefferus non male legit *aperto*. *Apertum* dicitur, quod nullo velamine tectum est. Ovidius, lib. I, Am. el. 6, v. 4; Remed. Amor. 429; Metam. XII, v. 100, ubi *Cycnum apertum* vocat, postquam galeam et tegmina deposuerat. Contra illust. Heinsius legebat *q. c. adaperto fuit, operto inv.* Suspicor majus hærere ulcus, et idem esse prodigium, de quo egit cap. præced. Nam sæpe bis idem prodigium Noster refert, ut observat cl. Perizonius, Anim. Hist. cap. VIII. Fortasse fuit. *S. i. t.*, *q. ut apertum fuit*, *c. inverso i.* Meliora si quis afferat, gratam mihi rem præstabit. Oudendorp. Lege *apertum* pro *opertum*. Nam variatio illa in *adoperto* et *apertum* nihil moratur, utpote quæ ex Ausonio, Claudiano et aliis defendi potest. Act. Erud. loco citato.

5. *Erecta in radicem coaluit.* Post *radicem* comma scribendum. Cohærent enim, non *coaluit in radicem*, sed *erecta est in radicem.* Quomodo apud Fabium, lib. XI, cap. 3 (pag. 135, ed. Bur.), *in digitos erecti* dicuntur, qui, ut se longiores faciant videri, quam revera sunt, innituntur digitis pedum, nec insistunt totis plantis. In Argentoratensi pro *coaluit*, legitur *convaluit*, quod forte non repudiandum. Suet. in August. capitul. 92, «veterrimæ ilicis demissos jam ad terram, languentesque ramos convaluisse adventu suo lætatus est.» Quia tamen hic non de languente arbore, sed evulsa sermo est, præfero τὸ *coaluit*. Idem paulo ante: «Palmam in compluvium deorum Penatium transtulit, utque coalesceret, magno opere curavit.» Scheffer. Pro *coaluit* edd. Ald. Asul. Arg. Bas. 1. Paris. Antv. et omnes, opinor, ante Lycosthenem, *convaluit*; quod tamen videtur damnare cl. Schefferus: quia hic non de languente, sed evulsa arbore agitur. Atqui evulsa arbor an non languescit? Quapropter, quum vox *coaluit* demum legatur in ed. Basil. an. 1552, atque adeo a Lycosthene videatur profecta, auctori restituendum puto, *convaluit*: licet aliter valde incertum sit, quid præferas. Utrumque enim hic locum habere potest. Nam *convalescere* est ex languore pristinum vigorem recipere, et augeri, ut apud Senecam, Ep. 2: *Planta non convalescit* (ubi tamen in quibusdam editionibus est *coalescit*), *quæ sæpe transfertur.* Et sæpissime apud Justinum, aliosque. Donat. in vita Virgilii: «Virga populea, more regionis in puerperiis, eodem statim loco depacta, ita brevi convaluit, ut multo ante satas populos adæquavisset. Sed etiam *coalescere* posset probari. Notat enim concrescere, et cum terra cohærere ita, ut radices terræ etc. sint implicitæ; ut apud Sallust. B. Jug. cap. 93. «Et forte in eo loco grandis ilex coalue-

Lunæ sanguine pluit; Arimini[6] canis loquutus[7]; arma cælestia[8], tempore utroque[9] ab ortu et occasu visa pugnare, et ab occasu vinci; aruspicum responso, populus stipem Cereri et Proserpinæ tulit[10]: virgines viginti

rat inter saxa.» Ovid. lib. II, Art. Am. 649:

Dum novus in viridi coalescit cortice ramus.

Plura vide apud magnum Gronovium, Observ. Eccl. cap. 13. Cum Scheffero facit nob. Heinsius, qui margini codicis sui adscripsit *in radice coaluit*. Oud. *Convaluit* est etiam in edit. Junt. et Bas. 2, quod ideo Obsequenti restitui.

6. *Arimini*. Nota quidem urbs in Italia est *Ariminum*. Melius tamen meo judicio hic Pighius in Annal. tom. III, pag. 156, legit *Ameriæ* ex Plinio. Forsan fuit *canis loquutus. Amerii* (V. Stephan. de Urb.) vel *Amerinis arma* etc. Accidit autem anno sequenti. Plin. lib II, cap. 57. «Tertio vero consulatu Marii ab Amerinis, et Tudertibus spectata arma cælestia, etc.» Plutarchus in Mario, pag. 415, hoc prodigium illi quarto ejus consulatu nuntiatum esse refert: ἐκ δὲ Ἀμερίας καὶ Τουδέρτου πόλεων Ἰταλικῶν ἀπηγγέλθη νυκτὸς ὦφθαι κατὰ τὸν οὐρανὸν αἰχμάς τε φλογοειδεῖς, καὶ θυρεοὺς διαφερομένους τοπρῶτον, etc. ubi observandum est, ab eo νυκτὸς dici, quod hic *tempore utroque*, et θυρεοὺς seu scuta et clypeos, quos hoc loco per arma ab Obsequente indicari Schefferus negat. *Arma* autem κατ' ἐξοχὴν poni pro clypeis satis superque a viris doctis demonstratum est. Oud.

7. *Canis loquutus*. Vide Bochartum de Animal. part. prior. lib. II, cap. 14, pag. 198. Scheff.

8. *Arma cælestia*. Ut supra *fremitus cælestis* dixit, cap. 101. Ubi vide, quæ notavi. Puto autem, licet armorum vocabulum specialiori notione pertineat ad scuta clypeosve, hic tamen tela, pila, hastas, et id genus denotare. Horum enim speciem chasmata communius referunt. Scheff.

9. *Tempore utroque*. Diurno et nocturno, an matutino et vespertino? Res est obscura, magis tamen in posteriorem sententiam propendeo. Interdiu sane talia in cælis cerni, haud est vero consentaneum, repugnatque solis atque lucis ratio. Scheff.

10. *Stipem Cereri et Proserpinæ tulit*. Hoc est *contulit*, (simplici pro composito, quo est usus Livius, lib. XXV, cap. 12.) *dedit, præbuit*. Pari modo cap. 106, *Virgines dona Cereri et Proserpinæ tulerunt*; et cap. 113. *Populus Cereri et Proserpinæ stipem tulit*. Unde simul colligitur, fuisse hanc stipem offerendi consuetudinem, præsertim Cereri et Proserpinæ, haud infrequentem. Meminit Varro, IV, de L. L. «Institutum etiam nunc, diis quum thesauros asses dant, stipem dicunt.» Seneca apud Lact. lib. II, cap. 2, ubi de simulacris deorum loquitur: *Illis stipem jaciunt, victimas cædunt* etc. Ipse, VII, de Benef. cap. 4: *Tamen diis posuimus donum, et stipem jecimus*; et Epist. 116; et Quæst. Nat. IV, 2. Adde Lipsium ad Tac. XIV Annal. cap. 15. Scheff.

septem dona canentes tulerunt[11]; luna interdiu[12] cum stella ab hora tertia usque ad horam septimam apparuit. A fugitivis et desertoribus in Thurinis[13] regiones vastatæ; Cimbri Alpes[14] transgressi per Hispaniam[15] vastatam,

11. *Dona canentes tulerunt.* H. e. cecinerunt per urbem, collegerunt stipem, collectamque intuleruut templis prædictarum dearum. De numero et cantu earum supra dictum. De hac stipis etiam per ipsas colligendi consuetudine hoc ex loco peculiariter observandum fuerit. SCHEFF. *Dona* a *stipe* non recte hoc loco distinguit cl. Schefferus. Melius idem ad cap. 106: «Populus stipem, matronæ thesaurum, et virgines dona Cereri et Proserpinæ tulerunt.» Ritus hujus originem tradit Jul. Firmicus de Errore profanæ relig. pag. 420: «Templum sane et raptori et virgini collatis sumptibus (leg. stipibus) faciunt, et annua in templo vota decernunt.» OUD.

12. *Interdiu.* Forsan scribi debet *Interamnæ* vel *Amiterni*. Ondendorp. ad cap. 56, not. 1.

13. *In Thurinis.* Sub duce Spartaco, de quo Florus, lib. III, cap. 20, et qui ad eum ab aliis notantur. SCHEFF. Atqui desertio sub duce Spartaco facta accidit 30 annis post, ann. Urb. c. 680, et seqq. Quid autem hic lateat, nescio. Tigurini quidem memorantur inter Cimbros et Teutonos, quum ab aliis, tum a Floro, lib. III, cap. 3, §. 18: «Tertia Tigurinorum manus, in diversa lapsi, fuga ignobili et latrociniis evanuit.» Unde forsan pro *in Thurinis* legi debet *Tigurinis*. Nihil tamen audeo definire. Potest enim esse error Obsequentis. OUD.

14. *Cimbri Alpes.* Memorat hæc Epitome Livii LXVII. Sed ibi legitur hoc modo: «Reversique in Galliam bellicosis se Teutonis conjunxerunt.» Ubi viri doctissimi non sine causa suspectum habent illud *bellicosis*. Quod vero putant, *Ambronibus* pro eo legendum, id vel ex auctore nostro intelligitur esse haud conveniens. Alii habent *imbellicosi*, vel *imbellicosis*; unde suspicor, lectionem veram fuisse, «reversique in Galliam, belli causa se Teutonis conjunxerunt.» Syllaba *im* vel *in*, quæ præcedit vocem *belli*, facta est ex præcedenti litera *m*. Literæ vero *au* sæpe permutantur cum *o*: sic habemus *coda* pro *cauda*, *copo* pro *caupo*, et id genus plurima. Sic ex *belli cosa*, quomodo antique scriptum fuit, pro *belli causa*, factum secundum *bellicosa*, et per emendationem *bellicosis*, ut *Teutonis* responderet. SCHEFF. Obsequens hic *Alpes* pro Pyrenæis montibus posuit, ut Varro, aliique: unde apud poetas *geminæ Alpes*; aut scribi debet *saltus*, quomodo non raro vocantur montes Pyrenæi: vel denique male eos se tunc junxisse Teutonis scribit. Nam veras Alpes non transierunt, nisi tunc, quando jam in Gallia Narbonensi ad Aquas Sextias occisione deleti essent Teutoni. Id autem voluit Noster, quod est in Livii loco, per cl. Scheffe-rum citato: «Cimbri vastatis omnibus, quæ inter Rhodanum et Pyrenæum sunt, per saltum in Hispa-

junxerunt se Teutonis. Lupus Urbem intravit[16]; fulminis ictu vultures super turrem[17] exanimati; hora diei tertia, solis defectus lucem obscuravit; examen apum[18] ante ædem Salutis[19] consedit; in comitio lacte pluit; in Piceno tres soles visi; in agro vulsiniensi flamma e terra orta, cælumque visa contingere[20]; in Lucanis duo agni equinis pedibus nati, alter siminino capite[21]; in Tarquiniensi lactis rivi terra scaturienti exorti[22]: aruspicum responso signa

niam transgressi, ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt: reversique in Galliam, in belli casus se Teutonis conjunxerunt.» Sic omnino legendum puto, non *bellicosis* vel *belli caussa*. In MSS. est *imbellicosi* vel *inbellicosis*. Optime autem dicitur *in belli casus*, id est si forte bellandum esset. Veniebant enim, non ad bellum gerendum, sed novas modo sedes quærendas, vel latrocinia agenda. Oud.

15. *Per Hispaniam*, etc. Scaliger *per Histriam*. Clar. Burmannus conjiciebat *post H. tentatam*. Oud.

16. *Lupus Urbem intravit.* Quod vix inter prodigia memorandum putat Bochart. de Animal. III, cap. 20, pag. 825. Scheff.

17. *Super turrem.* Quam turrem? An deest nomen ejus, cui insederunt: num potius locus est corruptus? Et quid, si legatur, *super curiam?* Sed in hoc defectu historiæ divinatio omnis manebit dubia et incerta. Scheff. Conjectaveram *terram*, quod deinde in edd. Pariss. plane scriptum inveni. Oud.

18. *Apum.* In Argentoratensi est *apium*, quod habet et in locis aliis. vid. infr. cap. 130. Scheff. *Apium* etiam in Ald. Asul. (Junt. Bas. 2.) aliisque. Sed vide ad cap. 95. Oud.

19. *Ædem Salutis.* In regione quinta Urbis. Vide P. Victorem. Scheff.

20. *Cælumque visa contingere.* Num evolans in altum, an flammam suam perpetuo igne attollens in tantum spatium? posteriorem sententiam loco huic existimo convenientiorem. Sch.

21. *Siminino capite.* Nihil puto hic mutandum. *Caput simininum*, quod est simiæ capiti simile. Nempe ut a *lupus*, *lupinus*, ut ab *equus*, *equinus*, mutata ultima syllaba *us* in *inus*, ita plane a *simius* est *simiinus*, et per interpositionem literæ *n* inter duas similes vocales euphoniæ gratia, *simininus*. Vocabulum de cætero rarum, et quod nescio an alibi legatur. Scheff. Simile prodigium refert Phlegon Trallianus, cap. 22. Oud.

22. *Terra scaturienti exorta.* Hoc corruptum est, nam et *exorta terra* sensum hic habet nullum, et *rivi* vocabulum nusquam potest referri. Scribendum citra ambiguitatem, *terra scaturiente exorti.* Vult, ex ipsa terra rivos hosce promanasse. Sch. Pro *exorta* reposui *exorti*, ut cum cl. Scheffero scribit Par. 3. Heinsius *scaturientes exorti.* f. *scaturientis*, scilicet lactis. Oros. lib. IV, cap. 5: «Plurimis locis scaturiens e fontibus cruor fluxit.» Oud.

oleaginea duo[23] armata statuta; supplicatumque. In Macedonia Thraces[24] subacti.

23. *Oleaginea duo.* Nam et hoc ad religionem pertinebat, ponere deo signum novum, et ponere ex certa materia. Sic infra cap. 106. *Junoni Reginæ signa cupressea duo* ponuntur. Adde quoque cap. 108, ubi similia reperies. Scheff.

24. *In Macedonia Thraces.* Per Pisonem. Vide Florum, IV, cap. 12, §. 17, et III, cap. 4, et qui vulgo ibi nominantur. His enim cit. locis, a Pisone, qui Rhodopen, Caucasumque penetraverat, perdomiti memorantur, inter quos sævissimi omnium Scordisci fuere. Adde Eusebium, Chronic. numer. 1918, et quæ ibi Scaligero sunt notata. Scheff.

CIV. (43.) *C. Mario, Q. Luctatio, coss.* — U. C. 650. — A. C. 102.

Novemdiale sacrum[1] fuit, quod in Thuscis lapidibus pluerat; Urbs aruspicum jussu lustrata[2]; hostiarum cinis[3] per decemviros in mare dispersus[4], et per dies novem[5] circa omnia templa per magistratus, et municipia[6], pompa ducta supplicatum[7]; hastæ Martis in regia

CIV. 1. *Novemdiale sacrum.* De hoc vide supra cap. 56. Scheff.

2. *Lustrata.* Crebra lustrationis hujus mentio apud scriptorem nostrum. Vide supra cap. 71, 72, et infra cap. 109, et alibi. Fiebat fere per ter novem virgines canentes. Ita sup. cap. 86: *Virgines ter novenæ canentes Urbem lustrarunt*, ubi vide, quæ notavi. Sacrificiorum tamen ratio non semper eadem, de quo in sequentibus. Scheff.

3. *Hostiarum cinis.* Hoc peculiare lustrationis hujus, non commune omnium itaque seorsum memoratur. Quod de mari subditur, intelligi quodammodo ex iis potest, quæ ad cap. 81, sunt notata. Scheff.

4. *In mare dispersus.* Hoc est, sparsus, conjectus est. Neque puto, quidquam hoc in loco mutandum. Scheff.

5. *Per dies novem.* Unde novemdialium vocabulum huic sacro inditum. Ad cujus explicationem pertinent. et reliqua. Hi enim ritus solennes et perpetui in novemdialibus, quod notandum. Scheff.

6. *Municipia.* Corruptum hoc. Quamquam dici possit, conjungenda esse *circa omnia templa et municipia*, et, ut id fieri posset, novem dies esse indictos. Supplicatio enim diversa fuit a novemdiali sacro, cum quo perperam confundit illam cl. Schefferus. Vid. Liv. XXI, 62; XXVI, 23; XXVII, 37. Possentne *municipia* capi pro *municipes*, ut *civitas* pro cives, *servitia* pro servi, etc.? Forsan: *cuncta compita*;

sua sponte motæ; sanguine circa amnem Anienem pluit; examen apum in foro Boario, in sacello consedit; in Gallia, in castris lux nocte fulsit; puer ingenuus Ariciæ flamma comprehensus[8], nec ambustus; ædes Jovis clausa[9] fulmine icta, cujus expiationem, quia prius[10] monstraverat Æmilius Potensis aruspex[11], præmium tulit, cæteris

cap. 72 : *Populus circa compita, sacellaque operaturus*, etc. Oud.

7. *Supplicatum*. In Argentorat. codice legebatur *supplicantum*, pro *supplicatum*, quod puto esse melius. Est autem *supplicantum*, pro *supplicantium*, ut *cadentum*, pro *cadentium*, et id genus alia, de quibus Voss. in lib. de Anal. II, c. 14, p. 313. S. *Supplicantum* omnes ed. quas vidi, ante Lycosthenis editionem. Male. Post *ducta* comma est ponendum. Oud.

8. *Flamma comprehensus*. Non ex foco aut incendio, sed alia, qualis ultro e corpore toto quibusdam solet erumpere. Vide Bartholinum in lib. de Luce animalium, cap. 9, ubi hoc exemplum reliquis debet apponi. Scheff.

9. *Clusa*. Num scribendum *clausa?* Ut infra cap. 114 : *Ædes pietatis in circa Flaminio clausa fulmine icta*. Potest tamen dubitari, annon cognomentum Jovis quoddam lateat in hoc vocabulo. Sch. *Clausa* etiam Pariss. 3. Recte, nisi malis *Clusii*, oppidi in Etruria, cujus meminit cap. 118. Id Heinsium quoque prætulisse nunc video. Oud.

10. *Quia prius*. Hoc corruptum est. Post vocabulum *prius* enim sequitur necessario *posterius* ex vi relationis. At hic nihil tale; cæteri namque celasse dicuntur, non monstrasse postea. Ergo mihi non est dubium, quin scribendum sit *primus*. Scheff.

11. *Æmilius Potensis aruspex*. Hunc aruspicem alibi necdum reperire potui. Dubito, an recte nomen ejus sit scriptum. Sch. Neque ego ullum *Potensis* nomine insignem invenire potui. Vide, Lector, num legi possit *potens artis aruspex*, id est, peritus artis; aruspex, qui optime aruspicinam callebat. Vocem *potens* sæpe construi cum genitivo multis locis ostenderunt viri docti. (Vid. e. g. Burm. ad Val. Flacc. loc. mox citandum.) Immo hoc sensu Valerio Flacco, lib. III, v. 48, Pan vocatur *belli potens*; et Ennio apud Cic. (de Divin. lib. II, c. 56), Æacidæ dicuntur magis *bellipotentes*, quam *sapientipotentes* (pag. 58, Fragm. Ennii, edit. Hesselii). Justinus *humanam patentiam* pro captu, et intellectu humano posuit, l. XII, cap. 16 : *Decessit Alexander, mensem unum* (lege *mense minus*) *annos* XXXIII *natus; vir supra humanam*, etc. Atque ita δυνατὸς non raro in Sacris Literis usurpatur, ut in Luca, Actor. Apostol. cap. 17, Comm. 24 : Ἀνὴρ λόγιος, δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς. Oud. Si conjecturis indulgere liceat, malim *potens aruspex*, id est, clarus, insignis aruspex. Hor. Art. Poet. v. 116, *matrona potens*. Ampelius, cap. 3, *potentissima sidera*, et *stellæ patentissimæ*. Videtur enim

celantibus, quod ipsis[12], liberisque exitium portenderetur. Piratæ in Sicilia[13] a Romanis deleti; Teutoni a Mario[14] trucidati. Ancilia cum crepitu sua sponte[15] mota, servus-

scriba vocem *potens* pro nomine gentili habuisse, quod compendiose scriptum sit, et addidisse terminationem *is*, ut fieret *potensis*.

12. *Ipsis*. Pariss. *ipsi*. OUD.

13. *Piratæ in Sicilia*. Factum hoc Pompeio duce. Vid. Flor. III, 216. SCH. — *Sicilia*. *Cilicia* legendum est cum viris doctis. Vide clar. J. Perizonii Animadv. Hist. p. 415. OUD.

14. *Teutoni a Mario*. Habet et hoc Florus, III, cap. 3, et qui ad ipsum laudari solent. Adde Eutropium, lib. V, cap. 2; Epitom. Liv. LXVIII. SCHEFF.

15. *Ancilia cum crepitu sua sponte*. De scutis sacris, *Ancilia* dictis, res est nota. Et vide, quæ de iis speciatim observavimus in Regno Romano, seu dissertationibus politicis nostris in Livium. Pependisse ordinarie in templo Martis videntur, ubi quoque, quoties suscipiendum erat bellum, is, qui suscipiebat, ominis velut gratia ea solebat movere. Servius ad VIII Æn. Virgil. v. 3: « Is, qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus, prius ancilia movebat. » Adde Alex. ab Alexand. lib. I, c. 26, in fine, ibique Tiraquel. Quia igitur hic sua sponte mota, bellum præmonstrare videbantur. Meminit alias hujus rei et Epit. Liv. LXVIII, ubi tamen legitur, *cum strepitu*, quod mihi quidem rectius videtur. SCH. *Ancilia*, etc. Hæc et sequentia acciderunt ann. Urb. cond. 652. Vide Pighii Ann. tom. III, pag. 166. Pro *crepitu* male cl. Schefferus *strepitu* præfert. Immo in contrariam plane partem abit vir doctissimus J. Brouckhusius, in iis locis, ubi de armis legitur *strepitus*, *crepitus*, reponens ad Tibull. lib. II, El. 5, v. 73:

Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cælo.

Eique adsentitur vir ingenii ac judicii copia abundans, P. Burmann. ad Petron. cap. 122, pag. 577:

Armorum strepitu cælum furit, et tuba Martem
Sideribus tribus acta ciet.

Adde doctissimum Arn. Drakenborch. ad Silium Italicum, lib. XVI, v. 30,

.... Agens crepitantibus agmina cetris;

et Livium, lib. I, cap. 25: *Ut primo statim concursu increpuere arma:* aliosque. Quibus exemplis pœne moveor, ut etiam in Livii Epitome LXVIII, et apud Orosium, ac Valer. Maxim. lib. I, cap. 6, § 12, pro *strepitumque armorum* legam *crepitum*. Præsertim, quia Noster, hoc prodigium iisdem fere verbis in cap. 125 narrans, *crepitum* dicit. Nisi malis *strepitum* interpretari per cæcum quoddam murmur, ut apud Sallust. Bell. Jugurth. cap. 99 (cap. 94): « Super terga gladii et scuta: verum ea numidica ex coriis, ponderis gratia; simul et offensa quo levius streperent. » Justin. l. XXIV, c. 8: « Audisse stridorem arcus, strepitumque armorum. » Silius Italicus lib. IX, v. 280, *strepitantibus armis:* ubi vid. interpretes. Tali sensu Plin. lib. VII, epist. 27, § 5, dixit *strepitum vinculorum*. Quid? quod etiam de majori sono usurpavit Curtius, lib. IV, cap. 1, § 20: « Strepitum

que Servilii Cæpionis Matri Idææ[16] se præcidit, et trans mare exportatus[17], ne unquam Romæ reverteretur[18].

armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. » Oud.

16. *Matris Idææ.* Quomodo Matris Idææ, si et Servilii Cæpionis? Equidem et deos habuisse servos suos, non ignoro; at illi nil huc faciunt. Legendum *Matri Idææ*, quod et Freinshemius vidit in Supplem. lib. XXXIII, cap. 43. Est autem *præcidere se Matri Idææ*, in honorem ac servitium ejus virilia sibi amputare. Id enim faciebant sacerdotes ejus, *Galli* vulgo vocati. Vide Luciani Deam Syriam, Plutarchum in Iside et Osiride, et alios. *Mater Idæa* hic, quæ supra cap. 99, *Mater Magna*, cui *se præcidere* dicitur, quemadmodum *Syriæ deæ comas jactare*, quod a Floro, lib. III, c. 19, § 4, usurpatur. Sch. *Matri Idææ* recte Pigh. Ann. tom. III, p. 166, et Schefferus legunt; idque margini adnotaverunt Scaliger et Heinsius. Hæc autem Dea, ut hoc obiter addam, simpliciter etiam dicta est *Mater*, et *Mater Dea*, ut puto: licet huc usque illud negarint viri docti. Euripides in Bacchis, v. 131:

Παρὰ δὲ μαινόμενοι Σάτυροι
Ματέρος ἐξανύσαντο θεᾶς.

Corrupte apud Strabonem, lib. X, pag. 470, ed. Pariss. (et pag. 720, ed. Amstel.) pro θεᾶς scriptum est Ῥέας (Ματέρος ἐξανύσαντο Ῥέας). Cicero de Harusp. resp. cap. 11: *Dii immortales, atque illa Mater Dea;* ubi *Idæa* reponunt contra omnes MSS. mutant hoc etiam in Arnobio. Verum si non a Cicerone, saltem ita vocatam fuisse Cybelen a posterioribus scriptoribus, opinor. Ubique enim hoc, repugnantibus MSStis, mutare non ausim. Hygin. fab. 191, *Filius Matris Deæ;* sed ibi quoque et in Lactantio, Argum. Ovid. Met. lib. X, fab. 11, cl. Munckerus pro *Deæ* scribit *Deum*, vel *Idææ*. Symmachus, lib. XI, ep. 34, *sacra Deæ Matris:* sed et illic *Idææ* legi volunt (Pareus edidit *Deum*). Prudentium tamen reliquerunt intactum, Hymno X, περὶ στεφανῶν, v. 1062:

Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectisque Matrem brachiis placat Deam.

Quamquam in hoc quoque loco *Deum*, vel *Rheam*, scribi posset. Silentio etiam præterire nequeo, in veteribus Ancyrani monumenti editionibus legi verba ÆDEM. MATRIS. MAG. DEIÆ. IN. PALATIO. FECI. Sed vox DEIÆ non comparet in cl. Cossonii apographo, quod celeberrimus vir, et nunquam sine honoris præfatione mihi nominandus magister meus J. Gronovius edidit. Neque exhibet hanc vocem novissimum eruditissimi Paulli Lucas exemplar, Itinerario suo insertum; ut hinc nihil mihi auxilii ad sententiam de *Matre Dea* confirmandam, exspectandum sit. Oud.

17. *Exportatus.* Videtur, *est portatus*, scribendum. Scheff. Cicero, Verr. III, cap. 15: *Exportandum in ultimas terras portentum.* Oud.

18. *Romæ reverteretur.* Dubitari vix potest, quin sit Obsequentis, *Romam reverteretur.* Itaque et Freinshemius scribere sic voluit in Supplemento suo. Sch. *Romam* quoque legit Heins; sed vide ad c. 97. Oud.

Urbs lustrata, capra cornibus ardentibus[19] per urbem ducta, porta Nævia[20] emissa, relictaque[21]; in Aventino luto pluit[22]. Lusitanis devictis[23], Hispania ulterior pacata; Cimbri deleti.

19. *Capra cornibus ardentibus.* Hoc peculiare fuit lustrationis hujus, nec observatum vulgo in aliis. *Cornua ardentia* intelligo in fascibus sarmentorum, quos habebat præligatos in cornibus. *Accensa cornua* dixit Livius in re non multum dissimili lib. XXII, cap. 16, ubi de dolo Annibalis in Casilino: *Id armentum*, inquit, *accensis cornibus ad montes ageret*. Item, cap. 17: *et accensis cornibus armenta in adversos concitantur montes*; pro fasciculis sarmentorum accensis in cornibus. Sch. Fortasse *crinibus ardentibus*; ut *ardens* significet *splendens*, *fulgens*. Nihil tamen mutare ausim.

20. *Nævia.* Ita recte Pariss. Ant. vulgo *Nevia*. Oud. *Nævia* quoque Basil. 2.

21. *Relictaque.* Libertati suæ, ut, quo vellet, posset abire. Scheff.

22. *Luto pluit.* Est et hoc genus pluviæ rarissimum, nec alibi legitur, quod sciam. Sch. Cl. Freinshemius in supplementis, lib. XXXIII, cap 44, scribit *lacte*. Oud.

23. *Lusitanis dev.* Sic habent quum codd. manuscr., tum edd. pleræque; Junt. tamen, *Lusitani devicti*.

CV. (44.) *C. Mario, L. Valerio, coss.* — U. C. 652. — A. C. 100.

Fax ardens Tarquiniis late visa[1], subito lapsu cadens;

CV. 1. *Late visa.* Nec integra, nec distincta commode hæc puto. Ecquid enim, *late visa fax?* an, quæ locis pluribus, quomodo illud *longe lateque* vulgo usurpamus? Quid ergo facit hic illud *Tarquiniis?* Nam si solis Tarquiniis, quid ita *late?* Itaque pro *late* primum scribo *lata*. *Faces* proprie dicuntur *ferri*, quum huc illucve moventur. Ita Noster ipse infra, cap. 128: *Fax cælo ad occidentem visa ferri*. Quamquam *lata* hoc in loco sit *elata*, id est, sublata in altum, ut apparet ex sequentibus. Nec insolitum Nostro, simplex ponere loco compositi, uti alibi jam observavi. Deinde illud *visa* conjungo cum sequentibus, deleto commate, quod intercedebat. Sic requirit illud *cadens*, quod post sequitur, quoniam non habet alias, a quo regatur. Quamquam et pro *cadens*, mallem *cadere*, quum quia clarius, et cousuetudini Nostri convenientius, tum quia litera *s* adhæsisse lectioni veræ videtur ex initiali verbi subsequentis, atque sic ex *cadere* per emendationem scilicet factum est *cadens*. Scheff. *F. luce visa subito lapsu cadens*. Seneca, N. Quæst. lib. I, c. 1: *Nostra ætas non semel vidit diurnas faces*, etc. vel *late visa subito lapsu cadere*; ut *late cadere* conjungantur. Immo

sub occasu[2] solis, orbis clypei similis[3] ab occidente ad orientem visus præferri[4]; in Piceno terræ motu domicilia ruinis prostrata; quædam convulsa sede sua[5], inclinata manserunt[6]; fremitus armorum[7] ex inferno[8] auditus; qua-

nihil muta, et interpretare cum clariss. Burmanno: per longum et latum cæli spatium visa, longum tractum designans, dum caderet lapsu subito. Seneca, ibid. cap. 14: « Hæc, veluti stellæ, exsiliunt, et transvolant, videnturque longum ignem porrigere propter immensam celeritatem. » Hinc est, quod visa circa hoc tempus fax ab aliis *lancea* seu λογχίτις, ut Græci dicunt, vocetur. Vide doct. Savar. ad Sidon. Apollin. carm. 11, v. 120:

Julius in lucem venit, dum laurea fragrat.

Plin. lib. XI, cap. 25. Oud. Si quid mutandum, *alte* pro *late* scribendum, quales literarum transpositiones ubivis obviæ sunt. Vid. Act. Erud. Lips. Sed *late* bene habet. Sic cap. 89, *late diffudit;* cap. 98, *terra late hiavit.*

2. *Sub occasu.* Nihil muto. Suetonius in Claudio, cap. 43, *sub exitu vitæ;* nec mutandum in *sub exitum*, quod viri doctissimi suspicantur. Ita namque etiam in Nerone, cap. 54, et in Vespasiano, cap. 6. Plin. lib. VIII, cap. 32: *Sub ipsa die quam maxime invia petunt.* Consule et indicem. Scheff.

3. *Clypei similis.* Etiam hoc probum. Plautus, Mostel. Act. I, sc. 2, v. 8.

Novarum ædium esse arbitror similem ego hominem. Scheff.

4. *Præferri.* Pessime. Scribendum est, *perferri*, h. e. eo, ex loco altero, deferri. Plinius namque transcurrisse scribit, lib. II, cap. 34; ubi hoc ipsum prodigium, tamquam singulare commemorat. Sch. Recte. *Præferri* quidem *faces* dicuntur a Cicerone, Ovidio, etc. sed alio sensu. Posset quoque legi *proferri;* quod placuit etiam Heinsio, qui et *perferri* conjecit. Cl. Burmannus, *referri*. Oud.

5. *Convulsa, sede sua.* Distinctio est vitiosa. Scribe *convulsa sede sua, inclinata. Convulsa sede* est, *convulsa ex sede*, h. e. concussa et commota ex eo, ubi ante firmata stabant, loco; ut hæc sit sententia loci: quum primum essent e sede sua sic commota, ut lapsura in hanc aut illam partem viderentur, mansisse deinde, non erecta tamen, sed sic inclinata in alterutrum latus. Sch. Ut cl. Schefferus, ita etiam hæc conjungunt edd. Pariss. et sic omnino legi debet. Oud. Conjungunt etiam Bas. 2, et Junt.

6. *Inclinata manserunt.* Eodem modo in simili terræ motu loquitur Lucretius, lib. VI, v. 560 et 562:

Tum supera terram quæ sunt exstructa domorum,
Inclinata manent in eamdem prodita partem.

Sic quidam MSS. non *minent*. Oud. sed vide interpr. ad h. l. p. 503, edit. Haverk.

7. *Fremitus armorum.* Plin. lib. II, cap. 57, ubi hoc ipsum explicat prodigium, non *fremitum*, sed *crepitum* appellat. *Crepitum* usurpat et Noster ipse infra cap. 125. Est omnino fremitus hominum equorumque magis, quam armorum: nec

drigæ auratæ in foro a pedibus[9] sudaverunt. Fugitivi in Sicilia[10] præliis trucidati.

tamen facile quid mutem. Vid. inf. 113. Scheff. *Fremitus* non esse mutandum patet ex Cicer. de Har. Resp. cap. 10: «Exauditus in agro propinquo et suburbano est strepitus quidam reconditus, et horribilis fremitus armorum.» Apud Nostrum aliquoties *fremitus terræ*, *inferni*. Locus Plinii lib. II, cap. 57, a Scheffero adductus nihil ad nostri verba pertinet: ibi enim agitur de crepitu in cælo, seu *fremitu cælesti*; de quo cap. 101 et Cic. lib. I Div. cap. 43, hic de fremitu ab inferno. Plura de iis se acturum esse, me monuit cl. Burmannus in notis ad Ovidii lib. XV Metam. v. 783:

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua cælo
Præmonuisse nefas. Oud.

Lubet verba Burmanni ad Ovidii loc. cit. adscribere. An hoc loco *crepitus* scribendum sit, cum Sheffero nondum statuere possim, quum hoc loco non de sono in cælo, sed apud inferos audito agatur. *Fremitum* certe elegantibus verbis eruditissimus Oudendorpius illustravit, sed magis tamen in *crepitum* inclino, quia omnia illa prodigia imaginem veræ pugnæ repræsentabant; in illa vero ante prælium milites arma hasta vel gladio concutere solebant, unde crepitus, qui junctus clamori bellico terrorem hostibus incutiebat. Vide, quæ notavimus ad Petron. cap. 56, et quæ passim rei militaris scriptores habent. Denique *crepare* et *crepitare* proprie arma dici eleganter docuit Brouckhusius ad similem Tibulli locum, lib. II, eleg. 5.

8. *Ex inferno.* Id est locis subterraneis. Ita mox cap. 106: *Fremitus ab inferno ad cælum ferri visus.* Ubi quid *infernus* sit, ex oppositione colligitur. Plinius, ubi prodigium illud describit, nullam hujus rei facit mentionem. Scheff.

9. *A pedibus.* Id est in illa tantum parte sudor erupit. Ita Cicero, Verr. V: *Ne denudetur a pectore, ne cicatrices populus romanus aspiciat.* Recte autem *pedibus*, quia quadrigæ, trigæ, bigæ, usurpantur non de vehiculis solum, sed junctis quoque equis. Qua de re jam pridem egi in II de Re Vehiculari. De sudore tali vide judicium Plutarchi in Coriolano, p. m. 232. Scheff.

10. *Fugitivi in Sicilia.* Immo in *Cilicia.* Vide Sigon. ad Epit. Liv. lib. LXIX. Sch. Male *Cilicia* reponit Schefferus. Vindicat vulgatum, et virum doctum esse deceptum docet celeb. J. Perizon. Animadvers. Hist. cap. 9, p. 414. Aliud mendum latet, scilicet in voce *præliis.* Nullis enim præliis sunt trucidati, sed per M. Aquilium, qui Perpernæ exemplo usus est, obsessi fame perierunt. Vide Flor. lib. III, c. 19, §. 8. Epit. Livii LXIX. Lego *in Sicilia sine præliis* vel *prælio trucidati.* Quam facile vocula *sine* excidere potuerit per præcedens vocabulum *Sicilia*, nemo non videt, modo codd. manuscriptorum aliquem usum habeat. Oud.

CVI. (45.) *M. Antonio, A. Postumio, coss.* — U. C. 653. — A. C. 99.

Bubone in urbe viso, Urbs lustrata: nimbis et procella plurima dissipata; fulmine pleraque tacta; Lanuvii[1] in æde Junonis Sospitæ, in cubiculo deæ[2] sanguinis guttæ visæ;

CVI. 1. *Lanuvii.* Fuit enim alia Junonis Sospitæ Romæ etiam ædes, in regione urbis decima, prope ædem Matris Deum, P. Victore teste. Sch.

2. *In cubiculo deæ.* Quale hoc Junonis cubiculum in ipsius æde? Num separatim præter sacrarium, in quo spectandam se præbebat adorantibus, reliquumque præstantibus cultum, habebat et cubiculum, in quo requiescebat tempore nocturno? Ita videor colligere hinc posse. Nec fortasse mirum, quum diis suis omnia ad humanum affinxerint modum, dederint lectos, instruxerint mensas epulis, pectines, specula, et id genus reliqui supellectilis eis assignarint, instruxerint ministris, induxerint vehiculis, etc. sicut hæc passim de paganis leguntur. Cur non tribuerint et domum, et in ea conclavia diversa? Schef. Prius putavi, hæc esse corrupta, et legendum *in scutulo;* quia Cicero lib. I Nat. Deor. cap. 29 refert: « Sospitam, ne in somnis quidem, videri, nisi cum pelle caprina, cum scutulo; » et quia apud Servium sunt hæ preces: « Juno Curilis tuo curru clypeoque tuere meos curiæ vernulas sane. » Vide ampl. Cuper. Observ. lib. II, cap. 2. Huc accedit, quod post hoc prodigium sequatur, subactos esse Lusitanos, ut cap. 121: « Scuta equitum parte exteriore cruenta visa prosperum sibi interpretatus est, et continua ei prælia cum successu fuerunt. » Hæc vero conjectura licet amicis meis, quibus ostenderam, valde placuerit, nunc tamen penitus rejicere non audeo vulgatam lectionem. Apuleius enim de Isidis templo lib. II Metam. pag. 265, ed. Elm. dicit: « Quum ad ipsum templum pervenimus, etc. qui venerandis penetralibus pridem fuerant initiati, intra cubiculum deæ recepti, disponunt rite spirantia simulacra. » Adde Herodot. lib. I, cap. 182, unde apparet, quid sit cubiculum deæ. Immo Varro, lib. IV de Ling. L. [pag. 39 ed. Dord.]: « Ubi cubabant, cubiculum: ubi cœnabant, cœnaculum vocitabant; ut etiam nunc Lanuvii apud ædem Junonis, et in cætero Latio, ac Faleriis, et Cordubæ dicuntur. » Quin etiam tali sensu dixit Livius lib. XXIV, cap. 10: « In æde intus Junonis Sospitæ corvos nidum fecisse. » Nam *intus* apud Latinos significat *in cubiculo*, ut apud Græcos ἔνδον. Confirmat hanc explicationem ejusdem Livii locus lib. XXI, 62: « Corvum in ædem Junonis devolasse, atque in ipso pulvinario consedisse. » Voculam *in*, ut hoc obiter addam, apud Livium deleri non necesse est. Eodem enim modo dixit Plautus, Mil. Glorios. Act. II, Sc. 6, v. 3:

Nursiæ ædes sacra[3] terræ motu disjecta. Lusitani rebellantes subacti. Sextius[4] tribunus plebis de agris dividendis populo quum, repugnantibus collegis, pertinaciter legem ferret, corvi duo numero[5] in alto volantes, ita pugnaverunt supra concionem, ut rostris unguibusque lacerarentur[6]. Aruspices sacra Apollinis litanda[7], et de

Illa hæc nostra intus est in ædibus.

OUDENDORP.

3. *Ædes sacra.* Quænam? si de una peculiari dicere voluit, nomen ejus debuerat adjecisse, ac sic facit alibi. Quare suspicor, scripsisse, *ædes sacræ*, atque mox *disjectæ*. Natam autem esse hanc lectionem ab eo, qui Nursiam putabat esse deam, quum sit oppidum, cujus Noster supra quoque cap. 55, fecit mentionem. SCHEFF. Obsequens de *æde sacra Jovis* loquitur. Vide cap. 108, et ita cap. 103. *Simulacrum in templo* intelligit *Martis*, de quo egerat cap. 102. Ibid. *signa oleaginea duo armata statuta*, nempe *Palladi.* Nihil ergo mutandum est : nisi malis *Murciæ ædes s.* quam fuisse sub Aventino juxta Circum, notum est. OUD.

4. *Sextius.* Perperam : scribendum namque *Sextus Titius.* In libro veteri fuit *Sex. Titius.* Id deinde junctum, factumque *Sextitius*; in quo quum literæ *ti* bis viderentur positæ, per emendationem natum *Sextius.* Sexti Titii meminit Cicero de Orat. II, cap. 11, et in *Bruto* cap. 62. SCHEFF. Scribe cum Pighio Ann. tom. III, pag. 181, *Sex. Titius.* OUD.

5. *Duo numero.* Eleganter, et ex consuetudine Latinorum illud *numero* quasi abundat. Cicero, de Orat. *Hæc sunt enim tria numero.* Adde, quæ observat summus vir Joan. Fr. Gronovius, lib. I de Pecun. Vet. p. m. 72. SCHEFF.

6. *Lacerarentur.* Tanta fuit pertinacia, ut non modo se peterent, ac ferirent rostris unguibusque, sed et vulnerarent, immo lacerarent. S.

7. *Sacra Apollinis litanda.* Sic Virgil. lib. IV Æn. v. 50.

Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis,
Indulge hospitio...

Verum Servius haud probat: *Diis*, inquit, *litatis debuit dicere. Non enim sacra, sed deos sacris litamus, id est, placamus. Ergo nove dixit.* Novitas tamen hæc probata Nostro aliisque; nec abludit, quod habet Propertius, lib. IV, El. 1, v. 24.

Pastor et ad calamos exta litabat ovis.

Et hoc quidem clarum. Utrum vero scripserit *Apollinis* Noster, an vero *Apollini*, potest esse dubium; eruntque, quibus hoc posterius rectius videbitur. SCHEFF. Errorem Servii refellit etiam celeb. Grævius ad Flor. lib. III, 4, §. 2, *Litare diis sanguinem humanum* (Duker. ad Flor.) et J. Brouckhus. ad Propertium. Quibus adde Ovid. lib. XIV Metam. v. 156,

..............sacrisque e more litatis;

Lucan. lib. I, v. 632,

....neque enim tibi, summe, litavi,
Jupiter, hoc sacrum.

[ibique Oudendorp.] Unde videtur hoc loco legendum esse *Apollinis*: quod Pighius et Schefferus ut et

lege, quæ ferebatur, supersedendum, pronuntiarunt. Fremitus ab inferno ad cælum ferri visus inopiam famemque portendit; populus stipem[8], matronæ thesaurum[9] et virgines dona[10] Cereri et Proserpinæ tulerunt; per virgines

Heinsius voluerunt. Vide tamen ad cap. 108, not. 7. OUD.

8. *Populus stipem.* De stipe, quam offerebant diis, Cereri præsertim ac Proserpinæ, dixi supra c. 103. SCH.

9. *Matronæ thesaurum.* Quid hoc est? Thesauri veteribus cellæ, in quibus recondebant pecunias, ut ostendit Gellius, lib. XI, cap. 10, §. 3, et Servius ad Virgil. IV Georg. v. 229. Sed hi quidem nil huc faciunt, quod quilibet intelligit. Alias *thesauri* ipsæ sic reconditæ pecuniæ, quod Icti passim testantur. Verum illi pridem repositas ita putant dici, quod et ipsum non conveniens huic loco. Locus enim agit de pecuniis recentissime conditis, quas et ipsas liquet hinc, thesauros dici. Sed si locum sic exponimus, quæ differentia est inter stipem et thesaurum? nam et stipes pecunia recens reposita: ea namque sic vocata, quæ recondita in cellis, ibique constipata. Varro, IV L. L. « Quod asses libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparent: a stipando stipem dicere cœperunt. » Habes ecce de stipe, quod alii de thesauris; quomodo igitur hic populus stipem, matronæ thesaurum ferunt, tamquam diversa? Stipem puto proprie fuisse assium, et monetæ æreæ, thesaurum contra auri vel argenti. De stipe testatur ipse Varro, quod fuerit ex assibus libralibus, in verbis antea allatis, unde et subjungit, *æs quoque stipem dicebant.* Festus ait: « *Stipem* esse nummum signatum testimonio est, id quod datur *stipendium* militi. » Convenit, quod habet Suetonius in vita Augusti, cap. 91: « Ex nocturno visu etiam stipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum asses porrigentibus præbens. » Qui hic asses porrigunt, præbent stipem. De thesauro autem colligitur ex Virgilio, quando ex hac, ut opinor, causa inquit, lib. I Æn. v. 362:

..............Veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.

Thesauri hic ex argento sunt et auro, neque officit, quod dicantur *veteres*, quia quum reponebantur, tales non fuere. Itaque hæc Nostri sententia videtur, populum quidem ac vulgus promiscuum contulisse asses nummosve æreos, matronas vero aureos vel argenteos. SCHEFF. De thesauro Cereri et Proserpinæ ferendo, quando prodigium erat factum, vide Sibyllina Oracula apud Phlegontem Trallian. cap. 10. Θησαυρὸν μὲν πρῶτα νομίσματος etc. OUD.

10. *Virgines dona.* Thesauro et stipi opposita, et ab eis distincta, quod notandum. Puto autem per *dona* intelligi, quæ non essent nummi, sed res aliæ, quales ad ornatum aut supellectilem deorum pertinentes, et interdum ex illa ipsa stipe, fiebant. Vide Livium, lib.

viginti septem cantitatum[11]. Signa cupressea[12] duo Junoni reginæ posita. In Lusitania prospere a Romanis pugnatum.

XXVII, cap. 37, ubi de stipe hujusmodi, subjungitque: *Inde donum, pelvis aurea facta*. Scheff.

11. *Cantitatum*. Urbis lustrandæ causa. Vide cap. 86, et ibi notas. Ita supra cap. 94: *Virgines ter novenæ in Urbe cantarunt*. Adde quoque inter alia cap. 86 et 96, quæque ibi diximus. Scheff.

12. *Signa cupressea*. Vide supra cap. 103. Meminit alias et Livius, XXVII, cap. 37. Scheff.

CVII. (46.) *Q. Metello, Tullio Didio*[1], *coss.* — U. C. 654. — A. C. 98.

Bubone in Capitolio supra deorum simulacra[2] viso, quum piaretur, taurus victima[3] exanimis concidit[4]. Fulmine pleraque decussa. Hastæ Martis in regia motæ. Ludis[5] in theatro creta candida[6] pluit: fruges et tempe-

CVII. 1. *Tullio Dedio*. Scribe *T. Didio* cum comment. ad Fast. ann. Urb. C. 655, et Delrio ad Senecam, Œdip. v. 361. A. U. 654.

...cæsum tenuis abscondit caput
Membrana. Oudend.

2. *Supra deorum simulacra*. Jovis, credo, Junonis, et Martis. Hi enim juncti colebantur in Capitolio: quamquam ibi cellæ essent etiam aliorum numinum. Videndus est Rycquius in lib. de Capitolio. Sch.

3. *Quum piaretur taurus, victima*. Distinctio inepta. Non piabatur taurus, sed visus bubonis. Ergo scribe, *quum piaretur, taurus victima*. Sensus, concidisse taurum, qui victima erat futurus. Scheff. Ut a cl. Scheffero, ita in Ald. cæterisque edd. antiquis hæc distinguuntur. Vide ad cap. 75. Cl. Burmannus *piaretur tauro*, v. Ovid. I Art. Am. v. 649.

.:.... monstratque, piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.

Tacit. lib. V. Hist. cap. 13, *prodigia hostiis piare*, et passim. Oud.

4. *Exanimis concidit*. Vide quæ notavi supra cap. 75. Scheff.

5. *Ludis*. Id est, eo tempore, quum ludi celebrarentur. *Ludi* autem intelliguntur excellentiori notione, qui alias *Magni*, seu *Romani* dicti, et in mense septembri solebant celebrari; ut sic illo tempore hoc prodigium acciderit. Quamquam, si fatendum verum, illud *ludis* mihi admodum sit suspectum, putemque sub eo latere nomen loci, ubi hoc factum, *Lunæ* forsan, vel quid simile. Scheff. Nihil hic mutari debet. Vide supra ad cap. 61, not. 3. Oud.

6. *Creta candida*. Est enim alia non candida. Plinius, XXXV, cap. 17. «Cretæ plura genera. Ex iis Ciemoliæ duo ad medicos pertinentia, candidum, et ad purpurissum inclinans.» Scheff.

states portendit bonas. Sereno tonuit. Apud ædem Apollinis decemviris[7] immolantibus[8] caput jocinoris[9] non fuit: sacrificantibus anguis ad aram inventus. Item androgynus

7. *Decemviris immolantibus.* Decemviros intelligit sacrorum. Ita sæpe alibi quoque simpliciter *decemviros* appellat, ut cap. 80: *Decemviri pronunciaverunt, se invenisse in sibyllinis*; et 81: *Per decemviros supplicatum*; cap. 104: *Hostiarum cinis per decemviros in mare dispersus.* Et sic alibi. Sch.

8. *Immolantibus.* Id est, molam salsam inspergentibus capiti victimæ, priusquam feriretur. Quomodo ergo sequitur, ut jocinori tum defuerit caput? Exta inspici non poterant ante mortem victimæ: num ergo *immolantibus* generaliori notione accipiendum de sacrificantibus? at sequitur tanquam diversum et distinctum a priori, *sacrificantibus*. Metuo igitur, ne hic quædam sint trajecta, locusque integer sic formandus: «Apud ædem Apollinis decemviris immolantibus, anguis ad aram inventus, sacrificantibus, caput jocinoris non fuit.» Sed forsan nihil est mutandum, et *sacrificantibus* intelligendum de iis, qui victimam imponunt aræ cremandam; *immolantibus* vero de iis, qui cætera omnia faciunt, quæ cremationem antecedunt, quale post mactationem, etiam est inspectio extorum. Certe alibi etiam sic loquitur, ut cap. 76: «Posthumius consul quum immolaret, in plurimis victimis caput in jocinore non invenit»; cap. 95: «Catone consule immolante exta tabuerunt; caput jocinoris inventum non est.» Schef.

9. *Caput jocinoris non fuit.* Simili fere modo cap. 112: *Caput jocinoris defuit.* Mallem tamen pro *jocinoris*, *jocinori* hic legere. Schef. Non videtur mihi legendum esse *jocinori*. Neque enim dicere auctor voluit, caput non fuisse jocinori; sed caput jocinoris non fuisse immolantibus decemviris: ut c. 112: *Consuli bis immolanti caput jocinoris defuit*: quæ merito distinguit vir summus J. F. Gronovius ad Livii lib. XXX, cap. 2: *Immolanti caput jocinoris defuit*: ubi in vulgatis erat *jocinori*. Oud.

10. *Inter pila militum.* Quinam hi milites, et quod eorum in circo negotium, maxime cum pilis? An, ut compescerent, si quæ ex studio factionum inter spectantes orirentur dissensiones ac turbæ? Verum tale quidpiam ante tempora Cæsarum fuisse receptum, non recordor alibi me legere. Milites alias fuisse ipsos etiam inter spectatores, certum; spectasse quoque confusos cum cætera plebe, mox ab Augusto secretos, peculiari eis assignato spatio, ex Suetonio manifestum. At vero hos armatos et cum pilis spectasse, nescio, an sit vero consentaneum. Deliberent de hoc loco eruditi, videantque, num intelligi hic debeant, qui in amphitheatro bestias trucidabant, si forte redditæ essent efferatæ, atque *confectores* alias appellabantur. De quibus Vales. ad librum IV Hist. Eccles. Euseb. p. m. 72. Sch. — *In Circo etc.* hoc quidem in castris sæpe accidisse pilis militum dicitur, teste

in mare deportatus. In Circo inter pila militum[10] ignis fusus[11]. Hispani pluribus præliis devicti.

Seneca, lib. I, N. Q. 1 : «In Romanorum castris visa sunt ardere pila, ignibus scilicet in illa delapsis.» Lucanus, lib. VII, v. 158:

Excussit cristas galeis, capulosque solutis
Perfudit gladiis, erectaque pila liquavit.

Ita legendum est ex MSS. pro *ereptaque*. (Sed vide Cortium ad hunc locum Lucani.) Edit. autem Bipont. exhibet *ereptaque*. Ed. Silius Ital. lib. VIII, v. 628:

Per subitum attonitis pila exarsere maniplis.

Verum quis locus, stante republica, armatis militibus in Circo? an ut coercerent populum, ne quis foris et suis ordinibus excederet? Si autem indulgere conjecturis licet, multæ proferri possent; veluti *instar pili militum*. Sic cap. 101, *pila cœlo cadere visa*, vel *interdum pilæ similis*. Uti apud Senec. Nat. Quæst. lib. I, cap. 1 : «Nos quoque vidimus non semel flammam ingentis pilæ specie.» Vel denique *inter pilas limitum* : ut metas intelligat. J. Argolus ad Onuph. Panvin. cap. 8, de Circo, hæc pila militum ad ornamenta circi refert, ut victorum militum pila, velut consecrata in circo suspensa fuerint ad ornamentum. Oud. Editioni Obsequentis, qua utor, adscripsit nescio quis : pro *in Circo*, lege *in castris*.

11. *Ignis fusus*. Eleganter, id est, sparsus copiose. Ita apud Plinium, lib. XXXVII, cap. 6, *fulgor fusus* legitur. Ignis autem hic intelligendus cælestis, aut is, qualem alibi ambivisse vestes, capita, corpora memoravit. Scheff. Seneca, N. Quæst. lib. I, cap. 15 : *late fusus ignis*. Oud.

CVIII. (47.) *Cn. Cornelio[1] Lentulo, P. Licinio, coss.* — U. C. 655. — A. C. 97.

Supplicatum in Urbe, quod androgynus inventus, et in mare deportatus erat. Pisauri terræ fremitus[2] auditus. Muri[3] pinnæ sine terræ motu passim dejectæ[4] civiles portendere discordias. Nursiæ[5] simulacrum Jovis in par-

CVIII. 1. *Cn. Corn.* Asul. *C. Corn.* Oud. A. U. 655.

2. *Terræ fremitus*. Oppositus, opinor, illi, qui supra cap. 101, *fremitus cœlestis* dicebatur. An est ille ipse, qui alibi *fremitus inferni*? Sic videtur. Vide infra cap. 113. Scheff.

3. *Muri*. Cujus? an Pisauri, de quo proxime præcessit? non opinor, verum urbis Romæ. Sch.

4. *Dejectæ*. F. *disjectæ* : cap. 106, *ædes sacra terræ motus disjecta*; cap. 121, *Turres hostium vento disjectæ*. Horat. lib. XI, Od. 19, v. 14:

. . . . .tectaque Penthei
Disjecta non levi ruina. Oud.

5. *Nursiæ*. *Nursinæ* Antv. Oud.

tem sinistram conversum. Cupressea[6] simulacra Junonis Reginæ[7] posita per virgines viginti septem[8], quæ Urbem lustraverunt. Celtiberi, Medi, Dardani[9] subacti.

6. *Cupressea. Cupressa* Antv. 1. Oud.

7. *Junonis Reginæ.* Vix possum dubitare, quin, ut supra cap. 106, ita et hoc loco scribi debeat *Junoni;* Scheff. Ego contra censeo, motus Livii verbis lib. XXVII, cap. 37: «Post eas duo signa cupressea Junonis Reginæ portabantur, etc.» Adde Muncker. ad Anton. lib., cap. 6, et ad Hygin. Fab. 40 et 143. Aliud autem ulcus hic latet. Neque enim cupressea illa simulacra per virgines sunt posita: sed vox *cantitatum* hic excidit, et post *posita* distinctio adhibenda est. Patet id ex cap. 106, et Livii citato supra loco, qui consulendus est. Matronæ ponebant hæc signa, non autem virgines. Oud.

8. *Per virgines viginti sept.* Ergo et hujusmodi quid aliquando factitatum est ab eis, quod notandum, jungendumque cæteris earum muneribus, quæ occurrunt c. 103. Sch.

9. *Medi, Dardani.* Num scribendum, *Mæsi*, ut habet Freinshemius, recitans hæc in Supplementis Livianis. Fors non opus est; potest enim vulgatum defendi per Plinium, qui Medos memorat, Dardanis et Denselatis vicinos, lib. IV, cap. 1, ubi de Epiro: «Dardanis lævo Triballi prætenduntur latere, et Mœsicæ gentes; a fronte junguntur Medi et Denselatæ.» Scheff. Pighius, Ann. tom. III, pag. 189, scribit *Mædi* per æ. Apud Græcos certe Μαιδοὶ vocantur, ut patet vel maxime ex Epitomatore Stephani, qui eo litterarum ordine hos populos recenset. Frequenter tamen in Græcorum libris etiam invenitur Μεδοὶ, ut hic *Medi;* et apud Martian. Capell. lib. VI, pag. 209, *Media:* quod an sit præferendum, nescio. Dubitabat quoque magnus Casaubonus ad Strabonem, libro VII, pag. 295, et 316, ed. Par. (et pag. 453, 486, ed. Amst.) Aliquando reperias etiam Μηδοί. Et sane quasdam Thraciæ gentes Medorum ex Asia fuisse colonos, olim creditum est. Vide Herodotum, lib. V, cap. 9. Verum ut, quod censeo, dicam, Μηδοὶ cum viris magnis, Salmasio ad Solinum, pag. 179, ed. Ultr. Casaubono ad Athenæum, pag. 91, Holstenio ad Stephanum, pag. 294, corruptum esse, opinor, et pro eo, vel Μεδοὶ vel Μαιδοὶ, in auctoribus reponendum. Ad alterum Μεδοὶ quod attinet, nihil temere quid mutem: utrumque enim et Μαιδοὶ et Μεδοὶ dixisse ac scripsisse veteres videntur. Certe sonum τοῦ αι et ε non fuisse diversum, sed eumdem fere, patet ex antiquis monumentis, in quibus χέρε pro χαῖρε, κὲ pro καὶ, et similia inveniuntur: hinc in Glossis Stephani sub littera ε, Μενὶς occurrit, pro Μαινὶς. Quod mutari non debebat ab N. Heinsio. Sed jam plus satis. Semel hæc dicta sufficiant. Infra autem aliquoties occurret. Oud.

CIX. (48.) *Cneo Domitio, Caio Cassio, coss.* — U. C. 656. — A. C. 96.

Lupus Urbem ingressus, in domo privata[1] occisus. Bubo in Capitolio occisus. Fulmine pleraque decussa. Signa aurata Jovis cum capite[2], columnaque[3] disjecta. Fæsulis[4] sanguine terra manavit[5]. Arretii mulieri e naso spicæ farris natæ: eadem farris grana vomuit. Urbe

CIX. 1. *Privata. Private* Antv. 2. Oud. A. U. 656.

2. *Cum capite columnaque.* Hæc forte corrupta sunt. Nam si eversa signa, utique fieri hoc aliter non potuit, quam ut everterentur cum capite, qui enim alias, hoc non everso, fuissent eversa? Si eversa columna, cui signa insistebant, quomodo non eversa et signa? Signa possunt everti, stante columna; eversa columna, signa stare nequeunt: videntur ergo aliqua hic otiose dici, aut corrupta esse, quæ emendatione opus habeant. Verum malim credere, verbum *disjecta* proprie sic usurpari a Nostro pro in partes diversas jacta, ut *disjecta cum capite et columna* significent ea signa, quorum in partem aliam caput, in aliam corpus reliquum, in aliam columna est conjecta. Ita integra manebit lectio vulgata. S.

3. *Columnaque.* Quomodo? an signa illa plura unam tantum habuere columnam? Hoc vero fieri vix potuit, quum præsertim omnia essent Jovis. An ergo scribendum *columnæque?* Habebant enim signa columnas suas, quibus majoris honoris causa erant imposita. Vide supra cap. 60, ubi pariter in plurali: *Signa in circo maximo cum columnis evertit.* Sch. — *Columnaque disjecta.* Ald. Asul. *desjecta*, f. *dejecta.* Vide cap. 60, 89. Non vero probare possum, quod pro *columna* cl. Schefferus legat *columnæs*, rogans, an signa illa plura unam modo habuerint columnam? Verum rogari etiam liceret, an signa illa plura unum tantum habuerint caput? cur et hoc non mutat? Intelligit autem Noster, signa illa singula cum capite suo columnaque sua dejecta esse. Oud.

4. *Fæsulis.* Sic per diphthongum *æ* ubique scribi oportet; non *Fesulis.* Græcis semper dicitur Φαισοῦλαι, vel Φαισοῦλα, aut Φαίσολα. Oud.

5. *Sanguine terra manavit.* Ut supra cap. 84, *rivi manarunt sanguine:* quanquam non perinde ut *rivi*, ita *terra* possit *manare*, sitque hoc locutionis genus insolentius. Adde infra cap. CXI. Sch. Usurpatur tamen sæpe de rebus solidis, quibus liquor est superfusus, velut apud Cicer. de Divinat. I, 74: « quum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit. » Livius, bello punic. VIII, 57: « Et bos in agro Romano locutus, et ara Neptuni multo manasse sudore in circo Flaminio dicebatur. »

lustrata[6], Ptolemæus, rex Ægypti[7], Cyrenis mortuus, S. P. Q. romanum heredem reliquit[8].

6. *Vamuit, urbe lustrata.* Non hoc fecit, post lustrationem, sed quia hoc fecit, ideo lustratio est secuta, volentibus iis, qui curam habebánt rerum sacrarum, et prodigiorum procurationem noverant. Scribendum igitur, et distinguendum *vomuit. Urbs lustrata.* SCHEFF. *Urbe lustrata* recte se habent : sed distinguendum est hoc modo, *vomuit. Urbe lustrata, P.* etc. Vide c. 71, 72. OUD.

7. *Ptolemæus, rex Ægypti.* Epitoma Liviana lib. LXX, vocat eum regem Cyrenarum : ubi vide hæc ipsa. SCHEFF. Adde Justin. XXXIX, cap. 5; qui « hunc pellice susceptum, Cyrenis regnasse, patris testamento, memorat. » ED.

8. *S. P. Q. romanum heredem reliquit.* Sunt ipsa Epitomæ Livianæ verba, nisi quod nomen *Senatus* omittat. Vide Appian. in fine Mithr. Chron. Eus. num. MDCCCCXXI, ibique Scaligerum. SCHEFF.

CX. (49.) *P. Crasso, Q. Scævola, coss.* —U. C. 657. —A. C. 95.

Cære lacte pluit. Lebadiæ[1] Eutychides in templum Jovis Trophonii[2] digressus, tabulam æneam extulit[3], in

CX. 1. *Lebadiæ.* Bœotiæ superioris urbe, de qua Strabo, atque alii. SCHEFF. A. U. 657.

2. *In templum Javis Trophonii.* Quod hinc intelligimus fuisse in urbe ipsa, contra, quam in sua tabula exhibuit Laurenbergius. Livius lib. XLV, cap. 27. « Lebadiæ quoque templum Jovis Trophonii adiit: ibi quum vidisset os specus, per quod oraculo utentes sciscitatum deos descendunt, sacrificio Jovi Hercynæque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem descendit. » SCHEFF. Errat vir doctus. *Lebadiæ*, vel potius *Lebadeæ*, dicitur, ut *Numantiæ*, *Priverni*, ἐν Πλαταιαῖς, pro in agro Numantino, Privernati, Platæensi etc. Vide ad cap. 85. *In Numantia.* Ibidem *Banoniæ* pro *in agro Bononiensi ;* ut loquitur in eadem re Oros. lib. V, cap. 6. Ἐν Λεβαδείᾳ quidem hoc oraculum quoque collocant auctor de Mundo pag. 113; Philostrat. in Vita Apollonii, lib. VIII, cap. 19; Suidas et alii. Sed, quo sensu hoc accipiendum sit, patet ex Cicerone, lib. I Divin. cap. 34: *Quumque apud Lebadeam Trophonio res divina fieret.* Adde Perizon. ad Ælian. V. Hist. lib. III, cap. 45. Pausanias, lib. IX, cap. 39, pag. 789, ed. Kuhn. (ed. Sylb. Francfurt. pag. 313.) ἐν ἄλσει fuisse tradit. Hinc Statius lib. VII Thebaid. v. 345, *Et valles, Lebadea, tuas ?* ubi corrigendus est Scholiastes. « Lebadea civitas Apollini sacra, in qua Triphouius et Latamedes Tauropolitæ fratres fuerunt, filii Augæ formosissimi. » Scribe *Trophonius* : pro *Latamedes*

qua scripta erant, quæ ad res romanas[4] pertinerent. Fulminis[5] afflatu pleraque animalia exanimata. Venafri hiatu terra alte subsedit[6]. Vultures canem mortuum laniantes, occisi ab aliis et comesi vulturibus. Agnus biceps, puer tribus manibus, totidemque pedibus natus; ac[7] hastæ

repone *Agamedes* : pro *Augæ*, *Ergini*. Sic enim pater et frater illius nominabantur. Vid. auctores, quos laudant viri præstantissimi L. Holstenius ad Stephan. v. Δελφοί, et Joach. Kuhnius ad Pausan. l. IX, cap. 37, pag. 785. Adde Barthium ad ipsum Statii locum. *Trophonii* nomen latere etiam videtur in verbis illis L. Ampelii, cap. 8, de Miraculis mundi : «Ibi Jovis templum Hyphonis, ubi est ad inferos descensus ad tollendas sortes.» Nec movere aliquem debet, quod hoc templum in Epiro collocet : non raro enim auctor iste errat. Sic cap. 14 Mardonio tribuit, quod accidit Pausaniæ : «Pausanias, qui Mardonium, etc. apud Ascopum (legend. Asopum), Bœotiæ flumen, debellavit : mox proditionis a rege suspectus idem Mardonius, etc. in asylum Minervæ confugit, et ibi fame confectus est.» (Sed vide Duker. ad Ampel. cap. 14, not. 6.) Ut ad Obsequentem redeam, pro *digressus* scribe *degressus*. Oud. Recte Oudend. *degressus*. Tacitus Annal. lib. II, cap. 54, §. 4, *in specum degressus*, et sic aliis in locis.

3. *Tabulam æneam extulit.* Non intelligitur hic aliquod furtum, ut putabat doctiss. Brodæus ad lib. II Epig. cap. 25, pag. 221. Sed nec mentem auctoris satis percepisse mihi videtur eruditissimus Perizonius, censens Eutychidem retulisse inventam istic tabulam : hic enim, sicut in oraculo delphico, solenne erat, ut oraculum consulentes in tabulam scriberent, quidquid vel audiverant in specu, vel viderant. Sic Apollonius apud Philostratum, loco cit. ex antro redit, φέρων βιβλίον etc. Ἐν πίναξι illos debuisse scribere visa sibi, et audita, memorat Pausanias, lib. IX, cap. 39, pag. 792 (pag. 314, edit. Sylburg.). Prodigium vero, sive miraculum hoc constitit in eo, quod hic homo græcus tabulam extulerit, in qua res romanæ erant scriptæ, et quidem *æneam*. Oud.

4. *Ad res romanas.* Fata Urbis prospera, vel adversa, et futuros casus. Ita enim *res* intelligendæ hoc loco. Scheff.

5. *Fulminis*, etc. Excidisse videtur nomen urbis, circa quam pleraque animalia fuerunt exanimata : non enim hoc intelligendum est de omnibus, quæ in toto erant terrarum orbe, animalibus. Forsan *Fæsulis*, vel *Vulsiniis*. Oud.

6. *Terra alte subsedit.* Vide supra cap. 96, et quæ ibi notantur. Scheff.

7. *At hastæ*. Adversativa prorsus hic est otiosa. Mallem *ac*, vel *et hastæ*, neque aliter Obsequens scripsisse videtur. Scheff. Forsan *natus est. Hastæ M.* vid. ad cap. 118, not. 2. Vel delendum est *at*, et legendum : *natus. Hastæ* etc.

Martis in regia motæ. Androgynus Urbino natus, in mare deportatus. Pax domi forisque fuit.

CXI. (50.) *C. Lælio*[1], *L. Domitio, coss.* —U. C. 658. —A. C. 94.

Novendiale sacrum fuit, quod in Volsca gente lapidibus pluerat. Vulsiniis luna nova decidit[2], et non nisi postero die hora tertia comparuit. Puella biceps, quadri-

CXI. 1. *C. Lælio.* Scribe *C. Cælio.* Vid. Commentar. ad Fastos ann. Urb. condit. DCLIX. Oudendorp. A. U. 658.

2. *Luna nova decidit.* Locus hic, quamquam et illius lectionem vulgatam servaverit Freinshemius in Supplementis Livianis, mihi tamen corruptus videtur. Luna nova sane omni destituta lumine, nec videri potest. Unde ergo scitum, quod deciderit? Decidere lunam intelligo, quando instar stellæ cadentis videtur veluti de cælo labi. Et sequitur aperte, quod non, nisi postero die, comparuerit. Comparuerat ergo ea die, qua decidit, quod non convenit in lunam novam. Quid igitur? Existimo scribendum, *luna nona.* Porro *lunam nonam* expono eam, quæ fulget die nona post novilunium. Ratio est evidens, quoniam in novilunio luna dicebatur *prima.* Plinius, II, cap. 13: « Certum est, solis defectum non nisi novissima primave fieri luna, quod vocant coitum. » Prima luna hic, quæ et *coitus*: at coitus quod passim alibi *luna nova*, sive novilunium. Sicut autem prima luna, ita et secunda, tertia, et deinceps dictæ, quæ suo ordine primam sequebantur. Id. l. XXVIII, cap. 16: « Sunt, qui e mare nigroque cor edendum cum pane, prima aut secunda luna præcipiant. » Et l. II, cap. 97: « Æstus itidem triduo in mense consistit, septima, octava, nonaque luna »; ubi habes ipsam lunam nonam. Scheff. Scribe *nona* cum cl. Scheffero. Veget. l. V, cap. 5, *a quinta decima luna*, etc. Scholiast. Germanici, p. m. 200: « Quarta autem luna index futurarum certissima aurarum. » (Conf. Oudend. ad Lucan. l. I, v. 218, pag. 31, 32.) Simile prodigium memorat Livius, lib. XXII, cap. 1: « Capuæ speciem cæli ardentis fuisse, lunæque inter imbrem cadentis. » Dubito tamen, an hoc loco pro *decidit* non melius legas *defecit.* Defectum lunæ in prodigium tractum esse a Romanis, patet vel ex Tacito lib. I An. c. 28: « Luna claro repente cælo visa languescere. » Certe melius conveniret sequentibus « non nisi postero die hora tertia comparuit ». Immo confirmat hanc conjecturam locus Livii, lib. XLIV, cap. 37, « Nocte edita hora luna quum defecisset, etc. clamor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucem emersit. » Scaliger oræ libri sui adscripserat *lana*, intelligens, credo, tale pro-

pes, quadrimana, gemina fœminea natura[3], mortua nata. Avis incendiaria visa, occisaque. In Vestinis[4], in villa lapidibus pluit. Fax in cælo apparuit, et totum cælum ardere visum. Terra sanguine manavit[5], et[6] concrevit. Canes saxa, tegulas vulgo roserunt[7]. Fæsulis ingens multi-

digium, quale meminit auctor, cap. 112, *Præneste lana volitavit*; et Plinius, lib. II, cap. 56, *Lana pluit circa castellum Carissanum*. Oud.

3. *Gemina fæminea natura*. Quid *natura* sit scriptori nostro, alibi jam dixi; vide cap. 85 : ea nempe pars corporis, qua sexus discriminatur. Hinc *fæminea natura*, sexui fœminino propria. *Gemina* vero est *duplex*. Vult membrum muliebre habuisse geminum, sive duplex. Adde infra cap. 113, ubi habes similia. Schepp.

4. *In Vestinis*. Quod est in regione quarta Italiæ. Vide Plin. III, cap. 12. Schepp.

5. *Terra sanguine manavit*. An scribendum, *sanguinem manavit?* Plinius, lib. XIV, cap. 20: « Arborum succo manantium picem resinamque aliæ ortæ in Oriente, aliæ in Europa, ferunt. » Ut arbores manantes picem, vel resinam; sic terra manans sanguinem. Verum nil mutandum; ita namque supra quoque cap. 109, et apud Livium lib. I, c. 59, occurrit *culter manans cruore*, simili ratione loquendi. S.

6. *Et concrevit*. Quid est, *terra concrevit?* aut *terra concrevit sanguine?* Terra dicitur concrescere, quum constringitur et induratur frigore. Lucretius, lib. VI, v. 845:

Frigore quum premitur porro omnis terra, coitque
Et quasi concrescit.

Ad eumdem modum *concrescere* dicitur et *sanguis*, quum frigefactus densatur. Virgilius, lib. XII Æn. v. 905:

. . Gelidus concrescit frigore sanguis.

Verum neutrum horum locum hic habere videtur : non enim dicit, sanguinem concrevisse, verum terram, quæ si eo accipiatur sensu concreta, quo dixi, quomodo ex ea potuit manare sanguis? Quare suspicor, pro *concrevit* apud Nostrum *contremuit* legendum. Fuit nempe primo scriptum *contreuit* cum lineola in capite literæ *e* pro *m*, deinde *t* in *c* factum. Schepp. Cur terra non potest dici concrescere sanguine? Concrescit terra sanguine, quum in glebam est versum, omissa lineola, ut supervacua, sic *concrevit*, arenæ conglomerantur et conjunguntur. Quo sensu Ovidius, lib. XIV Metam. v. 201, dicit:

Concretam sanguine barbam.

Verum hoc non vult Noster. Repetenda est ex priori vox *sanguis*, usitata ellipsi. Vide supra ad cap. 60, not. 3. Ovidius, lib. VII Met. v. 415:

Et sparsit virides spumis albentibus agros.
Has concresse putant.

Heinsius *concrepuit*. Oud.

7. *Vulgo roserunt*. Lege *vultures r.* Oud.

8. *Sepulcra*. Codex Argentoratensis *sepulchra*, et sic semper. Vide

tudo inter sepulcra[8] lugubri veste, pallida facie, interdiu ambulare gregatim[9] visa. Per Nasicam[10] Hispaniæ principes, qui rebellabant, supplicio consumpti, urbibus dirutis.

Kirchmannum de Fun. III, c. 10. SCHEFF. *Sepulchra* etiam Ald. Asul. (Junt. Bas. 2.) Ant. aliæque. Male. OUD. Vid. Aulus Gellius, lib. II, cap. 3, §. 3.

9. *Ambulare gregatim*. Non tota illa et ingens multitudo ambulabat junctim, sed per partes plures divisa, velut in greges. Hoc enim puto illud *gregatim* hic velle. (Plin. VIII, 5, *elephanti* gregatim *semper ingrediuntur*.) SCHEFF.

10. *Per Nasicam*. Adeundi sunt Pigbius, Ann. T. III, pag. 201, 208, et Sigonius ad Fastos Capit. A. U. C. DCLIX, ex quibus patet hoc esse referendum ad annum sequentem. Præterea Sigonius legit *Flaccum*, de quo agit Pigb. ibid. pag. 215. OUD.

CXII. (51.) *C. Valerio*, *M. Herennio*, *coss.* —U. C. 659.—A. C. 93.

Romæ et circa, fulmine pleraque decussa. Ancilla puerum unimanum peperit. Fregellis ædes Neptuni nocte patefacta. Maris vituli[1] quum exta[2] demerentur, gemini vitelli[3] in alvo ejus inventi. Arretii signum æneum Mercurii sudavit[4]. In Lucanis gregem vervecum, quum pasce-

CXII. 1. *Maris vituli*. Hoc est vituli, qui mas erat, qui erat sexus masculini. Cur vero præmittit illud *maris*, et non dicit *vituli maris*? hoc enim convenientius videtur. Deinde, num hoc quoque accidit Fregellis? Mihi est suspicio, sub isto *Maris* latitare nomen loci, ubi accidit hoc prodigium. Alii deliberent amplius. SCHEFF. Nihil muta. Sic *maris anguis* apud Ciceron. lib. XI, Divin. cap. 29. *Fœmina piscis* apud Ovidium, lib. II Art. Am. v. 482. In eo, quod mas erat vitulus, prodigium consistebat. OUD. A. U. 659.

2. *Exta*. Pariss. *Extra*. OUD.

3. *Gemini vitelli*. Ovorum, credo. *Gemini* autem, ut supra *gemina feminea natura*, cap. 111. SCHEFF. *Marem vitellum* in hac re invenias apud Horatium, lib. II, Sat. 4, v. 14. Verum, nonne satis prodigii est in ventre vituli, qui mas est, parvos vitulos, seu μοσχάρια inveniri? Tales saltem hic intelligit Obsequens. *Vitelli* autem voce hoc sensu usus etiam est Plautus, Asin. III, Sc. 3, v. 76.

Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem,
Agnellum, hædillum me tuum dic esse, vel vitellum. OUD.

4. *Signum æneum Mercurii sudavit*.

retur[5], et nocte in stabulo flamma circumdata nihil adussit. Carseolis torrens sanguinis[6] fluxit. Lupi urbem ingressi. Præneste lana volitavit[7]. In Apulia mula peperit. Milvus in æde Apollinis Romæ comprehensus. Herennio consuli[8] bis immolanti caput jocinoris defuit. In sacro novendiali cœna Deæ posita[9], a cane adesa[10] ante, quam delibaretur[11]. Vulsiniis prima luce flamma cælo emicare visa,

Similis sudoris exempla v. in Ind. [Adde Plutarch. in Anton. p. 243.] Scheff. Locum Plutarchi, a Scheffero allegatum, invenire non potui. Fortasse est vit. Coriol. pag. 232.

5. *Quum pasceretur.* De die scilicet: ideo mox, velut ex opposito, *et nocte.* Scheff.

6. *Sanguinis. Sanguine* Par. 3, ut cap. 84. *Rivi manarunt sanguine;* cap. 86, *Lacte rivi manarunt.* Silius Italic. lib. VIII, v. 646:

...atro sanguine flumen
Manavit Jovis in templis.

Sed tamen cap. 113, *Sanguinis rivus manavit.* Livius, lib. XXVI, cap. 23, *sanguinis rivos per diem totum auxisse;* lib. XXVII, cap. 37, *sanguinis rivum fluxisse.* Nam aliud est, quod legitur ibid. cap. 28, *Vulsinis sanguine lacum manasse.* Oud.

7. *Lana volitavit.* Quomodo? nivis instar, ut opinor; nam et ejus volitare flocci videntur. Scheff.

8. *Consuli, etc.* Freinshemius in Supplementis, lib. XXXV, cap. 14, legit *consule bis immolante, caput jocinori defuit.* Male. Vide ad cap. 107, not. 9. Oud.

9. *Cœna Deæ posita.* Observa consuetudinem in sacro novendiali, alibi haud temere obviam, de cœna diis solita offerri. Dubitat in notis ad An. Taciti, lib. VI, cap. 5, Lipsius, utrum hoc sit factum in novendiali sacro funebri, an, quum pluisset lapidibus, solito celebrari. Mihi non est dubium, quin de hoc posteriori sit intelligendum, vel propter totius opusculi hujus argumentum. *Deam* hic secundum excellentiam intelligo Junonem: nam alias non uni deæ deove, verum diis deabusque hæc sacra fiebant. Vide sup. c. 104. *Posita* est elegans et proprium de cibis. Vide, quæ notavi pridem ad Fragmentum Petronii Tragurianum. Scheff.

10. *Adesa.* Ex parte esa, et sic prægustata, ut in re simili loquitur Livius. Vide supra, cap. 61, not. 6, et quæ ibi sunt notata. S.

11. *Delibaretur.* Et sic diis sua efferretur portio: credo enim in cœnis certas quasdam partes libando obtulisse diis, reliquum consumpsisse eos, qui faciebant sacra. Scheff. Consule ampl. Cuperum, Observ. lib. II, cap. 3. Festus: *Janual, libi genus, quod Jano tantummodo libatur.* Lege *delibatur;* ut est in Leid. MSto, teste Munckero ad Hygini Fab. 130: *ut de frugibus Icario, et Erigonæ primum delibarent.* Oud. De loco Festi nihil Munckerus loc. cit.

quum in unum coisset [12], os flammæ [13] ferrugineum ostendit. Cælum visum descendere [14], cujus hiatu vertices

12. *Quum in unum coisset.* Quid? flammane? at de divisione illius nihil antecessit. Ergo cælum, quod dividebatur quasi per eruptionem illam flammæ. Id *coibat in unum*, id est, concrescebat, integrum solidumque denuo fiebat, ut fuit ante eruptionem. SCHEFF. Vid. not. seq. OUDENDORP.

13. *Os flammæ.* Ita puto vocare locum, unde flamma eruperat in cælo. *Os* pro apertura, seu foramine quolibet notum. Ut *os ulceris* apud Virgilium, lib. III, v. 454 Georg. et *ora Ætnæ* montis apud Lucretium, lib. VI, v. 639, 643. SCHEFF. Ut clarus Schefferus, ita prius etiam hunc locum explicabam. Verum nunc meliora doctus capio de ipsa flamma, legens *quum in unum coisset, os flamma ferrugineum ostendit.* Nempe flamma, quæ emicuerat fulminis instar huc illuc sparsa, in corpus unum se redegit, et similis mucroni gladii apparuit: qualis cometa vocatur ξιφίας, vel ξίφος, *quia gladii mucronis effigiem producit*; ut loquitur Hyginus, Fab. 192. Nam, quomodo cœlum, quum coierat, potuit ostendere os flammæ? *Os* autem, ad imitationem Græcorum, pro mucrone usurpasse videtur. Posset tamen etiam *os flammæ* explicari simpliciter per speciem, seu faciem ferrugineam, ut flamma se in unum globum redegerit. Lucem hic locus accipere potest ex Mela, lib. I, cap. 18: «Spargi ignea, passimque micare, et, ut lux appropinquat, ita coire, ac se conjungere videntur, donec, etc. una ad postremum flamma ardeant.» Adde Lucretium, lib. V, v. 663:

Dispersos igneis orienti lumine cerni;
Inde coire globum quasi in unum, et conficere orbem;

et Plinium, lib. XI, cap. 25. *Ferruginis* vero colorem prodigiosum esse patet ex Virgilio, lib. I Georg. v. 466, et Ovidio, lib. XV Met. v. 789. OUD.

14. *Cælum visum descendere.* Sic hæc verba retulit et Freinshemius in Supplemento Liviano. At velim scire, quid sit, *cælum descendit?* Mihi locus vitiosus videtur, quem sic restituo: «Cælum visum discedere, e cujus hiatu vertices flammæ apparuerunt.» *Cælum* dicitur *discedere*, quum aperitur, et sic dividitur, estque oppositum τοῦ *coire*, quod præcedit, et superius est explicatum. Cicero, lib. I Divin. cap. 43: «Quum cælum discessisse visum est, atque in eo animadversi globi.» Et aliquanto post, cap. 44: «Idem exponit, initio belli marsici discessisse cælum.» Seneca, Quæst. Nat. lib. I, c. 14: «Sunt chasmata, quum aliquando cæli spatium discedit, et flammam dehiscens velut in abdito ostendit.» Habes plane illud ipsum, de quo agitur hoc loco: atque ita alibi. SCHEFF. Incertum est, an *discedere*, an *descendere* sit scribendum. Consule cl. Burmanni doctissimam Dissertationem de Jove Fulgeratore, cap. 4, pag. 28. Præferam tamen cum Scheffero *discedere*, ex Plutarcho in Lucullo, pag.

flammæ[15] apparuerunt. Lustrationibus prospere expiatum: nam totus annus domi forisque tranquillus fuit.

496. Ubi, ut hic, τοῦ ἀέρος ἀποῤῥαγέντος ὤφθη μέγα σῶμα φλογοειδὲς etc. Adde J. F. Gronovium ad Senecam, de Benefic. lib. III, c. 37, et N. Heins. ad Ovidii Fastos, lib. III, v. 37:

A media cælum regione dehiscere cœpit.

Apud Livium, lib. XXII, cap. 1, et Oros. lib. IV, cap. 15, legitur: *cælum findi velut magno hiatu visum.* Scaliger quoque, et Heinsius malebant *discedere.* OUD. Heinsius ad Ovid. loc. cit. perperam, inquit, apud Obsequentem (cap. 112.) circumfertur *descendere.* Cæterum de permutatione *discedere* et *descendere* consulendus est Drakenborch. ad Sil. Ital. lib. XVII, v. 1, p. 840.

15. *Vertices flammæ.* Dictæ sic, ut *vertices aquarum*, quum flamma motu contiuno circumacta surgit. *Volumina* vocarunt alii. SCHEFF. Hi *vertices flammæ*, seu potius *vortices* sunt rotationes in acumen quoddam desinentes. Seneca, Nat. Quæst. lib. VII, cap. 11: *Quibus* (cometis, *fusus quidem est ignis, sed in verticem tendens.* Horat. l. IV od. 11, v. 12:

Sordidum flammæ trepidant rotantes
Vertice fumum.

Seneca in Œdipo v. 309:

Utrumne clarus ignis et nitidus stetit,
Rectusque purum verticem cælo tulit?

Aliique. Hinc forsan non male celeberrim. Is. Vossius apud Lucret. lib. VI, v. 690, de Ætna pro *funditque ardorem longe*, etc. legendum conjecerat *vertitque.* In cod. enim antiquissimo scribitur *fertitque.* Male vero huc trahitur locus Tertulliani in Apologetico, cap. 48 (pag. 895, edit. Basil. 1550): « Sive de cælo fulmina stringens, sive de terra per vertices montinm eructans. » Expressit Tertullianus verba Senecæ de Providentia, cap. 1: « Elisorum fulminum jactus, et incendia ruptis montium verticibus effusa. » OUD. Conf. Oudend. ad Lucan. lib. I, v. 573, pag. 78: *flagranti vertice.*

CXIII. (52.) *C. Claudio, M. Perpenna*[1], *coss.* —U. C. 660.— A. C. 92.

Bubo in æde Fortunæ equestris[2] comprehensus, inter manus[3] exspiravit. Fæsulis fremitus terræ[4] auditus. Puer ex ancilla natus sine foramine naturæ, qua humor emitti-

CXIII. 1. *Perpenna.* Scribe *Perperna* cum vir. doct. OUD. A. U. 660.

2. *Fortunæ equestris.* Quæ fuit in regione nona urbis, teste P. Victore. De ipsa vide Gyraldum in Synt. Deor. Videtur et Tacitus nominare lib. III Ann. c. 71, ac sub Tiberio dicere primum structam: sed verba ejus sunt corrupta. Vide, quæ notantur ibi viris doctis, et inprimis Jo. Fr. Gronovio, viro summo. SCHEFF. Heinsius in margine notarat *Sequestris.* OUD.

3. *Inter manus.* Comprehendentium, puta. Justinus pari modo lib. XV, c. 3, de Philippo, fratre Lysimachi: *Inter manus regis exspiraverat.* SCHEFF. Flor. l. III, c. 21,

tur[5]. Mulier duplici natura[6] inventa. Fax in cælo visa. Bos locuta. Examen apum in culmine privatæ domus consedit. Volaterris[7] sanguinis rivus manavit. Romæ lacte pluit. Arretii duo androgyni inventi. Pullus gallinaceus quadripes[8] natus. Fulmine pleraque icta. Supplicatio fuit[9]. Populus Cereri et Proserpinæ stipem tulit. Virgines viginti septem carmen canentes Urbem lustraverunt. Medorum[10] in Macedonia gens[11] provinciam[12] cruente vastavit.

§ 26; lib. III, c. 19, § 12. Conf. Oudend. ad Lucan. lib. II, v. 121, pag. 121.

4. *Fremitus terræ.* Cic. lib. I de Divinat. cap. 18 : *Terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus auditus.* Aliud igitur *fremitus*, aliud *mugitus*, quæ et ipsa differunt a motu, quum hæc sine motu sæpe fiant. Est autem fremitus, strepitus cum clamore mixtus, qualis in pugna, vel certaminibus aliis solet esse. Adde supra 105, et 108. Scheff.

5. *Sine foramine naturæ, qua humor emittitur.* Honestissima circumlocutio membri virilis, quod infelicem illum puerum ait habuisse quidem, sed solidum, imperforatum. De *naturæ* vocabulo dixi in superioribus. *Humor*, urinam significat. Sic apud Sammonicum, ubi de vesica purganda, *vesicæ humor*. Scheff. Pro *qua* Pariss. *quo*. Male, ut puto. Per naturam, qua humor emittitur, describit honeste naturam pueri anteriorem : ut contra dicit *natura posterior*, c. 100. Tales homines Græci ἀτρήτους vocant. Vide Rutgersii VV. LL. lib. III, 18. Oud.

6. *Duplici natura.* Supra *geminam naturam* dixit cap. III : ubi vide, quæ de hac re sunt notata. Scheff.

7. *Volaterris.* As. *Volateris.* Oud.

8. *Quadripes.* Id est, quadrupes, seu cum pedibus quatuor. Scheff. *Quadrupes* scribitur hic et supra cap. III, in edd. quibusdam antiquis. Oud.

9. *Supplicatio fuit.* Junt. *Supplicatum fuit.*

10. *Medorum.* Perperam : scribendum est *Mædorum*, Liv. l. XXVI, cap. 25 : « Ipse priusquam majoribus occuparetur rebus, in Macedoniam, atque inde in Thraciam exercitum ac Mædos eduxit. Incurrere ea gens in Macedoniam solita erat. » Quibus verbis simul liquet, non ipsius Macedoniæ fuisse gentem, sed ei vicinam, et annumeratam Thraciæ. Stephanus : Μαῖδοι, ἔθνος Θρᾴκης πλησίον Μακεδονίας. Adde infr. cap. 125. Sch. De *Medis* vide ad cap. 108. Oud.

11. *In Macedonia gens p.* Forsan *gens Macedoniam*, vel *gens in Mac. provinciam. Provincia in Macedonia* est pars Macedoniæ, quam Romani subegerant. V. Ep. Livii 74, etc. Oud.

12. *Provinciam.* Quam ? Puto deesse vocabulum ejus et fortassis alia, quæ in defectu historiæ librisque Livianis in hac parte perditis difficulter restituuntur. Sch.

CXIV. (53.) *L. Martio, Sexto Julio, coss.* —U. C. 661.—A. C. 91.

Libius Troso[1], P. Tarquinius, leges ferentes, quum bellum italicum[2] consurgeret, prodigia multa apparuerunt urbi[3]. Sub ortu solis globus ignis a septentrionali regione

CXIV. 1. *Libius Troso.* Imo *Livius Drusus.* Epitoma Liviana lib. LXXI: *M. Livius Drusus, tribunus plebis*, etc. Sed oratio est inconveniens, *quum bellum surgeret, ferentes leges.* Scribendum saltem erat, *ferentibus leges.* Probo igitur, quod habet Freinshemius ad Florum, III, c. 17, §. 1, « Livio Druso, plebis tribuno leges ferente. » Scriptum fuit, *P. Tr.* Ex eo a conjectore factum *P. Tarquinius*, quod hodie legitur. Scheff. Legendum videtur esse, cum doctissimis viris P. Leopardo, Emend. lib. X, cap. 17, et Freinshemio ad Flor. lib. III, cap. 17: *Livio Druso, Pl. Tribuno, leges ferente.* Pigh. T. III, p. 194 Ann. et pag. 219, pro *Libius Troso, P. Tarquinius*, scribendum esse censet, *Livius Drusus, P. Tarquitius.* Observandum autem tunc est, Obsequentem uti anacolutho: quod constructionis genus sæpius occurrere apud auctores tam græcos, quam latinos, notum est. Oud. Apud Ampelium, cap. 19, vocatur *Lucius Drusus*, quod mutandum est in *Livius Drusus.* Cæterum emendatio Schefferi h. l. certissima mihi videtur. A. U. 661.

2. *Bellum italicum.* Quod et *sociale* dictum. Eutrop. lib. V. c. 9. « Hunc finem habuerunt duo bella funestissima; italicum, quod et sociale dictum, et civile. » Sch.

3. *Apparuerunt urbi.* Hoc est Romæ. Nam *urbem* pro *Roma* poni, frequentissimum. At genus ipsum loquendi haud ita receptum, *apparuerunt urbi*, pro *apparuerunt in urbe.* Deinde nec hoc verum est: pleraque namque prodigia, quæ subjiciuntur, alibi apparuerunt, atque visa sunt. Itaque illud *urbi* mihi quidem integrum haud videtur; et suspicor, sub eo contineri nomen loci, ubi proxime sequens prodigium est factum. Ita certe solet alibi, et in subsequentibus præmittit subinde nomen loci, tum prodigium subjungit. Post *apparuerunt* ergo scribendum punctum, dein subjiciendum; *Urbini, sub ortum solis.* Hoc enim pro *urbi* rectissime substituetur. Scheff. Pro *urbi* non quidem male cl. Schefferus legit *apparuerunt. Urbini* etc. Sed tamen, ut mutentur hæc, non necesse est. Significat enim: evenerunt urbi, portenta sunt urbi, licet alibi acciderint. Sic cap. 116, « Mithridati adversus socios bellum paranti prodigia apparuerunt; cap. 119, cui prodigium erat factum; et cap. 121, Sertorio tale prodigium est factum. » *Urbinis*, quod Editio Anglica mavult, quid sit, nescio. Asulana, *urbis.* Oud. Junt. *apparuerunt. Urbi sub ortu solis.* Legendum *Urbini;* vid. supra ad cap. 87, not. 2.

cum ingenti sono cæli emicuit[4]. Arretii[5] frangentibus panes cruor e mediis[6] fluxit. In Vestinis per dies septem lapidibus testisque[7] pluit. Ænariæ[8] terræ hiatu flamma exorta in cælum emicuit. Circa Rhegium terræ motu[9], pars urbis murique diruta. In Spoletino colore aureo globus ignis ad terram[10] devolutus, majorque factus, e terra[11] ad orientem ferri visus, magnitudinem[12] solis obtexit. Cu-

4. *Cum ingenti sono cæli emicuit.* Quis sit sonus cæli, non intelligo. Tonitrua innuere haud videtur, quum alibi non soleat sic de eis loqui. Mallem legere vel *cælis*, vel *cælo* emicuit. Sic supra cap. 112, *flamma cælo emicare visa.* Scheff. Recte hæc se habere, clare patet ex Orosio, qui hæc prodigia recenset, lib. V, c. 18: « Globus ignis cum maximo cæli fragore emicuit. » Quis autem sit ille fragor, seu cæli sonus, quem se non intelligere dicit cl. Schefferus, videri potest ad Phædri l. IV, F. 17:

Canes confusi, subito quod ruerat fragor.

Silius Ital. lib. VIII, v. 653:

...raptasque fragore
Horrisono polus, et vultus patuere Tonantis.

Virgil. in Cul. v. 345:

...Jamque superne
Corripere et solis, et sidera cuncta minatur,
Ac ruere in terras cæli fragor.

Sic locus hic legendus ex duobus vetustissimis codd. ab Isaaco Vossio collatis, nisi quod pro *minantur* reposuerim ex conjectura, *minatur*, et pro *vere*, quod est in utroque MSto, *ruere*. Vulgati habent.

Corruere et sol iis, et sidera cuncta minantur.
At venit, etc. Oud.

5. *Arretii.* Scribendum est *Aretii*, ut scribitur apud Livium, Plinium, cæterosque omnes. Scheff. Sed vide ad cap. 100, n. 8. Oud.

6. *E mediis.* Scilicet, panibus fractis. Scheff.

7. *Testisque.* Hoc genus pluviæ vix alibi reperias. Apud unicum Dionem legitur, lib. XL, p. 159, Calvino atque Messalla coss. Sch. Orosius, lib. V, cap. 18. Oud.

8. *Ænariæ.* Insula hæc, quæ ab aliis *Inarime* vocata fuit, celeberrima est, et sita in sinu Puteolano: atqui hoc prodigium accidit *in Samnitibus*, teste Orosio, lib. V, c. 18. Quare lectori considerandum propono, an non melius legi posset *Æserniæ*, quod Samnitum est oppidum. Vid. Cluver. Ital. Ant. lib. IV, 7. Oud.

9. *Terra mota.* Hoc profectum est ab ed. Asul. Aldina habet *terre mota* typographorum vitio, pro *terre motu*; ut semper in ea exaratum est pro *terræ motu*: quod recte præferunt Bas. 1, 2, Ant. Pariss. Vide cap. 105, 106, 122. Oud. *terra mota* habet jam Junt.

10. *Ad terram.* Unde? Ex aere sive cælo, arbitror. At hoc non exstat. An scribendum « in Spoletino e cælo colore aureo globus »? Potuit vocabulum *cælo* esse omissum propter sequens *colo* in vocabulo *colore.* Scheff.

11. *E terra.* Ant. *est t.* Oud. Bas. 2. *est terra*, etc.

12. *Magnitudinem.* Par. 3, *magni-*

mis[13] in arce simulacrum Apollinis sudavit. Ædes[14] Pietatis in circo Flaminio clausa fulmine icta. Asculo[15] per ludos Romani trucidati. Quum[16] ex agris in urbem pecora, armentaque Latini agerent, strages hominum passim facta, armenta[17] in tantam rabiem concitata sunt, ut vastando

tudine. Forsan *mugnitudine solem* ex Orosio, lib. V, cap. 18. «Videre Romani, globnm coloris aurei cælo ad terram devolvi, majoremque factum rursus a terra sublime (sic lege, non *in s.* vide not. ad cap. 101, not. 9.) ad orientem solem ferri, ac magnitudiue sua ipsum solem obtexisse.» Oun.

13. *Cujus.* Etiam hic latet nomen loci, ubi contigit prodigium sequens. Freinshemius pro eo scripsit *Cumis*, Supplem. lib. XXXVI, cap. 1, quod servandum. Quum præsertim aliunde quoque constet, Cumis in arce, Apollinis fuisse simulacrum, firmetque Florus, lib. II, cap. 8, § 3, «Ad hoc cælestes minæ territabant, quum bumore continuoCumanusApollosudarat.» UbiiterumFreinshemiusvidendus. Scheff. Scaliger legebat etiam *Cumis*; quod est verissimum. Oud. Conf. ad cap. 87, not. 9.

14. *Ædes.* Omnes, quas vidi, edition. ante Tornæsianam, *Ædis.* Dixerunt *ædes* et *ædis*, ut *vulpes*, *vulpis*; *grus*, *grues* et *gruis*; *pubes*, *pubis*, *fames*, *famis*, etc. Vide N. Heins. ad Prudentii Cathem. VII, v. 162, aliisque in locis. Oud.

15. *A Sylo.* Imo *a Sylone.* (Quod etiam placet Freinshemio ad Flor. loc. mox citandum.) Neque enim alius hic intelligitur, quam qui cap. 116 subsequenti est *Pompeius Sylo.* At hic casu sexto non est *Sylo*, sed *Sylone.* Nisi malis junctim scribere *Ascylo*, vel *Asculo.* Sic enim Epitome Liviana vocat locum, ubi accidit hoc scelus. Vide eam lib. LXXII. Et videtur plane locus a scriptore nostro nominatus, non auctor. Scheff. *Asculi* conjecerunt Freinshemius ad Florum lib. III, cap. 18, § 9, et G. Vossius ad Velleium, lib. II, cap. 15. «Quum id malum in universam Italiam, ab Asculanis ortum, isset.» Rectius cl. Schefferus, ut et Munckerus ad Hyginum, F. 247, *Delo nullus canis est*, legunt *Asculo.* (Neque Schefferus, neque Munckerus ad Hygini locum cit. mentionem faciunt Obsequentis.) Sic cap. 110, *androgynus Urbino natus.* Florus lib. IV, cap. 2, § 19: *Prima Arimino signa cecinerunt.* Ita legendum, jubentibus omnibus MStis (et edit. vet.), licet celeb. Grævius *Arimini* malit. *Asculo* itaque in textum recepi. Oud. Vid. Arntz. ad verba Aurel. Victor. Epitom. de Cæsaribus, c. 37, p. 560: «Hic Sirmio in turri ferrata occiditur.»

16. *Trucidati, quum.* Pessime. Distinguendum, *trucidati. Quum.* Novum enim subjicitur prodigium, ad quod nil faciunt verba præcedentia. Scheff.

17. *Strages* hic idem est quod cædes, internecio. — *Armenta.* Post *armenta* videtur excidisse vox *enim.* Oudendorp.

suos[18] hostile imaginarentur[19] bellum; lacrymantesque multis affectibus[20] calamitatem præsagirent suis.

18. *Vastando suos.* Id est, iuvadendo, impetendo, notanter de personis. Florus, lib. III, cap. 4, §. 5, « Minucius Thraces toto vastavit Hebro »; ubi vide, quæ a cl. Freinshemio notata sunt. Sch.

19. *Imaginarentur.* Imagine ac specie quadam sua referrent (repræsentarent). Pro *imaginari* Gellius *imaginare* dixit simili significatione, lib. XVI, cap. 18: «Ὀπτικὴ facit, ut speculum in loco certo positum, nihil imaginet; aliorsum translatum, faciat imagines.» Ubi *imaginare* et *facere imaginem* tanquam æquivalentia ponuntur. Sch.

20. *Lacrymantesque multis affectibus.* Hoc non intelligo: quid enim lacrymari affectibus? nec *præsagire affectibus* conveniens satis videtur. Quales deinde affectus hic intelligendi? Num rabiei, et mox tristitiæ, declaratæ per lacrymas? Sed hi non tam multi. Nec *affectuum* vocabulum eo quidem sensu solitum usurpari ætate Liv. quem in his omnibus scribendis præcipuum ante oculos Noster habuit auctorem. Fortasse *multis effectibus* scribendum, et intelligendum de vastationibus, prostrationibus, cædibus factis ab armento: sed hæreo, altiusque metuo subesse vulnus. Schefferus. Forsan *afflictibus*, vel, quod clar. Burman. placebat, *lacrymantesque, multis fletibus calamitatem præsagirent suis.* Oudendorpius. Corrupta hæc esse, nemo non videt; sed quo modo sananda, non ita facile dixeris. Ego sic lego: « lacrymabilemque multis mugitibus calamitatem præsagirent suis »; ut sensus sit, armenta suos vastando, bellum quasi repræsentavisse, et vehementer mugiendo, lacrymabilem calamitatem suis præsagivisse. Præsagire de gallis gallinaceis usurpavit Plinius, lib. X, cap. 21: «Habent ostenta (ex se) et præposteri eorum vespertinique cantus. Namque totis noctibus canendo, Bœotiis nobilem illam adversus Lacedæmonios præsagivere victoriam, ita conjecta interpretatione, quoniam victa ales illa non caneret.» Interim, quia hæc emendatio paulo longius abit a scriptura recepta, non pugnabo cum secus sentientibus.

CXV. (54.) *L. Julio Cæsare, P. Rutilio, coss.* —U. C. 661.—A. C. 91.

Metella Cæcilia[1] somnio Junonem Sospitam profugientem, quod immunde sua templa[2] fœdarentur, quum suis

CXV. 1. *Metella Cæcilia.* Habes hanc historiam commemoratam Ciceroni quoque, lib. I Divin. c. 2, et 44. Scheff.

2. *Immunde sua templa.* Vix hoc probum potest putari. An enim aliquid et munde fœdari potest? Mundum potest, munde non pot-

precibus ægre revocatam diceret, gregem[3] matronarum sordidis[4] obscœnisque corporis coinquinatum ministeriis, in quo[5] etiam sub simulacro deæ cubile canis confœtuerat[6], commundatum supplicationibus habitis, pristino splendori[7] restituit. A Picentibus Romani barbaro more

est, quia quicquid fœdatur, eo ipso fit immundum. Suspicor plane, Nostrum scripsisse, *immundis*, ultimamque literam per subsequentem similem esse absumptam, et sic per emendationem factum illud *immunde*. Porro *immundis* significabit idem, ac rebus immundis, impuris, sordidis, qualis canis cum cubili suo, de quo mox. SCHEFF. Nihil hic mutandum est. *Immunde fœdari* est valde fœdari, ut *male perire*, et apud Græcos κακῶς ὄλλυσθαι. Sexcenta talia apud utrinsque linguæ auctores passim occurrere, nemo nescit. Cicero de Harusp. Resp. cap. 15, dicit *sacella summa turpitudine fœdata*. OUD.

3. *Gregem matronarum*. Quarum? earum credo, per quas cultus Junoni Sospitæ exhiberi solebat. SCHEFF. In hoc loco restituendo sequor emendationem Oudendorpii (not. 5.) hoc saltem discrimine, ut ego pro vulgato *gregem* legam *p. r. ædem*, id est, *populus romanus ædem, matronarum* etc.

4. *Sordidis* etc. *Sordidi obscœnique corporis coinquinatum menstruis* legit Heinsius. OUD.

5. *In quo*. Inquinamento scilicet, fœdante matronas, in eo, inquam, id quoque fuit, quod sequitur de cane: ut magis ad sensum, quam ad verba hic respexerit auctor. Nam alias illud *quo* non habet, ad quod referatur: ut pæne dubitare cogar, an non aliqua hic desint. SCHEFF. Ante hæc verba deesse quædam, velut *et templum*, aut quid simile merito suspicari aliquis posset ex voce *restituit*, et Cicerone lib. I Divin. cap. 2, et cap. 44: «Cæciliæ, Q. filiæ, somno modo marsico bello templum est a senatu Junoni Sospitæ restitutum.» Immo ego hinc potius totum locum ita legendum esse opinor. *Ædem, m. s. o. c. coinquinatam m. in qua* etc. *commundatam* etc. OUD.

6. *Cubile canis confœtuerat*. Hoc vero admodum corruptum. Ecquid enim, *cubile confœtuerat?* quid est *confœtere?* Lego plane, *cubile canis confœtæ erat*. Est autem *canis confœta*, quæ suos omnes secum habet catulos, ita dicta, sicut et *confœtasus* appellabatur. Festus: «Confeta sus dicebatur, quæ cum omni fetu adhibetur ad sacrificium.» Nisi malis legere divisim, *canis cum fœtu erat*. SCHEFF. Amplector Schefferi emendationem *confœtæ*, vel *cum fœtu erat*. Nisi dicamus *confœtescere* (a *fœtere*) ab Obsequente nove usurpatum esse, ut *simininum, quadrumanum*, et hoc ipso c. *commundare*. Forte *confecerat*. *Conficere cubile*, ut *nidum facere* etc. Tale quid est apud Livium, lib. XXIV, cap. 10: «Lanuvii in æde intus Sospitæ Junonis corvos nidum fecisse.» OUD.

7. *Splendori*. In Argent. est *splen-*

excruciati[8]: ubique in Latio[9] clades accensa[10]. Lucilius Lupus[11], spretis religionibus, quum in extis caput non invenisset jocinoris, amisso exercitu in prælio occisus[12].

dore, quod esset dictum per ellipsin præpositionis, pro, *restituit in splendore*. Quod tamen iterum accipiendum foret tanquam positum pro *in splendorem*, sicut fit non raro in similibus aliis, de quo ad Phædrum dixi. Schepf. Omnes editiones ante Tornæsianam habent *splendore*. Oud.

8. *A Picentibus...excruciati.* In bello sociali, de quo Eutropius et Florus. Quamquam hæc historia seorsim nemini sit exposita, quod sciam. S.

9. *In Latio. In* abest a Bas. 1, 2, Antv. Oud.

10. *Clades accensa.* Male. Emenda, *clades accepta*. Nil est certius. S.

11. *Lucilius Lupus.* Appiano est *Rutilius Lupus*, consul temporum eorum, atque sic fortasse hic scribendum, quum præsertim et in lemmate capitis nominetur *P. Rutilius cos.* Vide Appianum ipsum lib. I B. C. (pag. 376. ed. Par. et pag. 637. ed. Tollii.), ubi cladis hujus facit mentionem. De prodigio vero isto habet nihil. *P. Rutilius* est etiam in Epitoma Livii LXXIII, ubi itidem hoc memoratur. Schepf. *Rutilius* hic omnino legendum est. Id autem ante Schefferum jam viderunt Freinshemius ad Flor. lib. III, cap. 18, §. 12, et G. Voss. ad Vellei. lib. II, 15. Ovidius, lib. VI Fast. v. 563:

> Hanc tibi, quo properas, memorant dixisse, Rutili?
> Luce mea Marso consul ab hoste cades.
> Exitus accessit verbis, flumenque Toleuum
> Purpureo mixtis sanguine fluxit aquis.

Oudend.

12. *Occisus est.* In edit. Argent. non comparet verbum *est*, ut fit et alibi. Vide infr. cap. 116, 119, 120, 129. Schepf. Vocula *est* primum legitur in edit. Bas. Lycosthenis; quare delevi. Oud.

CXVI. (55.) *L. Sulla, Q. Pompeio, coss.*—U. C. 664, 665, 666 et 667.—A. U. 88, 87, 86, 85.

Pompeius Sylo[1] in oppidum Bovianum[2], quod cepe-

CXVI. 1. *Pompejus Sylo.* Male. Scribendum est *Popedius Sylo*, ut habet Epitome Liviana LXXVI; et auctor Vir. illust. in Catone cap. 80. *Poppedius* est Val. Max. III, 1, 2. Schepf. *Popedius Silo* scribendum esse jam docuit idem Freinsh. ad Flor. l. III, c. 18, §. 6, et G. Voss. ad. Vellei. lib. II, c. 16, qui tamen mavult *Pompedius*; ubi plura de scriptura hujus nominis legi possunt. Illis adde etiam Franc. Fabricium ad Orosium, lib. V, cap. 18; Xylandrum ad Plutarchi Marium, pag. 36; Scottum ad Aurelium Victorem de Viris Illust. cap. 63: *Q. Popedium Marsorum ducem*: vulgo male *Pompeium*; uti per-

rat, triumphans invectus, omen victoriæ hostibus ostendit : quia triumphus in urbem victricem, non victam, induci solet. Proximo prælio[3], amisso exercitu occisus. Mithridati, adversus socios[4] bellum paranti, prodigia apparuerunt. Stratopedo[5], ubi senatus haberi solet, corvi vulturem tundendo rostris[6] occiderunt. In eumdem locum sidus ingens[7] cælo demissum. Isidis species visa fulmine petere[8]. Lucum Furiarum quum Mithridates succenderet[9],

peram quoque scribitur in Excerpt. Peiresc. Diodori Siculi lib. XXXVII : Πομπαῖος pro Πομπάδιος vel Πομπέδιος. Ex his autem, et ex Gruteri Inscript. pag. 557. n. 9, et pag. 951, n. 13, apparet incertissimam esse hujus nominis veram scripturam : præferam tamen *Pompædius*. Oud.

2. *Bovianum.* Samnitium urbem facit Plinius. Meminit et Strabo. S.

3. *Proximo prælio.* Proxime sequenti triumphum habitum. Historia occurrit apud Livium, Epitom. LXXVI, sed sine triumphi mentione. Scheff.

4. *Adversus socios.* Hoc *socios* suspectum posset esse. Non enim tam adversus socios, quam ipsum populum romanum arma movit, quod testantur omnes. Vid. Flor. lib. III, cap. 5. Tamen Noster in respectu ad prætextum Mithridatis hoc scripsisse videtur, de quo Eutropius lib. V, cap. 3 : « Mithridates, qui Ponti rex erat, primo Nicomedem amicum P. R. Bithynia voluit expellere, senatuique mandavit, bellum se ei propter injurias, quas passus fuerat, illaturum. » Adde reliqua. Immo revera adversus Nicomedem et Ariobarzanem, Romanorum amicos, bella initio ipse vel per alios commovit. Vid. Justin. lib. XXXVIII, c. 1, et sq. Scheff.

5. *Stratopedo.* Ex græco στρατοπέδῳ, id est, *in castris.* Sed quid necesse fuit, Græco modo hoc efferri? Mendum aliquod videtur hic latere, quod quale sit, dicere nunc non possum. Sch. *Strotopedo, ubi senotus.* Quia *senotus* non habetur in castris, sed *consilium*; nec adhuc Mithridates eduxerat exercitum, sed bellum modo parabat. Ampl. Cuperus, assentiente celeberrimo P. Burmanno, legit *Strategeo*, vel *Strategio*; nempe illius urbis, in qua Mithridates tunc agebat. Nec obstat, quod auctor soleat addere nomina locorum, ubi prodigia acciderint : aliquando enim hæc omittit; ut cap. 111, *In villa.* De *Strategeo* vide notas ad Petronii c. 65. Oudendorp.

6. *Tundendo rostris.* Proprie de avibus. Scheff.

7. *Sidus ingens.* Num cometa? non opinor, verum flamma, speciem stellæ referens; quæ subinde crescebat in majus. Scheff.

8. *Fulmine petere.* Quid hoc est? An Isidis species petebat fulmine! quem vero petebat eo? et unde Isidi fulmina? Revera legendum *flumina petere*, aut *flumen oppetere.* Faciebat

risus exauditus ingens sine auctore[10]. Quum aruspicum jussu virginem Furiis immolaret, e jugulo puellæ risus ortus turbavit sacrificium. Classis Mithridatis in Thessalia[11] a Romanis in prælio amissa[12]. Cinna et Mario[13] per

hoc nempe, velut abitura, et desertura Mithridatem. Nec enim de conjectis ignibus ab Iside in sambucam Mithridatis agi hic existimo, de qua re Appianus in Mitbr. p. m. 188 (et pag. 321, ed. Tollii). Sch. Pariss. *fulmine peti*. Male. Nihil verius, quam Obsequentem loqui de illo igne, quem in obsidione Rhodi jaculata est Isis in sambucam Mitbridatis. Nam iisdem verbis Appianus, quibus Obsequens, hoc refert. Verba ejus sunt loco citato: καὶ φάσμα τῆς Ἴσιδος ἔδοξε πῦρ ἀφιέναι πολὺ κατ' αὐτοῦ μηχανήματος. Neque adeo mirum est, Isidi fulmen attribui, quum Cybelen quoque, et Junonem fulmine fuisse armatas legamus. Oud.

9. *Succenderet.* Non repudio, cogitandum tamen sagacioribus relinquo, annon Noster scripserit *suescinderet;* nam historia ipsa nos deficit. Sane sic suescidit et lucum Latonæ in usum machinarum bellicarum, de quo idem Appianus dicto loco (p. 322, ed. Tollii: ἔκοπτε Λητοῦς ἄλσος ἱερὸν ἐς μηχανάς). Scheff. Ut Schefferus, ita etiam locum hunc intelligit Freinshemius in Supplement. lib. XLIII, cap. 28, quibus lubens assentior; quamquam scribere malim cum clar. Burmanno *succideret*. Sic *abscidere*, *discidere*, etc. Huc facit illa quercus Cereris ab Erisichthone succisa apud Ovid. lib. VIII Metam. v. 752; *succederet* conjecit Heinsius pro *intraret*. Hoc sensu Avienus in Arat. *succedere tecta* dixit. Oud.

10. *Autore.* In Cod. Argent. est *auctore*, quæ lectio melior, et origini verbi convenientior. Vide Vossii Etymol. et Schoppii Infam. p. m. 16. Scheff.

11. *Classis Mithridatis in Thessalia.* Quomodo in Thessalia, quæ ad mare non pertingit? Vix dubitare possum, quin post *Mithridatis* exciderint aliqua, quæ docebant, quid acciderit illi classi, simul quocum Romanis negotium fuerit in Thessalia. Itaque post id vocabulum ponendum censeo asteriscum. De classe Mithridatis ab Archelao prodita tum Sullæ, vid. auctor. Vir. Illustr. in Sulla, c. 76, et ibi notas. Scheff.

12. *Amissa.* Forsitan hoc quoque depravatum. Prodigiis profecto superius memoratis conveniens erat, ostendere non Romanorum clades, verum Mithridatis. An legendum est, *accisa?* Scheff. *In Thessalia a Romanis in prœlio amissa.* Hæc prodigiose corrupta sunt. Videtur vero pro *Romanis* debere scribi *Rhodiis*. Nam hoc tempore prælium navale accidit inter Mithridatis classem, quæ obsidebat Rhodum, et Rhodios, qui superiores fuerunt, navibus quibusdam Mithridatis submersis, quibusdam incensis captisque. Vid. Appianum Alexandr. in Bell. Mithridat. (pag. 186, 187, edit. Paris. Stephani, et pag. 319, 320, edit. Tollii. Amstelod.) et Excerpta

bella civilia crudeliter sævientibus Romæ, in[14] castris Gnei Pompeii[15] cælum ruere[16] visum, arma signaque tacta[17], milites exanimati. Ipse Pompeius afflatus[18] sidere

Peiresc. Diodori Siculi, pag. 402. Epitom. Liv. LXXVIII: « Urbem Rhodum oppugnavit, et aliquot præliis oavalibus victus recessit. Verum quid fiet istis vocibus *in Thessalia?* Ego quidem legendum puto *inter Lyciam*, et urbem Rhodum seilicet. Pro *amissa* scribe *uccisa*, vel *adusta*. Si non vera hæc sunt, saltem commodum præbeot sensum, et a rei veritate non abhorreotem. *Classis Mithridatis inter Lyciam a Rhodiis in prælio accisa.* Pro *in prælio* Heinsius *sine prælio*. Intellexit sine dubio vir præstantissimus Archelai proditionem. Vide Epitom. Liv. LXXXII. Oud. Mihi persuasum est, Obsequentem hoc loeo non de prælio oavali, sed de terrestri loeutum esse, de quo Epitome Liv. LXXXII: « Sulla copias regis, quæ, Macedonia occopata, in Thessaliam veneraut, prælio vicit, cæsis hostium centum millibus, et castris quoque expngoatis. » Appianus, Bell. Mithridat. pag. 199, ed. Paris. et pag. 336, 337, ed. Amst. Tollii: Ἀρχέλαος δὲ, καὶ ὅσοι ἄλλοι κατὰ μέρος ἐξέφυγον, ἐς Χαλκίδα συνελέγοντο, οὐ πολὺ πλείους μυρίων, ἐκ δυώδεκα μυριάδων, γενόμενοι. Conf. Eutrop. IV, 6. Igitur hæc verba sic restituo: « CXM militum Mithridatis in Thessalia a Romanis in prælio occisa. » Scriba enim ex numeris *CXM* primo fecit *classis*, deinde *militum*, qood scriptum erat compendiose *mil.*, propter sequentes literas *mit* in *Mithridatis* plane omisit, et tandem voeem *occisa*, ut præcedentibus utcumque respooderet, in *amissa* mutavit. Nec est, quod quisquam miretur, numerum *CXM* mutari potuisse in *classis*, quum non pauca exempla in libris scriptis occurruut, ubi librariorum negligentia numeros in alias voces transformavit.

13. *Cinna et Mario*, ete. Nempe ann. Urb. c. DCLXVI, DCLXVII. Oud.

14. *Sævientibus*, *Romæ in castris*. Pessima distinctio, quæ sic facieoda: *sævientibus Romæ*, *in castris*. De sævitia Cinnæ Mariique in Urbe, notum vel ex Floro. Scheff.

15. *Gnei Pompeii*. Vel *Cnei Pompeii*, uti a Velleio nominatur, lib. XI, cap. 20, qui eum proconsulem tum ostendit fuisse; quamquam veteres omnes *Cnei* scribere consueverint. Vide Mar. Victorinuoi de Orthogr. lib. I, pag. m. 31. Plutarchus eum vocat *Strabonem* in vita Pompeii Magni, ejus filii, et Dio in Excerpt. Peiresc. pag. 652. Scheff. Junt. *Cnei*.

16. *Cælum ruere*. Magno impetu sonoque delabi. *Ruere*, proprium. Terent. Heautont. IV, se. 3, v. 41: *Quid, si nunc cælum ruat?* Scheff.

17. *Arma signaque tacta*. Per *signa* intellige vexilla militaria, et id genus. *Tacta* vero simpliciter, ut supra c. 75, ubi vide. Scheff. Pro *tacta* Antv. 2, *jacta*. Oud.

18. *Afflatus sidere*. Peculiari eo morbi genere correptus, quod Latini *siderationem* vocant. Plinius lib. XI, eap. 41: «Afflantur alii si-

interiit. Lectum ejus[19] populus diripuit, corpus unco traxit[20], quod discrimine civili[21] perseverasset periclitanti patriæ non succurrere; quum et imperium et maximos haberet exercitus. Peiræum[22] Sulla[23] quum oppugnaret, unus miles ejus[24] aggerem ferens, exanimatus fulmine. Aruspex respondit, diuturno[25] labore, quod caput jacentis in oppidum versum esset, introitum et victoriam Romanis significare. Post breve tempus Athenæ et Peiræum

dere; alii commoventur statis temporibus alvo, nervis, capite, mente.» Ubi simul vides, proprium locutionis esse genus. Schepp. Notandum quod in vulgatis Orosii codicibus, lib. V, cap. 19, legatur: *Pompeius fulmine afflatus interiit.* Oud. Conf. Appianus, Bell. Civ. lib. I, pag. 392, ed. Par. et pag. 658, ed. Tollii.

19. *Lectum ejus.* Funebrem puta, quum efferretur. Hanc historiam tangit Velleius, lib. XI, cap. 21. Convenienter autem Nostro memorat et Plutarchus in vita Pompeii ab initio. Schepp.

20. *Unco traxit.* Ad scalas Gemonias videlicet, quod solenne fuit apud Romanos in eis, quos indignos putabant sepultura, propter scelerum atrocitatem, quæ commisissent. Sic Suetonius de Tiberio, cap. 75 vitæ ejus, *Alii uncum et Gemonias cadaveri minabantur*, et cap. 61, ubi de crudelitate ipsius: «Nemo punitorum non et in Gemonias abjectus, uncoque tractus.» Sch.

21. *Discrimine civili.* Bello Cinnæ ac Marii, de quo supra. Sch.

22. *Peiræum.* Nihil muto, quia Græcis Πειραῖον. Malunt tamen Latini *Piræeum* scribere. Florus, III, cap. 5: *Mox subruto Piræei portu.* Velleius, lib. XI, cap. 23: «et plurimo circa multiplices Piræei portus munitiones labore expleto» etc. *Portum Peiræum* tamen habet quoque auctor Vir. Illust. in Sulla. Schepp. Scribe *Piræeum.* Græce non dicitur Πειραῖον, sed Πειραιεύς, *Piræus* est adject. Pessime vero in ed. Ang. est *Peireæum.* Oud.

23. *Sulla.* A. U. C. 667. L. Cornelio Cinna II, C. Mario VII, coss. Vid. Scaliger ad Chronic. Euseb. n. 1932. Oud.

24. *Unus miles ejus.* Hoc est aliquis. Optime ac latinissime. Vide, quæ notavi pluribus ad Fragmentum Petronii Traguriauum. Schepp. Verba *Miles ejus* desunt in Antv. 2: salvo certe sensu abesse poterant. Oud. Adde viror. doct. animadv. ad Petron. cap. 26: *unus servus Agamemnonis*, etc. pag. 92, ed. Burmanni.

25. *Diuturno.* Atqui sequitur, *post breve tempus*, quod est contrarium huic prædictioni. Deinde res ipsa voluisse aliud videtur. Qui enim caput versum habet in oppidum, ostendit eo se tendere. Non possum ergo dubitare, quin Noster scripserit, *respondit*, *haud diuturno labore*. Schepp. Leviori mu-

a Sullo capta[26]. Ilio a C. Fimbria[27] incenso, quum ædes quoque Minervæ deflagrasset[28], inter ruinas simulacrum antiquissimum[29] inviolatum stetit, spemque restitutionis oppido portendit.—*Lycost.** In agro Mutinensi[30] duo montes inter sese concurrerunt, crepitu maximo assultantes,

tatione posset scribi *diutino*, id est, assiduo, sine intermissione: sic in eadem re *diutinus labor* invenitur apud J. Cæsarem, lib. XI B. Civ. cap. 13. Hoc etiam indicare voluit illud prodigium: si autem quis *diuturma* retinere mavult, per me licet; modo non aliter explicet. OUD.

26. *Peiræum a Sulla capta.* Vide Epit. Liv. LXXXI; Velleium, supra indicato loco; Florum, lib. III, cap. 5, et qui ibi nominantur; Entrop. lib. V, cap. 4; Eusebium num. 1932, ubi tamen Scaliger ridiculum ait, quod hoc factum narret L. Sulla et Q. Pompeio consulibus. Scilicet non observavit, quod nos observandum alibi monuimus, sub iisdem memorari sæpe gesta consulibus, quæ acciderunt sub aliis pluribusque, vitio non Obsequentis, ut puto, sed qui nomina consulum adjecere vel omisere pro arbitrio. SCHEFF.

27. *Ilio a C. Fimbria.* Meminit Strabo, lib. XIII; (pag. 594, ed. Paris. et pag. 887, ed. Amstel.) Epitome Liviana LXXXIII; Appianus (pag. 205. edition. Paris. et pag. 345. edition. Tollii). SCHEFF. Hoc accidit post occisum ab eo Valerium Flaccum proconsulem, qui magistratum gesserat A. U. C. 668. OUD.

28. *Ædes quoque Minervæ deflagrasset.* Contra auctor Vir. Ill. in Fimbria: «Ilium, ubi tardius portæ patuerunt, incendi jussit, ubi Minervæ templum inviolatum stetit, quod divina majestate servatum nemo dubitavit. At cum Nostro facit et Appianus. Nam et ipse scribit (loco cit. pag. 346, ed. Tollii) conservatum τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἕδος, ὃ Παλλάδιον καλοῦσι. Quod male interpres *delubrum* reddidit, ut vel ex adjecta voce *Palladii* apparet, quæ de delubro nusquam usurpata. Hesychius, ἕδος (scribe ἕδος), ἔδαφος, γῆ, ἱερὸν, ἄγαλμα. Vide not. SCHEFF.

29. *Simulacrum antiquissimum.* Num illud, quod sub Palladii nomine credebatur urbem reddere invictam? Atqui hoc a Græcis sublatum arte Ulyssis. Consule Appianum in Mithrid. pag. 295 (et pag. 346, ed. Tollii); ubi dubitat similiter. SCHEFF.

30. *In agro Mutinensi.* Hæc, ut et sequens caput a Lycosthene non esse suo loco posita patet ex prædictis. Prodigium autem in agro Mutinensi factum accidit L. Marcio, Sexto Iolio coss. A. U. C. 662, teste Plinio, N. H. lib. XI, cap. 83. Interim de veteri illo simulacro Minervæ hac occasione invento v. Servium (ad Æneid. lib. XI, vid. 166.) citat. a Casaubono ad Strabon. lib. XIII, pag. 594, ed. Par. (et pag. 887, ed. Amst.) OUD.

recedentesque, inter eos flamma fumoque in cælum excunte. Eo concursu villæ omnes elisæ, animaliaque multa, quæ intra fuerant, exanimata sunt. Exarsit eo anno sociale bellum, quod haud scio an funestius terræ Italiæ fuerit, quam civile. In eo autem bello L. Cornelius Sylla quum in agro Nolano ante prætorium immolaret, subito ab una parte aræ anguis prospexit: qua visa, Posthumi aruspicis hortatu, continuo exercitum in expeditionem eduxit, ac fortissima Samnitum castra cepit, quæ victoria futuræ ejus amplissimæ potentiæ exstitit.

CXVII. *Cn. Octavio, L. Cornelio Cinna, coss.* —U. A. 665.—A. C. 87. Lycost.

*Simulacro Apollinis caput sine ulla evidenti causa decidit: quod inventum est humi adeo infixum, ut summis etiam viribus avelli non potuerit. Quod videns Octavius, licet exitium suum significari intellexerit, vitare tamen non potuit. Quo tamen crudeliter interfecto, dei caput immobile terra demum refigi potuit.

CXVIII. (56.) *L. Scipione, C.*[1] *Norbano, coss.* —U. C. 669 et 671.—A. C. 83 et 81.

Per Sullana tempora inter Capuam et Vulturnum ingens signorum sonus armorumque horrendo[2] clamore auditus, ita ut viderentur duæ acies concurrere per plu-

CXVIII. 1. *C.* Ald. Asul. Bas. 1. (Junt. Bas. 2.) Aut. *Gajo.* Oud.

2. *Horrendo clamore.* Hoc corruptum puto. Nob. Heinsius legit *horrendus clamor*: scribe *clangor* cum cl. Burmanno, vel *fragor.* Id Plinius, lib. II, cap. 57, dicit *armorum crepitus, et tubæ sonitus.* Lucan. lib. I, v. 569, *fragor armorum.* Plura vide ad caput. 104. Posset etiam, ut idem conjecit *armatorumque h. clamor*: sic supra *togatorum* in *togarum* abierat. Valer. Maximus, lib. I, cap. 6, § 12: *Militarem clamorem, crepitumque armorum.* Noster, cap. 125: *Clamorem,*

reis dies. Rei miraculo intus considerantibus[3], vestigia equorum hominumque, et recentes protritæ herbæ[4], et virgulta visa molem ingentis belli[5] portendere[6]. In Hetruria Clusii mater familiæ vivum serpentem peperit, qui

crepitumque armorum. Sallust. in B. Jug. cap. 104 (cap. 99.), *signa canere, milites clamorem tollere:* aliique. Oud. Recte Heins. *horrendus clamor:* nam *horrendo* ortum est ex compendio scriptoris, ut infra cap. 129, *prolapso*, pro *prolapsus; clamore* vero ex *clamor* et *e*, quod sæpe pro *est* scribitur. Ergo totus locus ita legendus: *armorumque horrendus clamor est auditus.* Vel levi mutatione pro *clamor* cum Burm. etiam legi potest *clangor.* Sic supra cap. 60, legitur *ædes Apollinis Caietæ fulmine ictæ*, quum legendum sit ibi ex mea quidem sententia *icta est.* Nam per compendium scribendi scriptum erat prius *icta e.*, quod deinde librarii cum *icta* conjunxerunt, et scripserunt *ictæ.*

3. *Rei miraculo intus considerantibus.* Hæc corrupta sunt. Scribo: *Rei miraculo intentius considerantibus*, id est, iis, qui ob rei miraculum majori cura et intentione considerabant omnia et lustrabant. Scheff. Pro *intus* Heinsius *altius* vel *penitius.* Hoc certe sensu legas apud Arnobium, lib. VII, pag. 245. ed. Lugd. *si penitus intueri res factas* etc. *volueris.* Ubi malim etiam cum doctiss. G. Stewechio scribere *penitius.* Derivatur autem non a *penitus*, sed a *penite;* quo usus est Catullus in Nuptias Juliæ et Manlii v. 178: (Carm. 60. ed. Vulp.)

Illi non minus, ac tibi
Pectore uritur intimo
Flamma, sed penite magis.

Lucret. autem in lib. primo, v. 146;
Res quibus occultas penitus convisere possis.
Codex Gott. *peniti.* Unde Clariss. Vossius margini sui libri legendum esse adscripsit *penite.* Pro *miraculo* edd. Pariss. *miraculum:* recte. Cl. Burmannus conjiciebat *miraculum tunc e.* Est, qui legit: *rei miraculo intentis*, deleto *considerantibus*, quod, tanquam glossema, in textum irrepsisset. Oud.

4. *Recentes protritæ herbæ.* Mallem, *et recens protritæ*, id est, tum, illo tempore. Tacitus, XII An. cap. 27: «Recens reversos, prædaque per luxum usos, et somno graves circumvenere.» Scheff. Sic *coria recens detracta* apud Sallustium in Fragm. lib. IV. Malim tamen ego *recenter*, vocem illo ævo, quo auctorem putant scripsisse, non inusitatam. Confirmat hanc conjecturam sua auctoritate Heinsius, in cujus libro etiam *recenter* emendatum est. Oud.

5. *Molem ingentis belli.* An *portendere molem belli* dicatur convenienter, cogitandum forte fuerit. Mihi aptius videtur, si legeretur, *malum ingentis belli.* Scheff. Nihil hic mutari debet. *Moles ingentis belli* ingens et grave bellum significat. Sæpe ita Livius et Florus. Oud. Curt. lib. IV, cap. 8, § 4.

6. *Portendere. Portendere.* Pariss. post vocem *visa* distinctionem ponentes. Utrumque probum est. Cap. 108: «Muri pinnæ sine terræ motu passim disjectæ civiles por-

jussu aruspicum in profluentem dejectus, aversa [7] aqua natavit. Lucius Sulla post quintum annum victor in Italiam [8] reversus, magno terrori fuit inimicis. Æditui Capitolium [9] una nocte conflagravit. Sullæ crudelitate fœda

tendere discordias.» Oud. Comma post *visa* agnoscunt etiam Junt. et Bas. 2.

7. *Aversa aqua.* Freinshemius in Supplem. lib. I, hæc eadem commemorans, natasse scribit *aqua adversa;* credo, quod hoc modo censuerit apud Nostrum legendum. Verum mihi lectio vulgata recta videtur. Nam quæ natant, pisces, et in universum omnia, Plutarcho etiam teste in libro de Solert. Anim. p. m. 979, solent adverso flumine natare, ut hoc tanquam singulare in serpente observari haud necesse fuerit. Scheff. Pariss. *adversa*, ut scripserat Freinsh. renuente Scheffero; quia omnia natatilia adverso flumine natant, ut hoc tanquam singulare in serpente observari haud necesse fuerit. Verum in his serpens generaliter usurpatus non recenseri debet: neque prodigium hoc consistit in eo, quod aversa aqua vel adversa natarit; sed quod non submersus sit: unde incertum est, quid præferas. *Adversa* tamen magis mihi placet; immo Heinsium hoc loco id prætulisse video, legentem *adversa aqua enatavit.* Consule quoque Ludovic. *d'Orléans* ad Tacitum, lib. XV Annal. pag. 803. Hæc autem mutatio sæpe in his vocibus usu venit, ut apud Virgilium in Cul. v. 253.

At discordantes Cadmeo semine fratres
Jam truculenta ferunt, infestaque lumina corpus
Alter in alterius; jamque aversatur uterque,
Impia germani manat quod sanguine dextra.

Ita hic locus ex MSS. scribi debet. Vulgo legas pro *semine*, *sanguine;* pro *lumina*, *vulnera;* pro *aversatur*, *adversatus*. Plura ubique reperies in commentariis virorum DD. et maxime N. Heinsii ad Poetas, et Florum, lib. II, cap. 12. De hoc autem et seq. prodigio vid. Appian. lib. I, B. C. p. 400 (ed. Par. et pag. 671, ed. Tollii). Oud. Probo cum vir. doct. Heins. et Oudendorp. et edit. Pariss. *adversa;* nam pro *aversa aqua*, vel *averso flumine*, fere semper legitur in antiquis scriptoribus, *secundo flumine*. Cæterum de permutatione *adversus* et *aversus* confer. omnino Drakenborchius ad Sil. Italic. lib. II, v. 618, pag. 115; lib. VII. v. 595, pag. 381.

8. *Post quintum annum victor, in Italiam.* Distinctio vel omittenda, vel post vocem *annum* ponenda; non enim victor factus est post annum quintum, sed victor reversus est in Italiam. Intelligitur autem victor Asiæ: in qua per annos quinque res prospere gesserat. Hinc Florus, lib. III, cap. 21, § 18, hæc ait: « quippe quum hinc octo legiones, inde quingentæ cohortes starent in armis, et inde ab Asia cum victore exercitu Sulla properaret. » Scheff.

9. *Æditui Capitolium.* Deest aliquid. Scribo *Æditui culpa Capitolium*, vel *Æditui incuria Capitolium.* Cæterum in hoc incendio videnda, quæ a Rycquio sunt notata in Ca-

proscriptio principum[10] fuit. Centena millia[11] hominum consumpta italico civilique bello relata sunt[12].

pitolio cap. 11. Errorem Taciti de eo notat Reines. Epist. ad Rupert. XXXI, pag. 155. Schepp. *Æditui culpa* scribit incomparabilis Scaliger ad Chronicon Euseb. n. 1937; *incuria* Pighius, Ann. tom. III, pag. 248. Mihi hæc corruptiora videntur esse, et aliud quid latere, quod ad Sullam pertinet. Nam, licet *Capitolium civium manibus* incensum esse narret Tacitus (Hist. lib. I, cap. 2), et id *custodum negligentia* accidisse scribat Cassiodorus, tamen αἰτίαν οὐδεὶς ἐπενόει, teste ipso viro summo ad idem Chronic. n. 1934. Quidam etiam a Sulla ipso incensum fuisse tradunt. Florus lib. III, cap. 21, §. 7: *Arcemque Capitolii quasi captivam victor incendit.* Ita lege cum celeberr. Grævio. Immo, concedamus, æditui culpa conflagrasse, non tamen illud memorasse potuit Obsequens. Quippe non recensetur ab eo inter prodigia id, quod incuria hominis evenisse: manifestum est. Hinc c. 84: «Rhegium pene totum incendio consumptum sine ullo humanæ fraudis aut negligentiæ vestigio.» Nec aliter Livius, lib. XXVIII, cap. 11. Si vero hoc non placet, et hæc verba ad res gestas, quam ad prodigia, referre malis, posset legi *æditno*, id est, per æditnum, æditui culpa. Accidit autem pridie nonas quintileis. Oud. Forte *æditui* est corruptum, et cum prioribus conjungendum, ac legendum: «terrori fuit inimicis, cæde edita. Capitolium una nocte conflagravit.»

10. *Proscriptio principum.* Id est, præcipuorum e senatu atque ordine equestri. Florus, III, c. 21, §. 25: «Proposita est ingens illa tabula, et ex ipso equestris ordinis flore ac senatus duo millia electi, qui mori juberentur.» Principes hac notione frequenter reperiuntur apud veteres. Justin. II, cap. 8, § 8: «De crudelitate principum, a quibus hæc se passum simulabat, queritur.» Velleius, II, cap. 89: «Principes viri, triumphisque et amplissimis honoribus functi, ad ornandam urbem illecti sunt.» Schepp. Proscriptio hæc ab eo facta est, quum dictator erat A. U. C. 672. M. Tullio Decula, Cn. Cornelio Dolabella coss. Oud.

11. *Centena millia.* Dimidio ampliorem numerum facit Eutropius. Verba ejus sunt in fine lib. V: «Ambo (bella, Italicum et Civile) tracta sunt per annos decem. Consumpserunt ultra CL millia hominum.» Et sane si numerum ineas occisorum ab uno Sulla præliis diversis, ut ab Eutropio refertur, deprehendes facile, numerum apud Nostrum justo esse minorem. Quod ex eo factum, quia, quum litteris esset signatus, una earum excidit per negligentiam scribarum. Schep. G. Vossius legit *quingenta* ad Velleium, lib. II, cap. 15; ubi vid. Lipsius. In Eutropii MSto Lincoln. teste ed. Anglic., exaratum est DC. Verum nihil temere esse mutandum, saltem non in Obsequente, patet ex Excerpt. Peiresc. Diodori Sic. pag. 405: στρατιῶται δὲ ἐν ταῖς στάσεσι καὶ μάχαις κατεκόπησαν οὐκ ἐλάττους τῶν δέκα μυριάδων. Oud.

12. *Consumpta... relata sunt.* Mira

locutio. Plinius quidem, lib. III, Ep. 7, dicit: *Nunciatus est Silius Italicus vitam finisse.* Oros. lib. IV, cap. 6, *Deletus exercitus nunciatur.* Et similia leguntur apud alios. Mihi tamen suspectum est. Forsan *relatum fuit.* Sic cap. 90: *Hominumque 800 millia consumpta tabe, proditum est.* Cap. 122: *Relatum, lupum fulmine ictam.* Oud.

CXIX. (57.) *M. Æmilio*[1], *D. Bruto, coss.* —U. C. 675.—A. C. 77.

Didius[2] Lælius, legatus Pompeii (cui prodigium[3] Romæ erat factum, in lecto uxoris duo angues conspecti, in diversumque lapsi[4]: proxime Pompeio[5] in castris

1. *M. Æmylio.* Scribe *Mam. Æmilio.* V. Onuphr. Pauvin. lib. I Fast. pag. 158, et Pigh. Ann. tom. III, ad a. 676. *Mamercus* enim prænomen est, non cognomen; ut Sigonius, Casaubonus, aliique voluerunt. Consule Torrentium ad Sueton. cap. I, *perque Mamercum Æmilium.* Oud.

2. *Didius.* Pigh. tom. III, p. 290, *D.* Ubi notat quoque, eum anno sequenti esse occisum. Oud.

3. *Cui prodigium.* Hæc verba, velut in parenthesi posita, sunt intelligenda. Cohærent enim ista inter se: « Didius Lælius, legatus Pompeii in Hispania adversus Sertorium, inter pabulatores occisus. » Scheff. Hæc parenthesi includenda esse, observaverat etiam Scaliger. Recte; nisi malis *cum ei*, quo faciunt Bas. 2, et Antv. 2, in quibus est *cum.* Oud.

4. *In diversumque lapsi.* Mallem, *in diversumque elapsi.* Nisi forte illud *labi* de simplici discessu eorum intelligendum. Proprie namque *labi* serpentes dicuntur, quum huc illucve tendunt. Valer. Max. lib. I, cap. 8, 2, de angue Æsculapii: *mitibus oculis et leni tractu labi cœpit.* S.

5. *Proxime Pompeio.* Id est proxime a Pompeio, prope vel juxta ipsum. Scheff. *Et p.* Pigh. ibid. *Pompeium* legit doctiss. Munckerus ad Lactant. Argum. Ovidii lib. XIV Met. F. 18; negans *proxime* regere dativum casum. Prævivit eum J. F. Gronovius in Sallustio, Cæsare, Livio, ubique accusativum pro dativo ex MSS. reponens. Vid. Observat. lib. III, cap. 2, et ad Livium lib. VIII, cap. 32. Quid veri sit, meum non est definire. Saltem hoc loco, ut ambiguitas vitetur, malim *Pompeium*, vel *a Pompeio.* Plura, lector, videbis in notis cl. Burm. ad Ovidii lib. I, Art. Am. v. 139.

Proximus a domina, nullo prohibente, sedeto.
Oudendorp.

Burmannus loco cit.: rectius legitur *proxime Pompeium*, nam ita construi solere docuit Gronovius ad Livium, et imitatio Ciceroniana est manifesta, qui ad Atticum lib. I Epist. 11, dixit, *Proximus Pompeium sedebam.* Videndus tamen inter alios Heusingerus ad Corn. Nepot. XXIII, cap. 8, § 3; et ad Nepot. Frag. cap. 3.

sedenti, accipiter super caput accesserat), in Hispania adversus Sertorium, inter pabulatores occisus.

CXX. (58.) *Cneo Octavio, C. Scribonio, coss.* —U. C. 676.—A. C. 76.

Reate terræ motu ædes sacræ in oppido, agrisque commotæ. Saxa, quibus forum stratum erat, discussa[1]. Pontes interrupti. Ripæ labentis fluminis[2] in aquam provolutæ. Fremitus inferni exauditi. Et post paucos dies, quæ concussa erant[3], corruerunt[4]. Saxum vivum[5] quum provolveretur, in præcipiti rupe immobile stetit. A[6] Sertorio

CXX. 1. *Saxa, quibus forum stratum erat, discussa.* Id est, dissipata, huc illucque jacta. Forum autem Reatinum hic intelligendum, quemadmodum et cætera ad eam urbem referuntur. Scheff.

2. *Labentis fluminis.* Quid hic est *labentis?* an *currentis*, sicut sæpe *labi* flumina dicuntur? At hoc otiosum plane hic videtur. Itaque malo *flumen labens* explicare de eo, cujus minuuntur aquæ. Quomodo et Germani mei dicunt, *der Strom fält*, pro, fit minor, aquæ ejus subsident. Et profecto tali casu fieri solet, ut ripæ prolabantur. Scheff. Lege *ripæ labentis fluminis vi*, id est, rapido fluminis cursu. Livius, lib. XXIV, cap. 10: «Fontem tanta vi aquarum fluxisse, ut serias doliaque provoluta velut impetu torrentis tulerit.» Vel *lambentis fluminis vi*. Quod olim etiam conjecerat clariss. Burmannus: ut significet ripas fluvii impetu fuisse exesas. Multis e locis excidisse vocem *vis*, docet M. Gudius ad Phædri lib. I, Fab. XI, aliique viri docti variis locis. Oud.

3. *Quæ concussa erant.* Seu *commota*, uti supra loquebatur, terræ motu videlicet. Ædes sacras autem, et id genus, intelligit. Vide infra cap. 122. Scheff.

4. *Corruerunt. Saxum.* Mallem ita scribere, *corruerunt. At saxum.* Oratio esset elegantior, et conjunctio facile intercidisse potest ob similitudinem litterarum, quæ proxime præcedunt. Scheff.

5. *Saxum vivum.* Ita et Virgilius lib. I, Æn. v. 171.

Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo.

Ubi saxum vivum Servius exponit *naturale*. Verba ejus: *Vivo, naturali, ut vivo prætervehor ostia saxo*, quæ ejusdem poetæ verba sunt ex Æneid. III, v. 688. Ubi per *naturale* intelligendum, cui nihil accessit ab arte. Porro talia fere rudia et inæqualia, unde causa prodigii hic commemorati, quod tale saxum potuerit consistere, præsertim in rupe præcipiti. Scheff.

6. *A Sertorio.* De hoc præter Florum aliosque auctores imprimis videndus est Plutarchus in Sertorii vita. Scheff.

in Hispania exercitus Romani cæsi. Adversum[7] Medos varie dimicatum.

7. *Medos*. Bellum contra Medos ea ætate gestum a Romanis scio nullum. Puto igitur hic *Mæsos*, aut *Mædos*, et intelligendam gentem eam, de qua supra cap. 113. Potuit enim adversus eam esse bellatum occasione belli Macedonici, quod tum gestum, teste Eutropio initio lib. VI, cap. 2. Scheff. Vid. ad cap. 108. Oud.

CXXI. (59.) *L. Aurelio*[1], *L. Octavio*, *coss.* —U. C. 676 et 678.—A. C. 76 et 74.

Sertorio in Hispania exercitum ducenti tale prodigium est factum. Scuta equitum parte exteriore[2], jaculaque, et pectora equorum[3] cruenta visa: quod prosperum sibi interpretatus est Sertorius, quia exteriora hostili sanguine maculari solent. Continua ei prælia cum successu fuerunt. Cyzicum[4] Mithridates quum oppugnaret, Aristagoræ, qui in summo magistratu erat[5], Proserpina in quiete visa est

CXXI. 1. *L. Aurelio*. Scribe *C.* Vid. Fastos, et quæ ad illos notantur; ut et de hoc prodigio Frontin. Strateg. lib. I, cap. 12, § 4. Oud.

2. *Parte exteriore*. Sic appellat eam scuti partem, quæ hosti est obversa. In hac parte scuti est pictura et insigne, si quod habet. Contraria *interior*, in qua ansæ, quibus ad brachium firmatur. S.

3. *Pectora equorum*. Quæ et ipsa obvertuntur hosti in prælio. S.

4. *Cyzicum*. Ann. Urb. conditæ DCLXXX; M. Terentio Varrone Lucullo, C. Cassio Varo coss. quo anno L. Lucullus procos. fuit. Oud.

5. *Qui in summo magistratu erat*. Τοῦ δήμου γραμματιστήν vocat Plutarchus in vita Luculli, ubi vertunt *ludimagistrum*. Vide ipsum, et lege hanc ipsam historiam dicto loco. Scheff. Placet hic adscribere verba Plutarchi loco a clar. Scheffero laudato, p. 498, quæ omnium commentariorum vice fungi possunt: Ἡ δ' ἱερὰ καὶ τρεφομένη τῇ θεῷ, νομὴν μὲν εἶχεν (ὥσπερ τἆλλα θετὰ τῶν Κυζικηνῶν) ἐν τῇ περαίᾳ. Κατ' ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν ἀποκριθεῖσα τῆς ἀγέλης, μόνη διενήξατο πρὸς τὴν πόλιν, καὶ κατέστησεν ἐπὶ τὴν θυσίαν αὐτήν. Ὄναρ δ' ἡ θεὸς Ἀρισταγόρᾳ τῷ τοῦ δήμου γραμματιστῇ (*scribæ*, pro γραμματεῖ) παραστᾶσα· Καὶ μὴν ἔγωγε (εἶπε) τὸν Λιβυκὸν αὐλητὴν ἐπὶ τὸν Ποντικὸν σαλπιγκτὴν ἐπάγουσα. His adde Appian. Bell. Mithridat. pag. 221 (edit. Paris. et pag. 371 ed. Tollii): Μέλαινα δὲ βοῦς ἐκ πελάγους, etc. Proserpinam autem præ aliis diis deabusve Cyzici fuisse

dicere, adversus tubicines[6] se tibicinem comparasse. Postero die turres hostium vento disjectæ sunt. Ad immolandum bos sacra[7] injussa[8] de montibus per hostium classem adnatavit, seque ad aras[9] percutiendam[10] obtulit.

cultam, docent hujus urbis numismata, quæ sacris Proserpinæ insignibus, ut face vel facibus serpente circumdatis, et ab altera parte bove nigra signata cerni possunt apud Clar. Patinum. OUD.

6. *Adversus tibicines.* Scribendum est *tubicines*, vel *tubicinem*. Nam apud Plutarchum pro eo σαλπιγκτὴν habetur. SCHEFF.

7. *Bos sacra.* Consecrata numini. Solebant enim sæpe veteres animalia, etiam domestica, sacrare deo, et libere abire permittere, aut in nemoribus sacris sinere vagari. Suetonius de Cæsare, cap. 81 Vitæ ejus: « Proximis diebus equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere. » Livius, lib. XXIV, cap. 3: « Lucus ibi frequenti sylva et proceris abietis arboribus septus læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum deæ pascebatur pecus sine ullo pastore. » Idem, XXII, 10: « præterea votis bobus Jovi trecentis, multis aliis divis bobus, atque cæteris hostiis: » et XXVIII, 38: « quum centum bobus votis in Hispania Jovi sacrificaret. » Adde Plutarch. in Lucullo. SCHEFF.

8. *Injussa.* De gramine Virgilius ad eumdem modum, lib. I Georg. v. 55:

..........Atque injussa virescunt Gramina.

Sunt autem hic *injussa*, nullius hominis opera aut cura plantata, sed nata sua sponte. Unde *bos injussa* quoque, quæ id sua sponte, citra impulsum humanum fecit. SCH. *Injussæ capellæ* Horat. Epod. XVI, v. 49. *Apes injussæ* apud Quintil. Dec. XIII (cap. 15, pag. 290, edit. Burm.). OUD. Vid. Drakenb. ad Sil. Ital. lib. IX, v. 504, p. 481; XIII, 372; XIV, 396 et 600; XV, 130: et Heins. ad Vell. II, 126.

9. *Seque ad aras percutiendam obtulit.* Quod pro re maxime fausta habebatur. Plutarchus in Lucullo pag. 507: « Offertur ei, ubi trajecit, lætum prodigium. Dianæ Persicæ, quam eximie venerantur barbari trans Euphratem colentes, sacræ pascuntur boves. Earum una transgresso Euphratem exercitu, profecta ad petram quamdam, quæ sacra deæ habetur, constitit in illa, demissoque capite, ut quæ easte detrahuntur, præbuit semet ipsa Lucullo hostiam. » Talis vacca sacra Proserpinæ, quam *armenta relicta ad oppidum* (Cyzicum) *tranasse salam, et se sacris admovisse* ait idem, eodem loco pag. 498. Puto autem hanc eamdem esse, quam Noster hic memorat. At ex contrario pro maxime infausta, si victima reluctaretur, aut penitus aufugeret, ut ostendit Brissonius, lib. I Form. et *du Chaul*, de Sacrificiis Rom. S.

10. *Percutiendam.* Scilicet securi. Bene, ac vocabulo solenni. Vide dictum Brissonium, erudite de sacrificiis disserentem, Form. Solenn, pag. 13, edit. Conrad. SCHEFF.

CXXII. (60.) *M. Cicerone*[1], *Gaio*[2] *Antonio*, *coss.* — U. C. 689. — A. C. 63.

Fulmine pleraque decussa. Sereno[3] Vargunteius Pompeius[4] de cælo exanimatus[5]. Trabs ardens[6] ab occasu ad

CXXII. *Cicerone*. Ita edidi pro corrupto *Cesone*. Hoc autem me docuerunt Muretus ad Cicer. Catil. III, cap. 8, et Scottus, Obs. Hum. lib. II, 24, aliique. Oud.

2. *Gaio. C.* Pariss. Antverpian. edit. 2. Oud.

3. *Sereno*. Die, sive cælo, quod maxime mirum. Vide supra c. 83. Scheff.

4. *Vargunteius Pompeius*. Hoc sine dubio vitiosum: nam et Varguntcia et Pompeia peculiares familiæ fuerc. Lego *Vargunteius Pompeiis*. Inter oppida Italiæ *Pompeii*. Mela lib. II, cap. 4: « Vesuvii montis aspectus, Pompeii, Neapolis. » Adde Plinium, lib. III, cap. 5. Sch. Confirmat hanc conjecturam, quod L. Vargunteius senator, satelles Catilinæ, detecta nefaria illa conspiratione, damnatus in exilium abierit. Quod si illa correctio vera est, verba hæc transposita sunt, et collocanda post vocem *cœpta*. Nam tunc ordo temporis observabitur. Præterea quoque hæc prodigia de fulmine, trabe, terræ motu sic juncta enarrat Cicero, Catilin. III, cap. 8: « Nam, ut illa omittam, visas nocturno tempore faces, ardoremque cæli, ut fulminum jactus, ut terræ motus, cæteraque », et quæ sequuntur. Cæterum ibi in MSS. legitur *ut terræ motus relinquam, ut omittam cætera*. Forsan scripserat Cicero: *ut terræ motus relinquam, ut cætera*. Plutarchus etiam in Cicerone, pag. 867, jungit σεισμοὺς, καὶ κεραυνοὺς, καὶ φάσματα: et Dio, lib. XXXVII, pag. 46, ex quo saltem apparet, connectenda in Obsequente esse *Fulmine pleraque decussa sereno* (vid. ad cap. 73, 9). Dicit enim κεραυνοὶ γὰρ πολλοὶ ἐν αἰθρίᾳ ἔπεσον. Varganteium vero hunc esse istum conjuratum Catilinæ pro certo affirmare non ausim: quippe plures circa hæc tempora Varguntcii fuerunt: ut Vargunteius ille Crassi legatus, cujus nomen corrupte scribitur apud Plutarchum, in Crasso pag. 561, Βαργουντῖνος; et apud App. Alexandr. Bell. Parth. pag. 149 (edit. Paris. et pag. 249, ed. Tollii), Βαργόντιος, pro Βαργουντηΐος, ut est in Plutarchi MS. Vide etiam Inscriptiones Gruteri. Oud.

5. *De cælo exanimatus*. Fulmine videlicet. *Tangi de cælo* dicuntur alibi apud Nostrum. Vide cap. 55. Scheff.

6. *Trabs ardens*. Plinius, lib. II, cap. 26: « Emicant et trabes simili modo, quas docos vocant. » Seneca Quæst. Natur. lib. I, cap. 1: « Ex hac vexatione nascuntur trabes. » Differunt a facibus magnitudine, qua plurimum excellunt. Cæterum in codice Argent. *trabis* legitur. Nempe veteres etiam *trabes* dixere in singulari. Ennius apud Varronem, lib. VI, de LL. « Cæsa acci-

cælum extenta[7]. Terræ motu Spoletum totum[8] concussum,

disset abiegna ad terram trabes.» Porro *trabes* et *trabis* idem, sicut *canes* et *canis*. De quo idem Varro eo loco *vulpes* et *vulpis*, et id genus. SCHEFF. Vid. not. 7.

7. *Ab occasu ad cælum extenta*. Id est, in occasu, in occidua parte cæli. Ad *cælum* quoque pro *apud cælum*, vel *in cælo*. Bene autem *extenta*, quia lumen ejus magnum, sicut dixi. Quod *ab occasu* hic sit *in occasu*, constat inde, quia trabes non moventur. Seneca, VII Quæst. Nat. cap. 6: «Trabes editior cæli pars ostentat. Trabes autem non transcurrunt, ut faces, sed commorantur, et in eadem parte cæli collucent.» Ubi habes alteram earum differentiam a facibus. SCH. *Trabs ardens*, etc. Celeberrimus Turnebus, Advers. lib. V, cap. 20, hoc refert ad facem illam, cujus fit mentio apud Ciceronem, lib. I Divin. cap. 11, in versibus Quinti fratris. Verum ibi intelligitur fax de cælo delapsa. Nam illud

Præcipites cæli partes, obitusque petisset

idem est, quod apud Nostrum legitur, cap. 138: *Fax cælo ad occidentem visa ferri*. Hic vero contra *ab occidente ad cælum*. Non recte enim a cl. Scheffero verba *ab occasu ad cælum extenta* explicantur, ut patet ex Dione qui, de hujus anni prodigiis loquens, dicit, lib. XXXVII, pag. 46: Καὶ λαμπάδες ἀνικὰς ἐς τὸν οὐρανὸν ἀπὸ τῶν δυσμῶν ἀνέδραμον. Nec obstat, quod in Q. Ciceronis verbis agatur etiam de hujus anni ostentis. Poetice immutat illa et auget; ut oratoric ipse Tullius, III Cat. cap. 8. Notandum est tamen, Dionem mentionem facere τῶν λαμπάδων, Nostrum vero *trabis*: quum diversa sint, nec trabes moveantur, ut clar. Schefferus docet ex Seneca. Forsan fuerat scriptum *fax*; sic *fax ardens* cap. 70, 105. Adde notas ad Phædrum, lib. I, fab. 28: *Vulpes ab ara rapuit ardentem facem*. *Fax extenta*, cap. 131, reperitur. Quod autem ad differentiam *facis*, λαμπάδος, et *trabis*, seu δοκίδος, vel δοκοῦ attinet, docent id etiam Plin. lib. II, cap. 26; auctor de Mundo p. m. 128, et Seneca, Nat. Quæst. lib. VII, cap. 21: «Cometas, sicut faces, sicut tubas, trabesque, et alia ostenta cæli denso aere creari.» Pro *tubas* vel ut alii, *jubas* legendum esse *tubos*, constat ex Plinio, lib. II, cap. 49, et Lucano, lib. VII, v. 155,

............Immensoque igne columnas,
Et trabibus mixtis avidos siphonas aquarum.

Sic scribi debet, non *typhonas*; quod jam subodoratus etiam est summus Grotius (vide Oudendorp. ad hunc loc. Lucani). *Typhon* enim est vortex rapidus, seu nubes turbinem ex vaporibus ortum vehens, quales nubes hic locum non habent. *Siphon* vero, seu *tubus* est nubes, in longam velut fistulam aquam trahens, et denso aere, ac spissato humore creatus, ut trabes, columnæque, etc. Hæc Græci Latinique magistri passim tradunt. Cæterum pro *trabs* non modo Argentor. sed et Ald. (Junt.) Asul. Bass. Antverp. habent *trabis*. Scilicet dicebant *trabs*, *trabes*, *trabis*; ut *plebs*, *plebes*, et *plebis*: *scrobs*, *scrobes*, et *scrobis*; *Ops*, *Opes*, et *Opis*, etc. Plura invenias ap. politissimum virum J. Rutgersium

et quædam corruerunt. Inter alia relatum[9], biennio ante in Capitolio lupam[10] Remi et Romuli fulmine ictam, signumque Jovis cum columna disjectum. Aruspicum responso in foro repositum[11]. Tabulæ legum[12] æneæ lite-

in Variarum Lectionum lib. V, c. 16, Munckerum ad Hyginum, Gudium ad Phædrum, aliosque. Oud.

8. *Concussum.* Commotum quidem, nec tamen prostratum, in quo differt a sequenti *corruerunt.* Quomodo supra, cap. 120 : « Et post paucos dies, quæ concussa erant, corruerunt. Scheff.

9. *Inter alia relatum.* Ut supra, cap. 118 : « Centena millia hominum consumpta italico civilique bello relata sunt. Sed qui isti, qui hoc retulerunt? et cur non eo anno memoravit Noster, quo accidit? An et Livius occasione reliquorum hujus demum fecit mentionem? Num mutilus est locus? Certe pro *relatum* edit. Argent. habet *relatu.* Sed pro *relatu* forsitan *relata* est scribendum. Scheff. Pro *relatum* etiam Ald. Asul. Pariss. (Basil. 2) aliæque *relatu.* Heinsius conjiciebat *inter alia mira relatu. Relatam* non recte scribit Muretus ad Cicer. III Catilin. cap. 8; ubi Cicero itidem hæc prodigia subjungit prioribus. Unde constat locum non esse mutilum. Acciderunt enim hæc prodigia, L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coss. ann. Urb. c. DCLXXXVIII, ut ipse Schefferus paullo post observat. Oud.

10. *In Capitolio lupam.* De hac vide Rycquium, cap. 24, et Dionem lib. XXXVII, pag. 37. Scheff.

11. *In foro repositum.* Ergo ante quoque fuit positum in foro. Rycquius in Capitolio stetisse ait. Atqui Jupiter Capitolinus sedebat in sella, non stabat in columna. Ita sane ipsum exhibent nummi veteres communiter, firmatque poeta vetus apud Suetonium in Augusto cap. 70, quando ait : *Fugit et auratos Jupiter ipse thronos.* Ubi vide et auctorem Pervigilii Veneris a Casaubono laudatum in notis. Sed fortassis fuit aliud hoc signum Jovis, ab isto celebri, una cum Junone Marteque culto. Nam aperte Dio, libro antea laudato, hunc in columna stantem numerat inter alia signa Capitolii. Verba ejus : Ἐν γάρ τῷ Καπιτωλίῳ ἀνδριάντές τε πολλοὶ ὑπὸ κεραυνῶν συνεχωνεύθησαν, καὶ ἀγάλματα ἄλλα τε, καὶ Διὸς ἐπὶ κίονος ἱδρυμένον. Patet idem ex sequentibus, ubi ait : Τῷ Διῒ ἄγαλμα μεῖζον, πρός τε τὰς ἀνατολὰς καὶ πρὸς τὴν ἀγορὰν βλέπον, ἐψηφίσαντο. Ubi nota, quod dicat signum illud decretum non reponi in foro, sed ad forum tantum spectans atque orientem; ut fortasse sit lacuna in Nostro. Scheff. Jovem hunc esse alium a Jove Capitolino certissimum est, et stetisse eum in columna extra ædem Jovis Capitolini, inficias ire nemo potest Ciceronem in Catilin. III; Divinat. lib. I, cap. 2; lib. II, cap. 20, evolvens : adde Arnob. lib. VII, p. 245, ed. Lugd. : « Ictum quum esset Capitolium fulmine, multaque in hoc alia; Jovis etiam simulacrum, sublimi quod in culmine (*scilicet* colu-

ris liquefactis[13]. Ab his prodigiis[14] Catilinæ nefaria conspiratio cœpta.

mine) stabat, suis esse ab sedibus provolutum.» Unde vero cl. Rycquius, pag. 246, statuam æneam fuisse sciverit, nescio. Inauratam fuisse, cujuscumque tandem materiæ fuerit, suspicari possumus ex Nostri cap. 109 et cap. 77. Repositum autem fuisse non eodem, quo disjectus est, anno, ut ex Nostro aliquis putaret, sed biennio post ann. Urb. cond. DCXC, et eo die, quo indicium conjurationis in senatu factum est, atque ita collocatum esse, ut in forum ac solis ortum vultus Jovis conversus esset, ex Cicerone, ibid. manifestum est. Arnobius etiam, ibidem: «Nisi Jupiter rursus altiore in culmine (*scilicet* columine) figeretur, orientalem conversus ad cardinem, radiisque oppositus solis.» Forsan in Obsequenti legi, ac distingui debet *ictam. Signum quoque Jovis cum columna disjectum, aruspicum.* Oud. Minus bene Oudendorpius *que* in *quoque* mutat, nam etsi interpunctio ejus ferri possit, et legi *fulmine ictam. Signum*, etc. tamen non opus est, ut *que* in *quoque* mutetur. Sæpe enim initium periodi fit per *que*, quod significat *præterea* et servit transitioni ad novum exemplum, ut egregie ostendit Ernesti ad Sueton. Ner. cap. 38: *permisit. Collationibusque*, etc. ubi vulgo distinguunt *permisit: collationibusque.* Vide infra, c. 128: *Quumque hora diei*, etc.

12. *Tabulæ legum.* Ante hæc punctum est scribendum, quia si cohærerent præcedentibus, scribendum esset, *tabulas legum æneas.* Unde quoque suspicor, abesse verbum hoc loco, et scribendum *æneæ ictæ*. Scheff. Si inverso modo legas, omnia erunt perspicua, et plana: *Tabulis legum æneis literæ liquefactæ*. Dio, lib. XXXVII, pag. 37, τά τε γράμματα τῶν στηλῶν, ἐν αἷς οἱ νόμοι ἐσεγράφοντο, συνεχύθη καὶ ἀμυδρὰ ἐγένετο. Vel pro *æneæ* repone *erasæ*. Corrupta etiam sunt verba Quinti Ciceronis lib. I Divin. cap. 12:

Tum species ex ære vetus, generataque Natte
Concidit, elapsæque vetusto numine leges.

Num *elapsoque vetustæ nomine leges?* id est, conciderunt vetustæ leges, nominibus et literis elapsis. Oud.

13. *Liquefactis.* Memorare Cicero videtur in Cat. III; ubi ait: «Memoria tenetis, Cotta et Torquato consulibus, complures cum Capitolio (sic mallem, quam quod editum, *in Capitolio*) turres de cælo esse percussas, quum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt, et statuæ veterum hominum dejectæ, et legum æra liquefacta.» Hic tamen factum ait Cotta et Torquato consulibus. Nempe Noster quoque accidisse hoc scribit, non Cæsone et Antonio consulibus; sed biennio ante; nec annorum omnium consules memorat, et memoratis duobus sæpe subdit quæ sunt plurium, ut ne quidem inscripsisse capitibus singulis ista, quæ nunc leguntur, consulum nomina videatur, quod jam alibi notavi. De tabulis legum æreis adi Ruperti Ep. ad Reines. 27, pag. 672. Scheff.

14. *Ab his prodigiis.* Adde Sal-

lustium in Bell. Catilin. cap. 47. Genus loquendi elegans ostendi ad Petronii Fragmentum. SCHEF. Par. 3, *ab ict*. In hac præpositione corrigendus est Cicero, lib. V Epist. ad Famil. 16: «nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius», etc. Pro *in qua* omnes fere MSS. *et qua*. Scribe *a qua* vel *ex qua*. Lucanus, Pharsal. lib. III, v. 39:

Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
Aut mors ipsa nihil.

Quod sic explicat Seneca, Troad. v. 397.

Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil. O

CXXIII. (61.) *Quinto Metello, L. Afranio, coss.* — U. C. 692. — A. C. 60.

Die toto ante sereno, circa horam undecimam nox se intendit[1], deinde restitutus fulgor. Turbinis[2] vi tecta dejecta: ponte sublapso[3], homines in Tiberim præcipitati. In

CXXIII. 1. *Nox se intendit*. Una hora citius nimirum, quam debebat. Dicitur autem nox *se intendere*, non quum adpropinquat, sed quum jam omnia tenebris obducit. SCHEF. Corrigendus in hac voce Orosius lib. III, cap. 7: «Nox usque ad plurimam diei partem intendi visa est.» Vulgo *tendi*. Veram hanc esse emendationem, patet ex Livio, qui lib. VII, cap. 28, idem narrans prodigium scribit, *nox interdiu visa intendi*. Adde J. F. Gronovii notas ad lib. I, cap. 57, *primis se intendentibus tenebris*. OUD. Et Drakenb. ad Sil. Ital. lib. VIII, v. 339, pag. 417, ubi pro *incedere noctis* ipsi placet: *intendere noctis*.

2. *Fulgor turbinis*. Distinctio abest. Scribendum *fulgor. Turbinis*. Observa *fulgorem* simpliciter, et per excellentiam de fulgore solis positum, si lectio est sana; nam solet alibi addere. SCHEFF.

3. *Sublapso*. Id est, subtus lapso: quum in eo ambularent, sub ipsorum pedibus prolapso. SCHEFF. Cl. Burmannus *sublato* conjicit. OUD.

4. *Eversæ radicibus*. Pro, ex ipsis radicibus eversæ, vel ab ipsis radicibus, per ellipsin præpositionis, quomodo *ab imo evertere* usurpavit Lucretius. Sic Virgilius in lib. V Æneid. v. 449.

.... Radicibus eruta pinus.

(De quo loco vid. Drakenborch. ad Sil. Ital. lib. VI, v. 196, p. 302, *et radicibus eruit imis*.) Sed forte scribendum, *radicitus*, quia sic inferius cap. 128: «Arbores radicitus et pleraque tecta eversa.» Suet. Vespasian. c. 5: «Arbor quoque cupressus in agro avito, sine ulla vi tempestatis radicitus evulsa atque prostrata.» SCHEFF. Edd. Par. *radicitus*. Recte. Seneca, Consol. ad Marciam, cap. 16: «Eversis arboribus, quas aut ventus radicitus evulsit.» Nat. Quæst. lib. VII, c. 5: *Arbusta radicitus vellit*. Avienus Fab. 16.

Montibus e summis radicitus eruta quercus
Decidit, insani turbine victa Noti.

(Vid. ibi Cannegieter.)

Posset etiam non male legi *eversæ a radicibus*. Phæd., lib. III, Fab. 10,

agris pleræque arbores eversæ radicibus[4]. Lusitani, Gallæci[5] devicti.

v. 49. *De Credere et non Credere.* .... A radicibus Non evertisset scelere funesto domum.

Virgilius, libro I Georg. v. 319: .... Segetem a radicibus imis Sublime expulsam eruerent.

Lucretius autem lib. VI, v. 140: Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis. OUDEND.

5. *Lusitani, Gallæci.* Scr. *Callæci* hic et ubique. Vide Ulitium ad Gratii Cyneg. v. 514. Præterea recte abest distinctio a quibusdam edd. Callæci enim sunt populus, et pars Lusitaniæ, quæ hoc anno pacata est a Cæsare proprætore, a quo Callæciæ urbs Brigantium in potestatem accepta est. V. Dionem Cass. lib. XXXVII, pag. 61. Plutarchus tamen in Cæsare, pag. 713, dicit στρατεύσας ἐπὶ Καλλαΐκοὺς, καὶ Λυσιτανοὺς, κρατῆσαι, etc. Sed sic supra cap. 90: *Ligures Sallyes*, cap. 75: *Dalmatæ Scordisci.* Quamquam, ut verum fatear, nunc ibi pro *Scordisci* legere malim *Scordæ* vel *Scodræ*, quæ urbs est Delmatiæ. Vid. Polybii Legat. 76; Plin. l. III, cap. 22; Flor. lib. II, cap. 13, ubi *Scorda caput Illyriorum*; ac Livium, non uno loco. Ut ita memoriæ tradiderit Obsequens, Delmatas circa Scodram fuisse superatos. Velleius Pat., libro II, capite 115: *Desitiates Delmatæ.* Et passim; licet ab aliis Auctoribus paullulum distinguantur. Ex his autem verbi patet, cur Lusitaniæ Cæsarem præfuisse dicat Dio, non totius ulterioris Hispaniæ, ut Sueton. in Cæs. c. 18; scilicet, quia in hac Hispaniæ ulterioris regione præcipue res gerebat. Adde Livii ep. 103. OUD.

(62.) *M. Cicerone, Gaio Antonio, coss.* — U. C. 689. — A. C. 63.

Quum[1] in agro Pistoriensi Catilinam devicisset, laurea-

1. *Quum.* Deest aliquid, nomen nempe ejus, a quo victus Catilina. Scribe: *Cæpta. Antonius, quum in.* Vitium ex eo, quod nomen *Antonii* litera unica *A* signarit scriba ignavus, eaque cum finali vocis præcedentis conjuncta, habita fuerit otiosa, et sic deleta sit. Vide Epitomen Livianam CIII. Hæc scripseram, quum postea oblatus mihi codex est Argentorati editus ad fidem editionis Aldinæ, ex quo vidi, totum caput hic desiderari, verbis quoque, *quum in agro Pistoriensi*, nomina præfigi aliorum Consulum, quorum alter est Antonius, plane sicut omnia in nostra hac editione suppleri curavimus. Et hæc causa, cur in consignatione capitum numerus 123 desideretur in Tornæsiano codice. SCHEFF. *M. Cicerone* etc. Maxima hic est confusio, nam illa *quum in agro* usque ad *Lupi in Urbe visi*, etc. quæ longe post acciderunt, adnectenda erant capiti 122, et anteponenda capiti illi *Dic*

12[4]

tos fasces in provinciam tulit: ibi a Dardanis oppressus[2], amisso exercitu profugit. Apparuit eum[3] hostibus portendisse victoriam, quum ad eos laurum victricem[4] tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere[5]. Lupi in Urbe[6] visi; nocturni ululatus flebiles canum[7] auditi; simulacrum

toto, quod male Lycosthenes in ed. Bas. omisit. Consulum quoque nomina delenda erant; quamquam ea retinui, quia in omnibus, quas inspexi, antiquis edd. apparent. Vox *Antonius* etiam necessario adesse debet: atque ita legit Turnebus Advers. lib. XXII, cap. 11, uti et Scaliger, ac Heinsius. Freinshem. ad Florum, lib. II, cap. 17, §. 16, pro *devicisset* legit *devicit, et*; ac pro *quum, C. Ant.* quod mihi valde adridet. Oud. Non dubito, quin scripserit Obsequens: « C. Antonius cos. quum in agro Pistoriensi Catilinam devicisset, etc. » Sed librarius putavit, verba *C. Antonius cos.* pertinere ad lemma, et nomen alterius consulis excidisse, igitur ea rejecit ex textu in lemma, mutavit nominativum *C. Antonius cos.* in ablativum *C. Antonio cos.* (quod facile fieri potuit, quia terminatio *us* in *Antonius* per compendium scripta erat; vid. cap. 118, n. 2,) et addidit nomen M. Ciceronis, quem cum M. Antonio consulatum tunc gessisse constat, non attendens, nominativum personæ, propter verba sequentia neutiquam abesse posse.

2. *A Dardanis oppressus.* Gente Illyrica, ut docet Strabo. Epitome Liviana CIII, in Thracia scribit male pugnasse. Scheff.

3. *Eum.* Turnebus, Adversar., lib. XXVII, cap. 2, legit *enim*.

4. *Victricem.* Antverp. edit. 2. *victorem*. Oud.

5. *In Capitolio debuerat deponere.* Et quidem in gremio Jovis Capitolini. Pacatus noster, cap. 9; « Depositis in gremio Capitolini Jovis laureis, triumphales viri rusticabantur. » Ubi vide notas nostras, simul et observa, quod de Jove Capitolino supra notavimus, sedisse scilicet, non stetisse, quando in stantis gremium deponi laurea nequivit; sed hoc obiter. Adde etiam Paschalium de Coronis, lib. VIII, cap. 2, et Lipsium, ad II Ann. Taciti, cap. 26, item Excursus ejusdem hoc loco lit. D. Schef. Adde Drakenborch. ad Sil. Ital., l. XV, v. 119, pag. 749, et Oudendorp. ad Lucan., lib. I, v. 287, p. 40.

6. *Lupi in Urbe.* His novi consules erant præfigendi, et caput illud *M. Crassus* præcedere debebat. Nam ex Dione, lib. XL, p. 143, patet, hæc et sequentia accidisse sub finem anni DCC, Cn. Domitio Calvino, M. Valerio Messala coss. M. Crassus autem ad Parthos profectus est an. U. c. DCXCIX, L. Domitio, C. Claudio Pulchro coss. Vide Pighii Annales, t. III, pag. 403, aliosque. Oud.

7. *Nocturni ululatus, flebiles, canum.* Distinctio vitiosissima. Nam primo ante vocem *nocturni* ponendum punctum. Deinde omnia jungenda inter se, absque commate.

Martis sudavit; fulmen tota Urbe pervagatum, pleraque deorum simulacra decussit, homines exanimavit. Urbs lustrata. Propter dictaturam Pompeii[8] ingens seditio in Urbe fuit.

Canum ululatus flebiles intelliguntur junctim, quales edunt lugentes. *Ululare*, sicut de lupis, Georg. II, v. 486, ita de canibus usurpavit Virgilius, lib. VI Æneid. v. 257.

.........Visæque canes ululare per umbram.

Annotandum autem, quod hos canum ululatus semper habuerint pro malo omine. Vide, quæ de eis habentur apud Dionem, lib. XLV, pag. 316. Adde quoque infr. cap. 128. SCHEFF. Distingue *visi nocturni*. *Lupi nocturni*, ut *nocturnus* bubo, *vespertinus* ursus, *matutinæ* alites, *nocturnæ* aves, etc. dicuntur. Immo *nocturnus lupus* legitur apud Propert., lib. IV Eleg. 5, 14. Creberrime autem est in prodigiis, *nocte lupum in Urbe visum*. Infra tamen cap. 128, *Canum ululatus nocte auditi;* et Ovid. lib. XV Met. v. 797.

Nocturnos ululasse canes................ O.

8. *Propter dictaturam Pompeii.* Nullam ego Pompeii dictaturam scio. Erant quidem, qui offerrent ipsi, verum is repudiavit. An invidiose sic appellat consulatum ejus solitarium, de quo Velleius, l. II, cap. 47. Mihi locus mutilus videtur. SCHEFF. Videatur Petavius, Doctr. Tempor., lib. XII, cap. 40. *Dictaturam* autem dicit, quia solus rerum potiebatur, ut Cinna μοναρχεῖν dicitur a Plutarcho in Cæsare, pag. 707. OUD.

CXXIV. (63.) *Gn.*[1] *Domitio, Appio Claudio, coss.* —U. C. 698.—A. C. 54.

M. Crassus ad Parthos profectus, quum[2] Eufratem transiret, multa prodigia[3] neglexit. Quum etiam[4] coorta tempestas signifero signum arreptum[5] mersisset[6] gurgiti,

CXXIV. 1. *Gn.* Paris. 3. *C.* sed lege *L.* et consule On. Panv. l. I Fast. pag. 162, et alios. OUD. Junt. *Cn.*

2. *Eufratem.* Pariss. Antv. (Bas. 2.) *Euphratem.* OUD.

3. *Multa prodigia.* Quæ prolixe commemorantur a Plutarcho, Vita Crassi p. m. 554. SCHEFF.

4. *Quum etiam.* Fortasse *quum enim*, vel exciderunt quædam. OUD.

5. *Signum arreptum mersisset, gurgiti.* Nominatim de signo militari hoc intelligendum, non aquila. De eo quippe firmat et Dio, lib. XL, pag. 144, et Florus, lib. III, cap. 11, §. 3. Aquila non mersa, sed retroacta et conversa. Vide Val. Max., lib. I, cap. 6, 11, et Plutarchum supra dicto loco. SCHEFF. Pro *arreptum* lege *abreptum* vel *ereptum*. OUD.

6. *Mersisset. Immersisset* Heinsius.

et offendente nimborum caligine[7] prohiberentur transire, pertinaciter perseverans, cum filio et exercitu[8] interiit.

7. *Offendente nimborum caligine.* Etiam hæc Dio loco cit. pag. 144, firmat. SCHEFF. *Offendente* probum est quidem; sed Ald. Asul. Antverp. (Junt. Bas. 2) aliæque *offundente*. Pariss. *effundente*, scilicet *se*, pro *offusa*. Heinsius legebat *se offundente*. *Offusa caligo* quid sit, et hæc tria verba sæpissime inter se commutari, docent J. F. Gronovius Observ. lib. IV, pag. 330; cl. Burmannus ad Phædr. lib. II, fab. 4, et ad Quintilian. Instit. lib. IX, 3 (pag. 212, et Drakenborch. ad Sil. Ital. lib. X, v. 366, pag. 518). Tacitus, lib. II Histor. cap. 80: « Ut primum tantæ multitudinis offusam oculis caliginem disjecit. » Forsan *vicissitudinis*, vel *altitudinis*. *Multitudinis* profecto sensum hic nullum habet. OUD.

8. *Cum filio et exercitu.* Post Plutarchum et Dionem, vide quoque Florum, lib. III, cap. 11, et Justinum, lib. XLII, c. 4, § 4, quique ibi a Berneggero laudautur. SCHEFF.

CXXV. (64.) *L. Paullo, C.*[1] *Marcello, coss.* —U. C. 702.—A. C. 50.

Mula pariens, discordiam civium, bonorum interitum, mutationem legum, turpes matronarum partus significavit. Incendium, quo maxima pars Urbis[2] deleta est, prodigii loco habitum. Inter Cæsarem et Pompeium bella civilia exorta. Adversus[3] Cæsarem Pompeius Macedonia[4] quum invitatis[5] gentibus amicis instrueret aciem, a Dyr-

CXXV. 1. *C. Gaio* Junt. et Bas. 2.

2. *Incendium, quo maxima pars Urbis.* De hoc incendio necdum vidi quid notatum apud alios. SCHEFF. *Incendii* hujus meminit Orosius lib. VI, cap. 14, et lib. VII, cap. 2. Sed accidisse memorat ann. Urb. c. DCC. OUD.

3. *Adversus.* Acciderunt hæc ann. Urb. cond. DCCV, C. Julio Cæsare II, P. Servilio Isaurico coss. OUD.

4. *Pompeius Macedonia.* Deest præpositio: scribendum enim *Pompeius in Macedonia.* Absorpsit eam *in* in *Macedonia*, totidem lineolis constans, ut et alibi est factum. *Macedonia* latissime hic intelligenda, ut includat et campos Pharsalicos, quos vulgo in Thessalia ponunt. Simile quid habes cap. 113. SCHEFF. Lectionem vulgatam hujus loci tuetur Davies. ad Cæs. Bell. Gall. lib. V, c. 55: *Exules damnatosque tota Gallia.* Sic enim cum Davies. ibi e MSS. et vetust. edit. legendum, pro vulgato: *damnatosque e Gallia.*

5. *Invitatis.* Immo *invitatus*, et quasi coactus ad pugnandum ab

rhachio venientibus adversa fuerunt fulmina[6]; examen apum in signis[7] portendit. Nocturni terrores[8] in exercitu fuere. Ipse Pompeius pridie pugnæ die[9] visus in theatro

illis gentibus, eum Agamemnona vocantibus. Cl. Burmanno placet *incitatus a gentibus et amicis*. Oud.

6. *Venientibus adversa fuerunt fulmina*. Hoc *fuerunt* ex glossa seq. *fuere* perperam hic est intrusum. Nam vocabulum *adversa* respicit verbum *portenderunt*, et *mala tristiaque* significat. *Portenderunt* autem ex sequenti *portendit* intelligendum. Historiam ipsam habet quoque Valer. Max. lib. I, cap. 6, § 12. Schepp. — *Venientibus*, etc. Ita Lucanus, l. VII, v. 152:

...........................Thessala rura
Quum peterent, totus venientibus obstitit æther.

Et Valer. Maximus, lib. I, cap. 6, § 12: *Egresso a Dyrrachio adversa agmini ejus fulmina jaciens* (Jupiter), *examinibus apum signa obscurando*, etc. Unde patet, *adversa fuerunt* hoc loco rectum esse; et *portendit* hic absolute pro *mala portendit* usurpari, quomodo occurrit etiam apud Justinum, lib. XXII, cap. 6: *Si priusquam proficiscerentur, factum esset, crediturum adversum profecturos* (scribe *profecturis* cum Gronovio et Grævio) *prodigium esse; nunc quia egressis acciderit, illis, ad quos eatur, portendere*. Quid? si pro *portendit* legas *consedit*, ut loquitur sexies vel pluries Noster, nec aliter unquam, et ita Livius fere semper. Dio etiam, lib. XLII, p. 205: τά τε σημεῖα μέλισσαι περιέσχον. Scaligero placebat *prætendit*, ut et Heinsio, qui etiam hoc modo locum concipiebat. *Adversa ruerunt* (vel *fuerunt*) *fulmina; cladem examen in signis portendit*. De verbo *ruere* adeantur notæ ad Phædri versum lib. IV, f. 17, v. 22:

Caues confusi, subito quod ruerat fragor.

Examen simpliciter de examine apum dicit Lucanus, lib. VII, 161:

Nec non innumero cooperta examine signa.

Seneca, Œdip. Act. III, v. 602:

Quem examen alto nectitur densum globo.

Necnon Calpurn. Ecl. IV, v. 151:

Quod Peligna solent examina, lambere nectar.

Florus, lib. II, cap. 6, § 14: «Imminentem temerario duci cladem prædixerant insidentia signis examina;» lib. IV, c. 2, § 45: «Examina in signis.» Adde Declamat. Quintil. XIII (cap. 3, et 8, p. 275, 280, edit. Burman.). Oud.

7. *Examen apum in signis*. Firmat hoc quoque Val. Max. lib. I, c. 8, §, 11, et Flor. IV, cap. 2, § 45. Sch. Nec non Dio Cass. lib. XLII, pag. 470, edit. Paris. et edit. Tollii p. 205, et Appian. de B. Civ. lib. II, pag. 771, quos allegat Oudendorp. ad Lucan. lib. VII, v. 164, p. 522, qui et apud Appianum pro ἐν τοῖς βωμοῖς legit: ἐν τοῖς σημείοις.

8. *Nocturni terrores*. Memorat et Val. Max. *nocturnos totius exercitus terrores*, convenienter Nostro. Apud cæteros non reperio. Plutarchus tantum ipsum excitatum e somno scribit panicis quibusdam terroribus. Schepp.

9. *Pridie pugnæ die*. Freinshemius pro *die* putat *sibi* scribendum, in notis ad Florum (uti Sueton. Cæs. cap. 81: *Ipse sibi visus est per quietem*, etc.). Mihi longius a vulgato

suo ingenti plausu[10] excipi; mox acie victus[11], in Ægypto occisus[12]. Eo ipso die[13] plerisque locis signa[14] sua sponte conversa. Clamorem[15] crepitumque armorum Antiochiæ bis[16], ut curreretur in muros, auditum, indeque[17] sonum tympanorum Pergami[18]. Palma viridis Trallibus[19] in æde

ahire hoc videtur, quam ut eo usque aberrare scriba quantumvis negligens potuerit. Putem potius legendum, *pridie pugnæ diem*. Sic Justinus, lib. I, c. 10, § 7: «Per noctem deinde equum pridie constitutum diem ad eum locum ducit.» Neque difficultas est in voce *visus*, nam et illa sic simpliciter pro somnio solet usurpari. Val. Max. lib. I, cap. 7, ext. § 7, de matre Dionysii hæc loquitur: «Quæ quum eum conceptum utero haberet, parere visa est Satyriscum.» Atque ita ipse Noster mox c. 126. Scheff. Posset etiam legi *diei*. Non enim cum antiquariis *die* pro *diei* ab Obsequente esse scriptum putem. Heinsius etiam *sibi* conjecit. Oud.

10. *Ingenti plausu*. Ita et Plutarchus in vita ejus. Florus supra dicto loco plausum illum ait *in modum planctus* se habuisse. Scheff.

11. *Acie victus*. In campis Pharsalicis. Vide Plutarchum, Florum, Suetonium. Scheff.

12. *In Ægypto occisus*. Consilio Theodoti et Achillæ, jussu Ptolemæi regis, tum pueri. Vide Velleium, lib. II, cap. 53; auctor. Vir. Illustr. Scheff.

13. *Eo ipso die*. Ante hæc verba punctum est ponendum. Nihil enim pertinent ad præcedentia. Scheff. *Eo ipse die* Basil. 2.

14. *Signa*. Deorum, puto, quod fuit indicium aversationis alicujus; quomodo et homines aversantes solent vultum oculosque alio convertere. Vide Val. Max. lib. I, c. 6, § 12. Scheff.

15. *Clamorem*. Ante hoc non punctum, sed colon ponendum; cohærent enim inter se, nec vocabulum *signa* primi casus est, sed quarti, sicut *clamorem*. Sch. Desideratur verbum, ex quo pendet ille accusativus *clamorem*, ut observat Scheff. *Constat* addit Valer. Maximus. In recto casu hæc omnia sunt apud Cæsar. l. III, Bell. Civ. c. 105, quomodo hic etiam Pariss. edition. Oud.

16. *Antiochiæ bis*. Hic ponendum comma. Currebatur enim in muros, urbis defendendæ causa, quia ille strepitus armorum speciem præbebat adventantis exercitus hostilis. Atque sic Aldina et Argentor. Sch. *Bis ut*. Hanc Schefferi distinctionem confirmat Cæsar: *Eodemque die Antiochiæ in Syria bis tantus exercitus clamor, et signorum sonus exauditus est, ut in muris armata civitas discurreret*. Oud.

17. *Indeque*. Unde? num ex Antiochia? hoc vero impossibile ac falsum. Quare scribo, *itemque*. Sch. Majus ulcus latere opinor. Cæsar enim, et Valer. Maximus *in abditis delubri*, Dio ἐν τοῦ Διονυσίου tympana sonuisse referunt. Forsan fuit *in Dei æde*. Oud. Vel *eodemque die*.

18. *Pergami*. Desideratur verbum

Victoriæ sub Cæsaris statua inter coagmenta[20] lapidum magnitudine matura[21] enata. C. Cornelius[22] augur Patavii eo die, quum aves admitterent[23], proclamavit, rem geri[24], et vincere Cæsarem.

aiunt, vel simile (forte *constabat* ex Cæsare), quod sententiam claudat. Prodigia hæc alias commemorat et Dio, lib. XLII, pag. 205. Sch.

19. *Trallibus.* Plutarchus in vita Pomp. pag. 730; Valer. Max., lib. I, cap. 6, §. 12; Dio dicto loc. Sch.

20. *Inter coagmenta.* Hoc est, juncturas. Utitur hoc ipso verbo et Val. Max. in ista re, loco supra indicato, ut vix dubium sit, quin et Livius sic scripserit. Scheff.

21. *Magnitudine matura.* Scribendum est *maturæ*, ut sit sensus, fuisse tam magnam, quam solet esse matura. Ubi per *maturam* intelligit eam, quæ ad justam venit magnitudinem, ultra quam venire vulgo non solent, qualisque solet esse perfecta. Quomodo apud Columellam, lib. IV, cap. 29, sunt *surculi maturi.* Valerius Maximus *justa magnitudine* pro eo usurpavit. Scheff. Immo lege *matura*, quomodo jam monuit scribendum esse Freinshem. ad Flor. lib. II, cap. 7, §. 7, idque margini sui libri adscripserant Scaliger, et Heinsius. Idem quoque narrat Cæsar: *Trallibus* etc. *palma per eos dies in tecta inter coagmenta lapidum ex pavimento exstitisse ostendebatur.* Pro *in tecto* legendum esse *integra*, patet ex Nostro, et Val. Maximo; non enim placet commentum doctissimi Vossii. Oud.

22. *C. Cornelius.* Habet eadem Plutarchus, vita Cæsaris (pag. 730,) et Dio, lib. XXXII, pag. 206. S.

23. *Quum aves admitterent.* Id est, juberent, vel permitterent eum pronuntiare id, quod de Cæsare victoriaque illius dicere proposuerat, quum eas de re consuluisset. Sic enim id *admittere* hic puto explicandum, indeque esse, quod *aves admissivæ* dicantur, quarum auspicio talia possunt fieri. Festus: *Admissivæ aves dicebantur ab auguribus, quæ consulentem juberent.* Scheff.

24. *Rem geri.* Hoc est, pugnari, specialiori significatione, quod est observandum. Schefper. His ipsis verbis in hac historia usum fuisse Livium, non obscure liquet ex Plutarchi Cæsare, p. 730, Καὶ πρῶτον μὲν (ὡς Λίβιός φησιν) τὸν καιρὸν ἔγνω τῆς μάχης, καὶ πρὸς τὰς παρόντας ἔφη, ὅτι καὶ δὴ περαίνεται τὸ χρῆμα. Lucanus, lib. VII, v. 192 et sqq:

Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
Venit summa dies, geritur res maxima, dixit:
Impia concurrunt Pompeii et Cæsaris arma.
Seu tonitrus, ac tela Jovis præsaga notavit
Aera seu totum discordi obsistere cælo,
Perspexitque polos; seu lumen in æthere mœstum
Solis, in obscuro pugnam pallore notavit
Dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit
Thessalium natura diem: si cuncta perito
Augure mens hominum cæli nova signa notasset,
Spectari toto potuit Pharsalia mundo. Fo.

Non itaque debebat hic locus a Viris Doctis pro suspecto haberi. Oud.

CXXVI. (65.) *C.*[1] *Cæsare, M. Lepido, coss.* —U. C. 706.—A. C. 46.

Decimæ legionis aquilæ[2], Gn. Pompeii filio, quæ ful-

CXXVI. 1. *C. Gajo* Bas. 2 habet.

2. *Decimæ legianis aquilæ.* Una igitur legio aquilas habebat plures. Contrarium statuit Lipsius, l. IV, Mil. Rom. Dial. 5: *Signum legianis aquila, ut supra tetigi, nec nisi unius una.* Lipsio adstipulatur Tacitus An. XIII, cap. 38: *Cui accita per noctem aliis ex castris tria millia tertianarum permiscuerat, una cum aquila, quasi eadem legia spectaretur.* Tamen et Dio, lib. XLIII, pag. 262, ubi hæc commemorat, quæ habet Noster, ipse quoque aquilarum plurium facit mentionem. Verba ejus: Οἱ δὲ δὴ ἀετοὶ τῶν στρατοπέδων αὐτοῦ τάς τε πτέρυγας σείσαντες καὶ τοὺς κεραυνοὺς, οὓς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν τινὲς χρυσοῦς ἔφερον, ἐκβαλόντες, ἐκείνῳ τε τὸ κακὸν ἄντικρυς ἐνέσκηπτον, καὶ αὐτοὶ πρὸς τὸν Καίσαρα ἀπεπέτοντο. Quod ita vertunt: *Aquilæ exercitus Pampeiani alas suas concutientes, fulminaque, quæ aurea nonnullæ pedibus gestabant, projicientes, Pampeio exitium palam abnuntiabant, ipsæque ad Cæsarem avolabant.* Sed in verbis hisce Dio non unam tantum nominat legionem, verum in plurali ait τῶν στρατοπέδων, quod existimo significare legiones plures. Forte igitur scribendum apud Nostrum, *decem legionum aquilæ.* Et potest error esse natus ex eo, quod compendiose primum esset scriptum *X leg.* quod quum *decem legionum* notare deberet, scriba *decimæ legionis* intellexit. Scheff. Recte cl. Schefferus conjicit *decem legionum*; nisi præferas *decem legiones*, ut sit accusat. sed prius malo ex Dione. Ampl. Cuperus legendum esse censebat *decimæ l. aquila Cn. P. filio, quæ f. tenebat, visa dimittere*, et construebat *aquila visa dimittere fulmina filio*; ut intellexerit auctor prodigium, quo suum exitium Pompeio denuntiabatur, Jovis quasi fulmine in caput ejus decidente. Optime; pro *dimittere* modo legas *demittere.* Oun. Bene hæc verba constituisse mihi videtur Schefferus, pro *decimæ legianis* reponens *X leg.* id est *decem legionum*, cætera intacta relinquens. Sic enim egregie conveniunt cum Dione, qui de pluribus aquilis loquitur, ut verba ejus citata ostendunt; deinde quoque constructio lectionem hanc suadet: sensus enim est, decem legionum aquilas Pompeio visas esse dimittere ex unguibus (ἐκβαλόντες ait Dio) fulmina, quæ tenebant. Cuperi sententia ingeniosa quidem est, sed repugnare videtur narrationi Dionis, qui scribit, aquilas fulmina, quæ pedibus gestabant, abjecisse, vel ex unguibus dimisisse, et avolasse. Nec *Pompeii filio* significat *in caput P. filii*, sed construitur cum *visæ*, ut sæpius apud Obsequentem et alios. Oudendorpius conjecit *decem legianes* in accusativo; sed hæc conjectura propter ea stare nequit, quia accusativus a nullo alio verbo regi potest, quam a *dimittere*; tunc vero

mina tenebant[3], visæ dimittere, et in sublime avolare[4]: ipse adolescens[5] Pompeius[6] victus, et fugiens occisus.

sensus plane contrarius exsisteret, quem hic locus non patitur. Nusquam, ut ego quidem arbitror, dicitur *dimitto illum* pro *abeo ab illo*; nec qui *dimittit* alium, sed qui *dimittitur*, abit, discedit. Ex quo simul patet, lectionem viri docti, nescio cujus, in margine editionis meæ: *Decem legionum aquilæ Cn. Pompeii filium, quæ fulmina tenebant, visæ dimittere*, etiam valere non posse.

3. *Quæ fulmina tenebant*. Formabantur enim interdum aliquæ illarum aquilarum, quasi pedibus tenerent fulmina, quippe quæ alites ministræ essent Jovis. Docet locus Dionis ante prolatus, docent nummi veteres, quorum quidam et a Lipsio prolati supra dicto loco. S.

4. *Avolare*. Cl. Burmannus legit *evolare*. Pluribus de hoc verbo agit Vir præstantissimus in notis ad Ov. lib. II Art. Am. v. 19: *Habet, quibus evolet, alas*. Sic supra cap. 83: *Pulli cavea in sylvam Laurentinam evolarunt*. Oud. Burmannus l. c. « Puto legendum: *in sublime evolare*, nunc *avolare* legitur, fuerat *sublime volare*, neglexerat enim librarius e repetere; hinc postea *avolare* fecerunt. Manilius, v. 361: *Plumeus in cælum nitidis olor evolat alis*. Ovid. Metam. I, v. 264: *madidis Notus evolat alis*. Sueton. August. cap. 94, *quum altissime evolasset*, ut Aldus edidit. Vulgo ibi *volasset*, sed *evolare* notat evadere manus prehendere cupientium, et in altum, vel ex conspectu volare. Cicero de Legibus, lib. I, cap. 1: *quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit nuntia fulva Jovis*, et passim apud alios scriptores. » Frequens est permutatio τοῦ *evolare* et *avolare*, v. c. apud Suetonium Galb. cap. 18, in vulgatis est *auspicanti pullos evolasse* quod probat Burmannus; sed cel. Ernesti ex Cod. MSS. optima nota legit *avolasse*. Hinc sæpe dubium est, quid præferas. In nostro loco magis mihi placet *avolare* propter verba Dionis jam citata: πρὸς τὸν Καίσαρα ἀπεπέτοντο. Sed liberum cuique judicium relinquo.

5. *Adolescens*. Ald. (Junt.) Asul. Bass. Par. 2, *adulescens*. Oud. Bas. 2. *adolescens*.

6. *Pompeius*. Dictus et ipse *Cn.* Nam, quum hic servorum indicio proditus esset, frater ejus Sextus fuga est elapsus. Eutropius, fine lib. VI; Florus, IV, cap. 2, § 86, seqq. Ep. Liviana CXV; Dio, dicto loco. S.

CXXVII. (66.) *C. Cæsare, M. Antonio, coss.* —U. C. 708.—A. C. 44.

Cæsari dictatori exta sine corde[1] inventa. Calpurnia

CXXVII. 1. *Exta sine corde*. Hoc factum non proxime ante cædem ejus, sed prius, statimque quum primum sedisset in sella au-

uxor somniavit, fastigium domus, quod sicut erat[2] adjectum[3], ruisse. Nocte, quum valvæ cubili[4] clausæ essent, sua sponte apertæ sunt, ita ut lunæ fulgore, qui introvenerat[5], Calpurnia excitaretur. Ipse Cæsar viginti tribus vulneribus in curia Pompeiana a conjuratis[6] confossus.

rea, ipsi decreta, ususque fuisset veste purpurea, ut testatur Cicero de Divin. lib. I, cap. 52. De re ipsa firmat Suetonius, cap. 77; et Plinius, lib. XI, cap. 37. Schepp.

2. *Quod sicut erat.* Illud *sicut* nullum hic habere potest locum. Freinshemius pro eo legit, *quod Scto. erat*, hoc est, *Senatusconsulto erat.* Optime ac ingeniosissime. Vide ipsum in notis ad Florum. Schepp. Scaliger delebat *quod.* Heinsius legebat: *quod ædificio erat.* Cl. Burm. putat excidisse *deo* vel *templo.* Magis tamen inclinat in Freinshem. emendationem ad Flor. lib. IV, 2, 91, *SCto*, quam censeo esse verissimam. Oud.

3. *Erat adjectum.* Ornatus et majestatis causa, decreto Senatus, ut ex Livio testatur Plutarchus. Intelligit autem per *fastigium*, ornamenta statuarum et similium rerum, Græcis ἀκρωτήρια vocata, quæ in summo collocabantur ædium sacrarum aut virorum illustrium. Vide Suetonii Julium, cap. 81. Ibique Torrentium, item Salmasium ad Spartiani Pescennium in fine, qui Cæsaris *fastigium* docet, non de tecto capiendum, sed de ornamento tecti, quale vulgo etiam in templis fuerit. Sch. De fastigio, vid. Int. ad Cicer. Phil. II, c. 43: et sic Ern. in Clave Cic., ubi hæc inter alia: Fastigium proprie est templorum: vid. in primis Orat. III, 46: «unde inter cætera invidiose a Cæsare usurpata etiam fastigium memoratur.» In hac domus parte ornamenta fuisse constat ex Pl. XXXV, 12: «signa dicuntur in fastigiis stare, et signum in tecto ipsum.»

4. *Valvæ cubili.* Perperam; scribe, *valvæ cubiculi.* Sueton. cap. 81: *Ac subito cubiculi fores sponte patuerunt.* Quod hic fores nominat, in eo non dissentit a Nostro. Nam ut liquet ex Plutarcho, Vita Cæsaris, factum est utrumque. Cæterum apud Nostrum vitii causa, compendium fuit scripturæ. Schepp. *Cubiculi* etiam Gonzalas ad Petronium. Pariss. *cubilis*, quod lectum esse videretur; quia convenientius est eam excitatam esse lunæ fulgore, qui in lectum per valvas apertas introvenerat; nisi Plutarchus, pag. 737, etiam δωμάτιον diceret. Oud. *Cubiculi* etiam vir doctus in margine editionis meæ. Recte.

5. *Intravenerat.* Hoc divisim mallem legere, *intro venerat.* Plautus, Captiv. III, sc. 3. v. 12.

Perdidit me Aristophontes hic, qui intro venit modo. S.

6. *A. conjuratis.* Pariss. (et Basil. 2.) *conj.* Hos autem Suetonius vocat *conspiratos;* præterquam in cap. 82, *Fuerat animus conjuratis.* Ubi vide Casaubon. Velleius quoque, lib. XI, cap. 56, etc.; Florus lib. IV, c. 2, § 94; et Oros. lib. IV, cap. 17, *conjurationem* appellant. Oud.

CXXVIII. (67.) *M. Antonio, P. Dolabella*[1], *coss.* —U. C. 708.—A. C. 44.

C. Octavius testamento Cæsaris patris Brundusii[2] se in Juliam gentem adscivit[3]: quumque hora diei tertia ingenti circumfusa[4] multitudine Romam intraret, sol puri ac sereni cæli[5] orbe modico inclusus, extremæ lineæ circulo, qualis tendi arcus in nubibus solet, eum circumscripsit[6]. Ludis Veneris Genetricis, quos pro[7] collegio

CXXVIII. 1. *Dolabella*. Ald. Asul. (Bas, 2.) Antv. 2, *Dolobella* hic et infra. Oud.

2. *Brundusii*. Velleius, lib. XI, cap. 59, §. 5: «Ille festinans pervenire in Urbem, omnem ordinationem et necis et testamenti Brundusii comperit.» Hoc tantum ait Velleius. Imo matrem et vitricum ei Urbem ingresso ait dissuasisse; quocum facere et Suetonius videtur. Sed nimirum Noster agit de consilio et proposito, reliqui de propositi illius publicatione. Schef.

3. *Adscivit*. Nescio, an recta sit hæc locutio. Mallem, *adservit*. Sch.

4. *Circumfusa*. Oræ libri mei adscripsit aliquis: lege *circumfusus*.

5. *Sol puri ac sereni cæli, etc.* Forsan *sol, puro ac sereno cælo, orbe* etc. Consule auctores, quos laudant, ad Suetonii August. cap. 95, Torrentius, et Casaubonus, qui ibi de hoc prodigio accurate disputat. Non enim orbe cæli sereni est inclusus; sed quum repente esset serenum cælum, est inclusus orbe modico, qualem facit arcus, quum ille, ut est in Catalectis Scaligeri pag. 165: *Æthera nubiferum complectitur orbe decoro.* Sic leg. ex vet. Cod. quem contulit Is. Vossius, non *nubificum*. His autem non dissimilis est Livii locus lib. XXX, cap. 2. «Frusinone arcus solem tenui linea amplexus; circulum deinde ipsum major solis orbis extrinsecus inclusit.» De his autem φαντασίαις vide auctorem de Mundo, pag. 125, atque ibi Vulcanium; et Scholiastem Æschyli, ad Tragœdiam ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις v. 495. *Eum* quoque, ut exarari curavi, legendum esse recte divinavit cl. Schefferus. Oud.

6. *Eam circumscripsit*. Quam? an multitudinem? quid hoc autem ad Augustum? Ergo emenda, *eum*. Velleius supra dicto loco: «Cui adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia, et quum intraret urbem, solis orbis super caput ejus curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.» De re ipsa vide quoque Plinium, XI, cap. 28; Sueton. Octav. cap. 95; Dionem, lib. XLV, pag, 308. Scheff.

7. *Pro collegio*. Quod Cæsar instituerat faciendis hisce ludis paulo ante mortem, confecto templo Veneris. Plinius, lib. XI, cap. 25; ubi de cometa: *Apparuit ludis, quos faciebat Veneri Genetrici* (Augustus)

fecit, stella, hora undecima[8], crinita sub septentrionis sidere exorta, convertit omnium oculos[9]. Quod sidus quia ludis Veneris apparuit, divo Julio insigne capitis consecrari[10] placuit. Ipsi Cæsari monstrosa malignitate[11] Antonii consulis multa perpesso, generosa fuit ad resistendum constantia. Terræ motus crebri fuerunt. Fulmine navalia pleraque tacta. Turbinis vi simulacrum, quod M. Cicero plebiscito ante cellam Minervæ[12] pridie, quam

non multo post obitum patris Cæsaris, in collegio ab eo instituto. Sed dicit Plinius hic, factum *in collegio*, quod nescio an rectum sit. Nam convenit cum Nostro etiam, quod habet Dio hac de re, lib. XLV: Καὶ μετὰ τοῦτο, ait, τὴν πανήγυριν, τὴν ἐπὶ τῇ τοῦ Ἀφροδισίου ἐκποιήσει καταδειχθεῖσαν, ἣν ἀποδεξάμενοί τινες ζῶντος ἔτι τοῦ Καίσαρος ἐπιτελέσειν, ἐν ὀλιγωρίᾳ, ὥσπερ που καὶ τὴν τῶν Παριλίων ἱπποδρομίαν ἐποιοῦντο, αὐτὸς ἐπὶ τῇ τοῦ πλήθους θεραπείᾳ, ὡς καὶ προσήκουσαν διὰ τὸ γένος, τοῖς οἰκείοις τέλεσι διέθηκε. «Ludos institutos ob perfectionem fani Veneris, quos vivo adhuc Cæsare quidem sese celebraturos receperant, sed tamen tum, sicut et equestre certamen Parilibus negligebant, ipse suis sumptibus, tanquam ad se ratione generis pertinens, ad captandam populi gratiam fecit.» Suetonius hos ludos ipsi Julio ait factos, non Veneri, cap. 88 Julii: «Ludis, quos primo consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit.» Memorat et cap. 10 Octav. ubi *ludos victoriæ Cæsaris* vocat. Scheff.

8. *Hora undecima.* Vide Suetonium dicto loco et Dionem, et adde ipsius Augusti verba hac de re servata apud Plin. lib. XI, cap. 25. Scheff.

9. *Omnium oculos. O. in se o.* Heins. Oud.

10. *Divo Julio insigne capitis consecrari.* Hoc vult, stellam istam crinitam appositam imagini Cæsaris, tanquam peculiare aliquod insigne, in capite: plane sicut capitibus Castoris et Pollucis stellæ apponebantur. Suetonius hac de re, Jul. cap. 88: «Hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella.» Servius ad Eclog. IX, v. 47, de eodem cometa: *Ipse* (Augustus) *animam patris sui esse voluit, eique in Capitolio statuam super caput auream stellam habentem posuit.* Adde nummos ejus apud Goltzium et alios, ubi ejus effigies cum tali stella cernitur. Scheff. Basil. 2, *duo Julio.*

11. *Monstrosa malignitate.* De qua præsertim videndus est Florus, lib. IV, cap. 4; Velleius, lib. XI, cap. 60. Scheff.

12. *Plebiscito ante cellam Minervæ.* Quæ cella est in Capitolio. Ideo in Capitolio id simulacrum Dio ait posuisse, fuisseque Minervæ. Verba ejus sunt, lib. XXXVIII, pag. 77. Πρὶν δὲ δὴ ἀφορμῆσαι, ἔς τε τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἀγαλμάτιόν τι Ἀθηνᾶς ἀνέθηκε, Φυλακίδα αὐτὴν ὀνο-

in exilium iret, posuerat, dissipatum membris[13] pronum jacuit[14], fractis humeris, brachiis, capite, dirum ipsi Ciceroni portendit. Tabulæ æneæ, ex æde Fidei[15] turbine evulsæ. Ædis Opis valvæ fractæ. Arbores radicitus, et pleraque tecta eversa. Fax cælo[16] ad occidentem visa ferri. Stella per dies septem[17] insignis arsit. Soles tres[18] fulserunt, circaque solem imum corona spiceæ similis[19] in orbem[20] emicuit: et postea in unum circulum[21] sole red-

μάσας. «Prius tamen, quam discederet, in Capitolium ascendens, simulacrum quoddam Minervæ, quam Custodem appellabat, consecravit.» Nota, quod hic nullam plebisciti faciat mentionem. Et profecto consecravit non ex plebiscito, verum sponte sua. Plebiscito autem ire in exilium compulsus est, per P. Clodium in tribunatu facto, de quo Velleius, lib. XI, c. 45. Itaque illud *plebiscito* vel post vocem *exilium* ponendum, vel tanquam glossatoris, penitus delendum est. Sch.

13. *Dissipatum membris.* Nescio, an hic integer sit locus: ratio loquendi sane singularis, *simulacrum dissipatum membris*, pro *mutilatum.* Scheff. An *dissipatum pronum jacuit, membris fractis*, etc.? Oud.

14. *Pronum jacuit.* Vide Dionem lib. XLV, pag. 316. Scheff.

15. *Ex æde Fidei.* Ergo et in ipsa tabulæ æneæ? Nimirum ipsa quoque fuit in Capitolio, ut ostendit Rycquius, de Capit. cap. 42. Sch.

16. *Fax cælo* etc. Dio, lib. XLV, pag. 316: Λαμπὰς ἀπ' ἀνίσχοντος ἡλίου πρὸς δυσμὰς διέδραμε. Oud.

17. *Per dies septem.* Ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας, inquit Dio. *Insignis* hoc in loco notabilis propter magnitudinem et fulgorem. Scheff.

18. *Soles tres.* Meminit Plinius, Hist. Nat. lib. XI, cap. 31. Item Dio, supra laudato loco, ubi ait: Τό τε φῶς τοῦ ἡλίου ἐν τρισὶ κύκλοις φαντάζεσθαι ἔδοξε. Interpres non est assecutus. Scheff.

19. *Corona spicæ similis.* Perperam. Legendum *spiceæ similis*, puta, coronæ: spicea corona ex spicis frumenti, quali ornabatur Ceres. Horat. Carm. Secul. v. 30:

· · · · · · Spicea donet Cererem corona.

Huic ergo similis fuit ista in cælo. Dio supra dicto loco: Καὶ ἕνα γε αὐτῶν στέφανος σταχύων πυρώδης περιέσχεν. *Unum eorum corona spicarum ignea circumdabat.* Atque sic legendum etiam apud Plinium, lib. XI, c. 28: «Cernuntur et stellæ cum sole totis diebus plerumque, et circa solis orbem, ceu spiceæ coronæ, et versicolores circuli, qualiter Augusto Cæsare in prima juventa Urbem intrante post obitum patris.» Ita habent MSS. vulgo *specie* legitur. De re ipsa adde et Sueton. Octav. Vit. cap. 95. Scheff.

20. *In urbem.* Immo vero, *in orbem*, id est, in circuitum. Ita habes apud Ciceronem, *torquere in orbem* Scheff. Recepi in textum *spiceæ s in orbem:* nihil enim verius est. *In orbem* etiam Scaliger conjecit. Oud.

acto, multis mensibus languida lux [22] fuit. In æde Castoris nominum [23] literæ quædam Antonii et Dolabellæ consulum excussæ sunt [24], quibus utriusque alienatio a patria [25] significata. Canum ululatus nocte ante pontificis maximi domum Lepidi [26] auditi : ex his maximus a cæteris laniatus, turpem infamiam [27] Lepido portendit. Hostiæ [28] grex piscium in sicco reciproco maris fluxu relictus. Padus inundavit, et intra ripam refluens ingentem viperarum

21. *In unum circulum.* In unum orbem ac corpus, sic, ut non cerneretur, nisi sul unicus suo ambitu conclusus. Supra Dio, ἐν τρισὶ κύκλοις, quod non intellexerunt. Vide infra cap. 130. Sch.

22. *Multis mensibus languida lux.* Meminit et Dio, supra indicato loco. Plinius sic habet, lib. XI, cap. 30 : «Fiunt prodigiosi et longiores solis defectus, qualis occiso dictatore Cæsare, et Antoniano bello totius pæne anni pallore continuo.» Sch.

23. *Nominum. Nomini* Heinsius habet. Oud.

24. *Excussæ sunt.* Per corvos, rostris eas in tabella scriptas excidentes. V. Dion. lib. XLV, p. 316. S.

25. *Alienatio a patria.* Animi alienationem, per bella civilia declaratam, puto intelligendam. Scheff. Junt. et Bas. 2, *utrisque alienatio.*

26. *Domum Lepidi.* Hoc vocabulum *Lepidi*, ex glossa, quam pepererunt sequentia, natum, perperam hic intrusum est, et ideo debet deleri. Rem ipsam memorat Dio supra dicto loco. De canum ululatibus adde, quæ notavi supra cap. 123. Scheff. *Lepidi*, tanquam glossam, deleri debere non puto. Dio, πρὸς τῇ τοῦ Λεπίδου οἰκίᾳ. Si autem aliquis dicat, tum debuisse scribi ab Obsequente *ante pontificis maximi Lepidi domum*, opponam Cicer. lib. III Nat. D. cap. 32 : *Pontifex maximus est Q. Scævola interfectus*; et Florum, lib. IV, cap. 1, § 7 : «Tùm cos. habito senatu in præsentem reum Cicero peroravit.» Oud. *Domum* omittit Basil. 2.

27. *Turpem infamiam.* Vir doctiss. Jos. Wasse in Indice ad Sallustium legit *famam* ex Belli Jugurth. capite 89 (cap. 85, § 33). *nihil metuere nisi turpem famam.* Verum Noster, cap. 97, dicit *infamiam virginibus, et equestri ordini portendi.* Quod autem ait *turpem infamiam*, ab eo fit ad magnitudinem infamiæ exprimendam : ut cap. 215, *immunde fœdare:* quod etiam perperam tentabat cl. Scheff. Quin apud Suetonium legas de Tiberio cap. 44 : «Majore adhuc et turpiore infamia flagravit.» Oud.

28. *Hostiæ.* Seu, ut scribunt vulgo sine aspiratione, *Ostiæ.* Dio vocat κατὰ τὰς τοῦ Τιβέριδος ἐκβολάς, quod interpres ejus non satis intellexit. Vide lib. XLV, pag. 316; ubi narrat hoc prodigium. Erat autem Hostia, sive Ostia, oppidum in eo loco littoris, ubi Tiberis in mare effunditur, atque sibi nomen quoque traxit. Scheff.

vim reliquit[29]. Inter Cæsarem et Antonium[30] civilia bella exorta.

29. *Ingentem viperarum vim reliquit.* In sicco, puta, deferente eas aqua fluminis recedentis. Vide Dionem, XLV, pag. 316. SCHEFF.

30. *Inter Cæsarem et Antonium.* De quo videndus Florus, lib. IV, cap. 11; et quos vulgo ad id caput laudant. SCHEFF.

CXXIX. (68.) *Caio Pansa, Hircio*[1], *coss.* —U. C. 709.—A. C. 43.

Cæsari quum honores decreti essent[2], et imperium adversus Antonium, immolanti duplicia exta[3] apparuerunt. Secutæ sunt eum res prosperæ[4]. C. Pansa cos. statua equestris Antonii[5] domi corruit. Equus phaleratus[6] in

CXXIX. 1. *Caio Pansa, Hircio.* Scribe *C. Pansa, A. Hirtio.* OUD.

2. *Quum honores decreti essent.* Ut pro prætore præesset exercitui contra Antoninm. Vide Suetonii Octav. cap. 10. SCHEFF.

3. *Duplicia exta.* Non, nt *duplicem naturam* dixit supra cap. 113, verum *duplicata.* Sueton. cap. 95: «Immolanti omnium victimarum jocinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt.» Ubi vide etiam Casaubonum. Nota vero, quod *jocinora* hic vocet, quæ Noster dixit *exta.* Illa nempe excellentiori sensu *exta* dicebantur, nt jam alibi notavi. Atque sic Dio, lib. XLVI, pag. 357; conspecta dicit esse διττὰ τὰ ἥπατα, quo loco illud διττὰ, ut apud Nostrum *duplicia* est intelligendum. Notat autem porro evenisse hoc in hostiis duodecim. SCH. Casaubonus censet *duplicia* hic idem significare, quod apud Suetonium *replicata.* Verius forsan est, intelligi *gemina*, hoc est διττὰ, quod aliter *magmentum* vocant. *Replicata* vero δίπτυχα dicebant Græci. OUD.

4. *Secutæ sunt eum res prosperæ.* Habuit res prosperas, et bella felicia contra Antonium cæterosque adversarios gessit. SCHEFF.

5. *Statua equestris Antonii.* Meminit et Dio, lib. XLVI, pag. 356; sed apud ipsum pro καὶ ἀνδριὰς αὐτῷ χαλκοῦς, legendum fortassis est, καὶ ἀνδριὰς Ἀντωνίου. SCHEFF. Errat cl. Schefferus, quum Dionem e Nostro vult corrigere; nam Obsequens corrigendus est ex Dione. Omnis sermo in Dione, et hic, est de Pansa, non de Antonio. Ibi vero legitur ἀνδριὰς αὐτῷ χαλκοῦς ἐν τῷ τῆς οἰκίας προθύρῳ ἔσωθεν ἀνετράπη αὐτόματος, etc. Unde apparet, hic scribendum esse: *C. Pansæ cos. statua equestris ænea sponte* (vel *ante ostium*) *domi corruit.* Cap. 71: *ad lucum Libitinæ in statua equestri ænea.* Pro *cos.* Autv. *coss.* OUD.

6. *Equus phaleratus.* Phaleris ornatus, qualis dari proficiscentibus

ipsius conspectu[7] festinans concidit. Quidam e populo sanguine victimarum prolapsus[8] respersam cruore palmam[9] proficiscenti dedit. Funesta hæc ipsi prodigia fuerunt. Qui[10] mox adversus Antonium dimicans[11], in mor-

in provincias consulibus solebat. Hinc apud Tacitum, lib. XV, c. 7, *equus, qui consularia insignia gestabat.* Ubi vide, quæ a Lipsio sunt notata, et adde ejusdem lib. XI, de Milit. Rom. Dialog. 12. Scheff. Addendus Drakenborchius ad Sil. Ital. lib. XV, v. 255:...... *phaleris hic pectora fulget.*

7. *In ipsius conspectu.* Non liquet satis, quo referri hoc debeat, num ad *festinans*, an ad *concidit.* Mallem credere, sententiam priorem esse veram, quia sane rectius alias hæc verba post *festinans* posita fuissent. Erit ergo sensus, equum conspecto Pansa festinasse, verum in festinatione illa media, dum currit exsultatque, prolapsum. Facitque hæc interpretatio magis ad præmonstrandos magnos, sed irritos ipsius conatus. Adde, quæ similia leguntur apud Berneggerum, Observ. Miscel. XL. Scheff.

8. *Prolapso.* Perperam. Scribendum est, *prolapsus.* Dio supra dicto loco: Ἔν τε τῷ αἵματι τῷ προκεχυμένῳ ὤλισθε καὶ πεσὼν τὸν φοίνικα ἐμίανεν. Scheff. *Prolopso* ortum est ex compendio scribendi *prolapso:* vid. supra ad cap. 118. Sic in cap. 114, *o* in *us* transiit. Ibi enim legitur *Libius* pro *Livio.*

9. *Respersam cruore palmam.* Quænam est hæc palma, et quo fine data ipsi? num, ut omen esset victoriæ futuræ? Nequaquam. Verbum est corruptum, et pro *palmam paludamentum* scribendum. Patet ex Dionis verbis antea allatis, item his, quæ præcedunt: Καί τις ἐν τούτῳ φοίνικα αὐτῷ προσφέρων. Ubi bis appellat φοίνικα, quod Latinis est *paludamentum*, quod jam a Ferrario est observatum, part. 11, lib. III, de Re Vest. c. 6, pag. 847. Nempe paludamentum fuit purpureum, usurparique consuevit ab Imperatore, quum profecturus esset ad bellum, sicut idem dicto docet loco. Apud Nostrum per compendium scriptum fuit *palmum* cum lineola in summo, pro *paludamentum.* Inde factum *palmam.* Scheff. Meo judicio cl. Schefferus non recte corrigit *paludamentum;* quia in Dione scribitur φοῖνιξ. Nam φοῖνιξ simpliciter posita non significat *vestem puniceam*, ut male ibi reddidit interpres, sed *palmam.* Hanc autem boni ominis caussa ei homo iste porrexit. Nec aliter hunc locum intellexisse doctiss. Freinshemium, patet ex ejus Supplementis Livianis, lib. LXXXIII, cap. 22: « et quidam a populo in eodem sanguine lapsus, palmam, quam boni ominis caussa proficiscenti daturus erat, cruentavit porrexitque. » Oud.

10. *Fuerunt. Qui.* Mallem distinguere ac scribere: *Fuerunt, quia mox.* Totus enim locus agit de Caio Pansa consule, ostenditque prodigia, quæ mortem ejus præcesserunt. Scheff. Pro *qui* lege *quia* cum Scheffero, vel *quippe.* Oud.

11. *Adversus Antonium dimicans.* Una cum Octavio Augusto, in

tem vulneratus[12] est. Armorum[13] telorumque species a terra[14] visa cum fragore ad cælum ferri. Signa legionis, quæ relicta a Pansa ad Urbis præsidium erat[15], veluti longo situ inductis araneis[16] venire[17] visa. Fulmine[18] pleraque icta. In castris Cæsaris luce prima in culmine prætorii super linteum[19] consedit aquila: inde circumvolantibus

bello Mutinensi. Vide Sueton. Octav. cap. 10 et 11. Scheff.

12. *In mortem vulneratus*. Pro, *ad mortem usque*. Itaque Suetonius, loco prædicto: *Hoc bello quum Hircius in acie, Pansaque post ex vulnere periissent, rumor increbuit, ambos opera ejus occisos*, Scheff.

13. *Armorum*. Hic punctum debebat præmitti. Scheff.

14. *A terra*. Ita Dio quoque, lib. XLVII, pag. 374, qui videndus. S.

15. *Ad urbis præsidium erant*. Scribo, *erat*, ut ad *legionis* referatur. Nec enim signa nuda, ut hic quidem intelliguntur, verum legio præsidium urbi erat futurum. Dio lib. XLVII, pag. 374. Τά τε γὰρ σημεῖα τοῦ στρατεύματος τοῦ τὴν πόλιν φυλάττοντος, etc. Habes manifeste legionem, vel exercitum urbem custodientem. Scheff.

16. *Inductis araneis*. Hoc est, telis araneearum. Phædrus noster, lib. II, fab. 8, v. 23:

....Tollere hæc aranea
Quantum est laboris

Ubi vide, quæ de hoc vocabulo nobis sunt notata. Prodigium memorat et Dio, lib. XLVII, p. 374. Scheff. Vir doctus legit *inducta*.

17. *Venire*. Suspectum mihi hoc verbum est, et corruptum puto: quanquam *venire* sæpe poni pro *esse* noverim. Dio σημεῖα ἀραχνίων ἀνεπλήσθη. Forsan *canere*. Res enim canescunt situ: vel *rigere*, vel *irretiri*. Nob. Heins. legebat *obretiri* ex Lucretii lib. III, v. 385:

................Aranei tenuia fila
Obvia sentimus, quando obretimur euntes.

Telas araneorum vocari *casses* et *retia* obvium est. Araneæ etiam in hac re mali ominis erant apud alios populos. Vide Ælianum, Var. Hist. lib. XII, cap. 57, (ibique Perizon.) et doctiss. virum I. C. Bulengerum, lib. IV, de Prodigiis, c. 33. Oud.

18. *Visa, fulmine*. Post *visa*, punctum ponendum. Nam illud *pleraque* non pertinet ad *signa*, sed neutraliter et per se stat, pro rebus aut locis plerisque: ita enim Noster solet; ut cap. 96, *Fulmine Romæ et circa pleraque tacta*; cap. 113, *Fulmina pleraque icta*; cap. 122, *Fulmine pleraque decussa*, et sic alibi. S.

19. *Super linteum*. Quodnam hoc est linteum? Ignoro, si non id, ex quo tabernaculum prætoris. Vulgo ex pellibus aut coriis habebant. Prætores et magistratus alii fortasse ex lintea veste, sicut hodieque usitatum est. Simile quid legitur apud Sueton. in Octavio, cap. 96: *Contractis ad Bononiam triumvirorum copiis, aquila tentorio ejus supersedens, duos corvos hinc et inde infestantes afflixit, et ad terram dedit*. Sed hoc quidem simile est, non idem: differt enim in quamplurimis, ut vi aliquid hinc colligas. Scheff.

minoribus avibus excita, de conspectu[20] abiit. Oraculo Apollinis vox audita[21]. Lupis rabies hieme, æstate frumentum non demessum. Veteranis Cæsari consulatum flagitantibus, terribilis tumultus[22] Romæ fuit. [23] Cæsar quum in campum Martium[24] exercitum deduceret, sex vultures apparuerunt. Conscendenti deinde rostra creato consuli[25] iterum sex[26] vultures conspecti, veluti Romuli auspiciis novam Urbem condituro[27] signum dederunt. Reconciliatione inter Cæsarem, Antonium, Lepidum facta, fœda principum[28] fuit proscriptio.

20. *De conspectu.* Bene. Vulgo *e*, vel *ex conspectu*. Sed et isto modo scriptores optimi loquuntur. S.

21. *Vox audita.* Qualis? Num quæ sequitur: *lupis rabies?* At subjungitur *hieme*, cui respondet sequens *æstate demessum*. Quod quia non futurum quid complectitur, sed præteritum, oraculi voce editum non videtur. Nisi hac formula credamus usum tanquam in re tam certo futura, quam quæ jam facta sit. Cons. Eus. n. MDCCCCLXXIII, ibique Scaligerum, ubi, qualis ea vox oraculi fuerit, Græco versu declarat. Scheff.

22. *Terribilis tumultus.* De quo videndus est Dio, supra dicto loco (lib. XXXVI, pag. 363 sq.) item Suetonius in Octavio, cap. 26. S.

23. *Cæsar.* Malim *Cæsari.* Oud.

24. *Quum in campum Martium.* Propter comitia illic habenda. Nam accidit hoc prima die comitiorum, uti docet Dio dicto loc. (l. XLVI, pag. 365), qui et cætera commemorat, convenienter Nostro. Sch.

25. *Conscendenti deinde rostra creato consuli.* Hoc est, quum deinde creatus esset consul, et ex more rostra conscenderet. Solebant namque ita recens creati consules. Scheff.

26. *Iterum sex.* Ita Dio quoque, hosque sex a præcedentibus distinguit. Sueton. jungit, cap. 95: *Primo*, inquit, *consulatu ei augurium capienti duodecim se vultures, ut Romulo, ostenderunt.* Sed exigua diversitas, quoniam inter utrumque auspicium tempus intercessit prorsus breve, ut pro uno possit haberi. Unde ipse Noster mox hoc Romuli auspiciis comparat, qui tamen junctim aquilas vidit duodecim. Scheff.

27. *Novam urbem condituro.* Sicut et fecit, cunctis per bella civilia sic prolapsis, ut possit vere novus Urbis conditor, alterque Romulus vocari. Intellexerunt ipsi Romani, et ideo hoc ei numen voluerunt dare. Florus, lib. IV, cap. ult. in fine: *Tractatum etiam in senatu, an, quia condidisset imperium, Romulus vocaretur.* Scheff.

28. *Fœda principum.* Iisdem verbis, quibus supra usus est in re simili, cap. 118, ubi vide, quæ notavimus. Rem ipsam memorant Suetonius, cap. 27; et Florus, lib. IV, cap. 6. Scheff.

CXXX. (69.) *M. Lepido, Munatio*[1] *Planco, coss.* — U. C. 710.—A. C. 42.

Mula Romæ ad duodecim portas[2] peperit. Canis æditui mortua a cane tracta[3]. Lux ita fulsit[4], ut, tanquam die orto, ad opus[5] surgeretur. In Mutinensi[6] victoriæ Marianæ signum[7] meridiem spectans, sua sponte conversum in septentrionem hora quarta. Quum hæc victimis expiarentur, soles tres circiter hora tertia diei visi, mox in unum orbem contracti[8]. Latinis[9] in Albano monte quum

CXXX. 1. *Munatio.* Scribe *L. Munatio. Munacio* Par. 3. Oud.

2. *Romæ ad duodecim portas.* Quæ ubi fuerint, adhuc quæro. Schepp. *Per duodecim portas* intelligere auctor videtur locum vel domum, cujus insigne erat *duodecim portæ.* Quomodo *ad simulacra luporum, ad capita bubula, ad malum punicum, ad scutum cimbricum, ad sigillaria,* et similia dicuntur. Oud.

3. *Canis æditui mortua a cane tracta.* Æditoos ille fuit Cereris, caois autem tracta ad sepulturam. Dio lib. XLVII, pag. 400: Καὶ προσέτι καὶ κύων κυνὸς σῶμα πρὸς τὸ Δημήτριον προσελκύσας, τήν τε γῆν τοῖς ποσὶν ὤρυξε καὶ κατέχωσεν αὐτό. *Canis caninum cadaver ad Cereris traxit, terraque pedibus effossa, ibi sepeliit.* Schepp.

4. *Lux ita fulsit.* Dio, ubi hoc commemorat, pro luce ponit solem: Ἥλιος, ait, καὶ ποτὲ καὶ νυκτὸς ἐξέλαμψε. Sic et Noster alibi, ut cap. 71, *Cassini et sol per aliquot horas noctis visus;* et cap. 73, *Capuæ nocte sol visus;* ita alibi. Sed vide, quæ notavi cap. 86. Cæterum hic deest, quando fulserit. Scribendum, *nocte lux ita fulsit.* Vocem *nocte* intercepit *tractu* vox, quæ præcedit, quoniam easdem pæne habet literas. S.

5. *Ad opus.* Ad labores, ad negotia quisque sua. S.

6. *In Mutinensi.* Deest *bello*, volente auctore, num vitio librarii? haud pro certo dixerim. S.

7. *Victoriæ Marianæ signum.* Hoc est, signum Victoriæ, positum a Mario. Quanquam ubi aut quando id posoerit Marius, necdum observaverim proditum ab aliis. Sch. *In Mutinensi victoriæ.* Errat vir doctus. Subaudiendum est *agro;* quomodo hanc ellipsin supplevit Freinsh. in Supplementis, lib. LXXXIX, c. 3, sic alibi, *in Veienti, Privernati, Prænestino* etc. et per *signum* intelligenda sunt tropæa, quæ erexit Marius post victoriam inter Vercellas et Mutinam in campo Raodio a Cimbris partam. Propert. lib. III, El. 2, 43:

Aut quibus in campis Mariano prælia signo
Stent.................

Sidonius Apoll. Carm. IX, v. 255:

Ipsum nec fleat ille plus duellum,
Quod post Cimbrica turbidus tropæa, etc.
Arpinas voluit movere Sullæ. Oud.

8. *In unum orbem contracti.* Supra cap. 128: *Sol in unum circulum redactus.* Ubi vide, quæ notavi. S.

9. *Latinis.* Scil. *feriis*, quibus sa-

sacrificaretur, ex humero, et pollice[10] Jovis cruor manavit. Per Cassium et Brutum in provinciis, direptionibus sociorum, bella gesta. Notatum est prodigii loco fuisse, quod P. Titius prætor[11] propter dissensiones, collegæ[12] magistratum abrogavit, et ante annum est mortuus. Constat neminem, qui magistratum collegæ[13] abstulerat, annum vixisse. Abrogaverunt autem hi: Lucius Junius Brutus consul, Tarquinio Collatino: Tib. Gracchus, M. Octavio Cæcinnæ: P. Tarquinius[14], P. Marullo: Tullius. Bruto et Cassio, pugnam adversus Cæsarem et Antonium molientibus, in castris Cassii examen[15] apum

crificium solemniter in Albano monte fieri consuevit. Scheff.

10. *Ex humo, a pollice.* Ineptissime. Vera lectio est, *ex humero ac pollice.* Dio, sæpe dicto loco, lib. XLVII, p. 400: Ἄγαλμα τὸ τοῦ Διὸς τὸ ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄν, αἷμα παρ' αὐτὰς τὰς ἀνοχὰς ἔκ τε τοῦ δεξιοῦ ὤμου, καὶ ἐκ τῆς δεξιᾶς χειρὸς ἀνέδωκε. Quid de hoc sanguine, manante e statuis censeri debeat, ostendit Plutarchus in Coriolano, p. m. 232. Scheff. Edidi *ex humero, et pollice;* quomodo Freinshemius ad Florum, lib. IV, cap. 7, §. 7, legendum esse jam monuerat; nec aliter Heinsius. Oud.

11. *Titius prætor.* Ald. (Junt. Bas. 2,) Asul. aliæque *Ticius.* Illum vero non prætorem, sed tribunum plebis fuisse nos docet Dio in lib. XXXXVI, p. 367. Vid. Pigh. Ann. t. III, pag. 478. Oud.

12. *Propter dissensiones collegæ.* Post vocem *dissensiones*, comma poni debebat. Historiam habet Dio lib. XLVI, pag. 367; ubi vide. S.

13. *Neminem, qui magistratum collegæ.* Hæc omnia hoc loco et Dioni observata sunt. Unde licet credere, utrumque unum auctorem, Livium videlicet, secutum. S.

14. *P. Tarquinius.* Dio ita habet, loc. cit. pag. 368: Ὅ, τε Κίννας ὁ τόν τε Μάρυλλον καὶ τὸν Φλαούϊον ἀπαλλάξας, οὐκ ἐς μακρὰν ἀπεφθάρη. Quid ergo hic facit *P. Tarquinius?* Num scribendum pro eo *L. Cor. Cinna?* An deesse aliquid putabimus? Sed nec, quæ de Tullio sequuntur, sunt convenientia. Itaque mallem cum cl. Freinshemio (ad Flor. IV, c. 7, § 7; sic legere locum totum: *Tib. Gracchus, M. Octavio; Cor. Cinna, L. Cornelio Merulæ et Flavio, Bruto et Cassio*, etc. Rupertus tamen legi vult: *C. Cinna tribunus pl. Marullo Flavioque. Bruto et Cassio,* etc. v. Epist. ad Reines. 88, p. 503. Scheff. Secutus majori ex parte emendationes virorum DD. lego: *Lucius Junius Brutus consuli Tarquinio Collatino: Tib. Gracchus M. Octavio: Corn. Cinna Flamini Jovis Marullo* (vel *Merulæ*), *et Flavio.* Vid. Dion. lib. XLVI, pag. 367, 368, et Flor. lib. III, c. 21, § 16. Oud. Vellei. lib. II, cap. 20, § 3.

15. *In castris Cassii examen.* Ha-

consedit[16]. Locus aruspicum jussu interclusus[17], interius ducto vallo[18]. Vulturum, et aliarum alitum[19], quibus strages cadaverum pabulo est, ingens vis exercitum advolavit. Puer in pompa Victoriæ cultu[20] quum ferretur, ferculo

bet Dio, lib. XLVII, pag. 401; et Plutarchus in Bruto (p. 1002.) S.

16. *Apium cons.* Pro *apum.* Non male; ita enim Varro quoque. Consule Voss. de Analog. II, cap. 14: vid. supr. c. 103, notata. SCHEFF.

17. *Locus interclusus.* Sic ut ad castra non posset pertinere. Et hoc ipsum est, quod ait, vallum castrorum ductum *interius*, nempe inter illum locum et castra, sic ut locus ille per intercedens vallum a castris separaretur. Plutarchus: Ὃν τόπον ἐξέκλεισαν οἱ μάντεις. SCH.

18. *Ducto vallo. Præducto v.* Heins. Nihil mutem. Tibullus, lib. IV, El. I, v. 85:

Quemve locum ducto melius sit claudere vallo.

Sed et hic Heinsius *structo* mallet. Aurel. Victor de Cæsaribus c. 20, § 18: *Britanniam muro* [*vallo* dicunt alii, teste Salmasio ad Ælii Spartiani Severum, cap. 18.] *munivit per transversam insulam ducto.* OUD.

19. *Vulturum et aliarum alitum.* Ita Florus, lib. IV, cap. 7, § 7. « Assuetæ cadaverum pabulo volucres, castra quasi jam sua circumvolabant. » Ubi vide Freinshemianam notam. Adde Dionem prædicto loco, et Plutarchum in Bruto. SCH.

20. *In pompa Victoriæ cultu.* Vide, quæ de consuetudine hac inducendi deorum dearumve personas, atque repræsentandi easdem in pompa circensi aut triumphali, diximus pluribus in de Re vehiculari lib. XI, cap. 3. Memorat et Plutarchus in Bruto, sed Victoriam illam ait fuisse auream. Ipsum vide. SCHEFF. Novum sane, vivum puerum his ferculis gestatum fuisse. Verum alii hoc ita narrant. Plutarchus quidem in Bruto, pag. 1002: Λέγεται δὲ καὶ πρότερον ἐν θέᾳ τινὶ καὶ πομπῇ χρυσῆν Κασσίου Νίκην διαφερομένην πεσεῖν, ὀλισθέντος τοῦ φέροντος. Appianus autem, lib. IV, Bel. Civ. pag. 668 (ed. Par. et pag. 1067, ed. Tollii): Καὶ Νίκη χρύσεον ἀνάθημα Κασσίου κατέπεσε. Dio etiam, lib. XLVII, pag. 401: Παῖς τε ἐν πομπῇ τινὶ, οἵας οἱ στρατιῶται ἄγουσι, Νίκην φέρων, ἔπεσεν. Unde forsan non male legas: *puer in pompa, victoriam Cassii quum ferret ferculo, decidit.* Vel *p. i. p., victoria Cassii q. f. f., d.* Huc pertinet Cicero, de Harusp. Respons. cap. 11: « An, puer ille patrimus et matrimus si terram non tenuit, aut tensam, aut lorum omisit, etc., ludi sunt non rite facti? » Quidquid sit, errare certe mihi videtur ampl. Cuperus, qui *ferculum* cum *tensa* confundit in Harpocrate (pag. 496, apud Polenum), citans pro *decidit, excidit.* Patet enim ex cl. Schefferi Dissertatione de Re Vehiculari, lib. XI, cap. 3, pag. 46, etc. *tensam* et *ferculum* distincta fuisse. Verum nec ille ab errore immunis est, quum pag. 49, per *pompam* intelligit *circensem.* Nam ex citatis a me locis apparet, hoc prodigium accidisse in castris, et quidem ἐν θέᾳ καὶ πομπῇ, οἵας οἱ στρατιῶται ἄγουσι. Cæterum de corona Cassio imposita vid. iidem eodem loco. OUD.

decidit.[21] Lustratione[22] lictor perversis fascibus[23] lauream imposuit[24]. Brutianis in prælium egredientibus, Æthiops in porta[25] occurrit, et a militibus confossus: Cassius et Brutus interierunt.

21. *Ferculo decidit.* Ferculum quoque quid ac quale fuerit, cum cura in Dissertatione nostra de Re Vehiculari demonstravimus, peculiari capite. Scheff. Ferculum autem est instrumentum in quo quid fertur. Livius in libro I, capite 10: « spolia ducis hostium cæsi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit. » Ferculum etiam est gestamen, quod in pompa ferri solet. Vid. Sueton. Cæsar. cap. 37. Ed.

22. *Lustratione.* Antverp. (et Basil. 2.) *Lustrationi.* Vid. ad c. LXI, not. 3. Oud.

23. *Perversis fascibus.* Hoc est, *inversis*, ut ego arbitror. Sunt autem *fasces inversi*, quando securis ferrum sive acies non est erecta aursum, velut ad ictum, sed pressa deorsum. Quali modo præferebantur iis, qui licet in magistratu essent, imperium tamen non habebant. His oppositi *fasces recti*, qui habebant sese modo contrario. Sch. Pedo Albin. El. 1, 142. Oud. Et ibi Lindenbrogius.

24. *Lauream imposuit.* Ergo laurea imposita fascibus etiam in lustratione? Hoc vero alibi occurrere, vix opinor. De laureatis fascibus testantur, verum post victoriam. Et vide Alexandrum ab Alexandro, lib. I, cap. 27, ibique Tiraquellum. Porro *laurea* hic sine dubio intelligenda est corona, quam quum dicit *imponi*, suspicor ea cinctam præcipue securim, quod fieri vix potuit, nisi rectis fascibus. Et hoc credo esse, quod tanquam singulare hic notatur, factum fascibus perversis. Aliter tamen hac de re Plutarchus in vita M. Bruti pag. 1001, 1002: *Omen*, inquit, *infaustum fama est in lustratione Cassio fuisse oblatum*: τὸν γὰρ στέφανον αὐτῷ κατεστραμμένον ὁ ῥαβδοῦχος προσήνεγκεν; hoc est: *Nam coronam ei lictor inversam obtulit.* Dicit, coronam attulisse Cassio, eamque ipsam fuisse inversam, non fasces. Sed quis στέφανος κατεστραμμένος, seu *inversa corona?* Nominat quidem et Paschalius, lib. IV, de Coron. cap. 13, idque ex hoc ipso Plutarchi loco unico, non tamen exponit. Num in ea pars certa superior, pars alia inferior? Ita forte res habuerit se in aliquibus, ut radiatis: in iis enim radios necesse fuit surgere, non versos esse deorsum. At in laurea qui observari hoc potuerit, non intelligo. Mallem ex Nostro inversam coronam intelligere, rei inversæ impositam, ut hic inversis fascibus: ut allata corona non sit data Cassio vel porrecta, sed adducta, adportata in fascibus, eo modo, quem prædixi. Scheff.

25. *Æthiops in porta.* Qua castrorum? Rem commemorat et Florus, lib. IV, cap. 7, § 7; post verba, quæ superius retuli de volucribus: *et in aciem prodeuntibus* (e castris nempe, de quibus præcessit) *obvius Æthiops, nimis aperte ferale signum fuit.* Scheff.

CXXXI. (70.) *Caio Furnio, Caio Syllano*[1], *coss.* —U. C. 735 et 736.—A. C. 17 et 16.

Sub Apennino in villa Liviæ, uxoris Cæsaris, ingenti motu terra intremuit. Fax cælestis[2] a meridiano[3] ad septentrionem extenta, luci diurnæ similem in nocte fecit[4]. Turris hortorum Cæsaris ad portam Collinam[5] de

CXXXI. 1. *Syllano.* Scribe *Silano.* Oud.

2. *Fax cælestis.* Habet hoc ipsum Dio, lib. LIV, pag. 611. Scheff. Hæc et reliqua hujus capitis acciderunt A. U. C. DCCXXXVII. L. Domitio, P. Scipione coss. Vid. Dionem. Oud.

3. *A meridiano.* Hæc lectio haud videtur integra. Quale namque hic meridianum intelligendum? tempus certe non potest. Aut deest quidpiam, aut scribendum est, *meridiana ora.* Et potest *ora* excidisse propter præcedentem syllabam *ana* non multum dissimilem. Scheff. *Meridiano* non mutandum est in *meridiana ora.* Idem enim significat, ut patet ex auctoribus, qui de limitibus scripserunt. V. p. 215, ed. Goes. *Aruspices altera linea a septentrione ad meridianum diviserunt terram* etc. Vellei. Paterc. lib. II, cap. 126: *Et quidquid meridiano, aut septentrione finitur.* Oud. Fl. IV, 12, § 40: *Hæc ad septentrionem. Sub meridiano tumultuatum magis, quam bellatum est.* Ubi videndus Dukerus.

4. *In nocte fecit.* Puta *lucem.* Illud *in nocte* plene dicitur, alibi ait *nocte.* Scheff. Pro *in nocte* puto *noctem* esse scribendum, nisi placeat lectio ed. Par. 3: *Lucem diurnæ similem in nocte.* Malebat *noctem* etiam Heinsius. Nec aliter Freinshemium legisse patet, ex ejus Supplementis, lib. CI, cap. 45. Oud.

5. *Turris hortorum Cæsaris ad portam Collinam.* Hortorum Cæsaris crebra mentio apud Suetonium et alios. Dicti vero ita, quoniam a Cæsare legati populo fuere. Vide Sueton. Julio, cap. 83. Turris in eis nescio, an legatur alibi: quemadmodum et hoc evidens ex Nostro forte solo est, quod fuerit ad portam Collinam. Scheff.

6. *Insidiis Romanorum.* Dio testatur contrarium, lib. LIV, p. 612, ubi de Germanis: Τό τε ἱππικὸν τὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπελθὸν σφίσιν ἐνήδρευσαν, καὶ φεύγουσιν αὐτοῖς ἐπισπόμενοι, τῷ τε Λολλίῳ ἄρχοντι αὐτῶν ἐνέτυχον ἀνελπίστοι, καὶ ἐνίκησαν καὶ ἐκεῖνον. *Equitatum Romanorum contra se missum per insidias circumvenerunt; et a fugientibus usque ad Lollium præfectum præter opinionem suam pertracti, hunc quoque vicerunt.* Et quis tandem nescit cladem Lollianam, quam Romani accepere sub Augusto? videatur Velleius, II, 97, 1, et Suetonius in Octavio, cap. 23. Quare apud Nostrum sic scribendum: *insidiis Germanorum Romani circumventi.* Imperitus quispiam historiæ, reverentia nominis Romani voca-

cælo tacta. Insidiis Romanorum Germani circumventi, sub M. Lollio legato graviter vexati.

bula hæc inter se fortasse permutavit. Ista scripseram, quum post incidi in notam Lipsianam ad Taciti I Annal. cap. 10, in qua vidi et ipsi hæc venisse in mentem. S. Non opus est, ut cum Lipsio et Scheffero hæc transponas in *Germanorum Romani.* Eusebius enim (in Chronico ad annum quartum Olympiadis CXC), Germanos a M. Lollio subactos fuisse narrat. (Verba Eusebii sunt : *Germanos in arma versos, M. Lollius superat.*) V. Casaubon. ad Sueton. Aug. cap. 23, et G. Vossium ad Velleii lib. II, cap. 97. Oud.

CXXXII. (71.) *Paulo Fabio, Quinto Ælio*[1], *coss.* —U. C. 741.—A. C. 11.

In Germania, in castris Drusi[2] examen apum in tabernaculo Hostilii Rutilii[3], præfecti castrorum[4], consedit, ita ut funem prætendentem[5], præfixamque tentorio lanceam[6]

CXXXII. 1. *Ælio* Ald. Asul. (Junt. Bas. 2.) Antv. 2. *Elio*, male. Græcis est Αἴλιος. *Elius* sive *Helius* libertinorum est nomen. V. Perizonii Dissert. III, pag. 220. Oud.

2. *In castris Drusi.* Meminit Plinius examinis hujusce alicujus in castris Drusi, lib. XI, cap. 16. Sed ibi ait, prospere pugnatum, ut non putem, de hoc prodigio sermonem esse. Scheff.

3. *Hostilii Rutilii.* Freinshemius in Supplem., lib. CII, cap. 102, legit *Rufi.* Oud.

4. *Præfecti castrorum.* De hoc munere Vegetius, lib. II, cap. 10 : *Erat etiam castrorum præfectus, licet inferior dignitate* (præfecto legionis,) *occupatus tamen non mediocribus causis, ad quem castrorum positio, valli et fossæ destinatio pertinebat. Tabernacula vel casæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipsius curabantur.* Adde cætera. Meminit ipsius et Tacitus locis variis, et Velleius lib. II, cap. 112, § 6, ubi et de cohortium præfectis agitur. Scheff.

5. *Funem prætendentem.* Quem puto fuisse velut limitem tabernaculi illius; habuisseque hoc commune tabernacula præfectorum, ut hujusmodi funibus prætentis circumscriberentur, et sic liberius aliquod haberent spatium. Scheff. (Basil. 2, et) Antv. 2, *finem.* Oud.

6. *Præfixamque tentorio lanceam.* Observa lanceam fixam ante tentorium præfecti castrorum. Puto autem hoc fuisse signum, quo ipsius tentorium internosci poterat ab aliis. Scheff. Vide ampl. Cuperum ad Lactantium de Mortibus Persecutorum, c. 22 : *Domestici et administratores lancea emendabantur.* Oud. et alios Interpr. ad Lactant. loc. cit. ed. Burmann. pag. 1429.

amplecteretur. Multitudo Romanorum[7] per insidias subjecta[8] est.

7. *Multitudo Romanorum.* Vir doctus, de quo jam aliquoties dixi, in editione mea, hæc verba ita ordinat : *multitudo per insidias Romanorum subjecta est.* Occurrere sine dubio sic voluit difficultati, de qua Schefferus, not. 2 hujus capitis loquitur, quod nempe Plinius ait, tunc, quum examen apum in castris Drusi consedit, prospere pugnatum esse a Romanis. Certe hæc trajectio verborum apud scriptores veteres sæpissime invenitur, et Noster quoque supra c. 73, *vervecum de grege* dixit, pro : *de grege vervecum.*

8. *Subjecta. Subnecta* vel *sublata* Heinsius. OUD. Si quid mutandum; malim *subacta est.* Sic supra c. 59, *Celtiberi subacti;* cap. 103, *Thraces subacti*; cap. 108, *Medi, Dardani subacti;* cap. 106, *Lusitani rebellantes subacti.*

FINIS

IULII OBSEQUENTIS.

JOANNIS LAURENTII
LYDI
DE OSTENTIS
FRAGMENTA,

EX COD. REGIO NUNC PRIMUM EDITA.

Folio 1 *recto.*

. . . . τουτιπρατ
. . . . λλωνδοξησκαγωπρ
. . . . τωνγεγραμμενατ
. . . . ηνπεριαυτωναλ
. . . . ρωηνεπιτολη· ιππε
. . . . αταυτηνσυμβασατ
. . . . χριμεντωνοροντουγ
. . . . οστροφηνωσοιοντελαβ
. . . . λεωσνικηνυπαυτ
. . . . μαρτυριασγραφειντ
αμαμενπροστησεμησεσεσθαι
ατοπονϛφθονουγεμονητουμενο
· αιοισκαταβεβλημενουσειστου
μειναιλανθανοντασ· αρμοδι

. . . . . τουτὶ πράττειν ἐπαγγειλάμενοι. Τῆς μὲν [οὖν τῶν πο]λ- A
λῶν δόξης κἀγὼ πρώην ἐτύγχανον ὤν, καὶ γράμματα μό[να
τὰ περὶ τού]των γεγραμμένα τοῖς ἀρχαίοις ἐνόμιζον. Ἐπειδὴ
[δὲ ἡ πεῖρα τ]ὴν περὶ αὐτῶν ἀλήθειαν ἔδειξε, καὶ ἡ γενομένη
τοῦ [κομήτου π]ρώην ἐπιτολὴ (ἱππεὺς δὲ ἄρα ἦν τὸ γενόμενον[1]
σχῆ[μα), καὶ ἡ δι]ὰ ταύτην συμβᾶσα τῶν κακοδαιμόνων Περ-
σῶν ἔ[φοδος, μέ]χρι μὲν τῶν Ὀρόντου γενομένη μερῶν, συν-
τομωτάτην [δὲ τὴν ὑπ]οστροφὴν ὡς οἷόν τε λαβοῦσα (ἐδήλου
γὰρ δὴ καὶ τὴν τοῦ κρα[ταιοτάτου βασι]λέως νίκην)· ὑπ'
αὐτῶν λοιπὸν τῶν πραγμάτων, καὶ τῆς [ἐξ αὐτῶν] μαρτυρίας,
γράφειν περὶ τῶν τοιούτων προήχθην· ἅμα μὲν πρὸς τῆς ἐμῆς B
ἔσεσθαι μνήμης τὸ πρᾶγμα νομίζων, ἅμα δὲ ἄτοπον καὶ φθόνου
γέμον ἡγούμενος εἶναι, τὸ πόνους τοσούτους τοῖς ἀρχαίοις κατα-
βεβλημένους εἰς τοὺς περὶ τούτων λόγους, ἄχρι παντὸς μεῖναι
λανθάνοντας.

1. Num λεγόμενον;

τεινεπαγγειλαμενοι· τησμεν
ωηνετυγχανονωνϗγραμματαμο
οισαρχαιοισενομιζονεπειδη
ηθειανεδειξενϗηγενομενητου
υσδεαρανδογενομενονσχη
ωνκακοδαιμονωνπερσωνε
ενομενημερων · συντομωτατην
ουσα · εδηλουγαρδηϗτηντουκρα
ωνλοιποντωνπραγματωνϗτησ
εριτωντοιουτωνπροηχθην ·
μνημηστοπραγμανομιζωναμαδε
σειναι · τοπονουστοσουτουστοισαρ
σπεριτουτωνλογουσ . αχριπαντοσ
ουδεειναινομιζωτωπεριτων

. . . . id facere professi. Ita dudum eadem opinione qua vulgus, ego quoque fui, et scripturas, nec quicquam amplius, quæ hac super re a priscis scripta sunt, esse arbitrabar. Sed postquam earum rerum veritatem quum observatio constans comprobavit, tum nuper factus stellæ crinitæ ortus (ea figura quam hippea vocant), et ob hunc ortum consequuta impurorum Persarum irruptio, quæ ad Orontis usque partes evagata receptum tamen quam celerrimum habuit (nam fortissimi principis victoriam stella item declarabat): idcirco ipsis eventibus eorumque testimonio ad scriptionem de rebus hujusmodi sum adductus: et memoriam id meam commendaturum existimans, et incommodo invidiaque rem non carere censens, si tot labores a veteribus in disciplinas illas impensi, in omne tempus absconditi manerent.

Folio 1 recto.

τοιουτωνγραφ · · · εθελ · · τι ·
ληψισ · ηρξ · · · · · · ειν. Sοθενεσ
σουτονπρο · · · · · ωσSαυτουσειθε
τουτων · · · · · · · · · ζωροαστρηντ
τα · · · · · · · · · · · · · ξασπολλαμ
ταιουπα · · · · · · · · · διδωσιταυτα
λονδεοσοικαι · · · · ροσστοχασμο
μετεκεινονδι · · · · · ενμενκαιδ
δετοπυκνον · · · · · · · · · · ονομια
χλον · · · · · · · · · · · · · · · ναμεστον
αριστοτελειειρ · · · · · · · ωριμωτα
δαψοσοθηϐ · · · · · · · · · · · · · πολλη
οσουμεχριπαντοσισχ · · · αντην
εκϐαλειν · καιτοιγε · · · · ραχαιτο

ϛ'. Ἁρμόδιων δὲ εἶναι νομίζω τῷ περὶ τῶν τοιούτων γράφειν A
ἐθέλοντι, πόθεν τε ἡ τῶν τοιούτων κατάληψις ἤρξ[ατο, λέγ]ειν,
καὶ ὅθεν ἔσχε τὰς ἀφορμάς· καὶ ὅπως ἐπὶ τοσοῦτον προ[ῆλθεν,]
ὡς καὶ αὐτοὺς, εἰ θέμις εἰπεῖν, Αἰγυπτίους ὑπερϐαλεῖν. Τούτων
[γὰρ δὴ, μετὰ] Ζωροάστρην τὸν πολὺν, Πετόσιρις τοῖς εἰδικοῖς[1]
τὰ [ἐν γένει διαπλέ]ξας, πολλὰ μὲν κατ' αὐτὸν παραδοῦναι
βιάζεται· οὐ πᾶ[σι δὲ παρα]δίδωσι ταῦτα, μόνοις δὲ τοῖς καθ'
αὑτὸν, μᾶλλον δὲ ὅσοι καὶ [αὐτῶν π]ρὸς στοχασμοὺς ἐπιτη-
δειότεροι. Ἀντίγονος δὲ μετ' ἐκεῖνον δι[έκριν]ε μὲν καὶ διήρ-
θρωσε τὴν παράδοσιν· πρὸς δὲ τὸ πυκνὸν [τῶν ἐν τῇ ἀστρ]ονο-
μίᾳ γραμμῶν ἀποκλίνας, ἀμύθητον ὄχλον [καὶ ἀσαφείας πάσης
ἀ]νάμεστον τῇ γραφῇ συγκατέθετο. Τὰ γὰρ Ἀριστοτέλει εἰρη- B
μένα γνωριμώτατα. Ἡλιόδωρος δὲ καὶ Ἀσκλατίων, ἔτι καὶ
Δαψὸς ὁ Θηϐ[αῖος, καὶ] Πόλλης, καὶ ὁ θειότατος πρὸ αὐτῶν
Πτολεμαῖος, οὐ μέχρι παντὸς ἴσχ[υσ]αν τὴν παλαιὰν ἀσάφειαν

1. Cod. ἰδικοῖς.

ποθεντεητωντοιουτωνκατα
χεντασαφορμασ.Sοπωσεπιτο
μιςειπειναιγυπτιουσυπερβαλειν.
ονπολυνπετοσιριστοισιδικοισ
ενκαταυτονπαραδουναιβιαζε
μονοισδετοισκαθαυτον·μαλ
υσεπιτηδειοτεροι·αντιγονοσδε
ιηρθρωσετηνπαραδοσιν·προσ
γραμμωναποκλινασ. αμυθητονο
τηγραφησυνκατεθετο· ταγαρ
τα·ηλιοδωροσδεSασκλατιων,ετιS
σSοθειοτατοσπροαυτωνπτολεμαι
παλαιανασαφειαντουπραγματοσ
υτοποιησαισπευσαντεσ'επειδηδε

2. Appositum autem esse arbitror, si quis de rebus ejusmodi scribere velit, primum a quo earum cognitio cœperit, dicere, undeque sit subsidia nacta, quoque pacto eatenus processerit, ut vel ipsos, si hoc fas est dictu, Ægyptios superemus. Ex his enim, post Zoroastrem ingentem, Petosiris locos singulares permiscens generatim dictis, multa juxta illum conatur docere: sed tamen non quemvis unum ea docet, sed solos suos, horumque illos potius, qui sint ad contemplationem habiliores. Post hunc Antigonus divisit quidem et distinxit disciplinam: sed ad crebra astronomica lineamenta conversus, inexplicabilem molestiam omnique obscuritate refertam in scriptionem introduxit suam. Quæ Aristoteles prodidit, admodum cognita sunt. Heliodorus autem, et Ascletario, Dapsus Thebanus, et Polles Ægiensis, quique hos ætate antecessit

ημιντουσεξιταλιασφημι . ταγ
ακολουθοντοισαυτουρημασι
εννοιατοισγαραρχαιοτεροισο
Folio 1 *verso*.
ρακολουθηταπωσεστινκαιου
λοιποισ˙ταρχοντιτετωθυο
πιτωνιιερει˙ωστεεκτωνπασι
τιναδιαπλεξαιτουπραγμ
γησασθαιπρωτον . τιστεουτοσο
γραμμασινενεπιστευθηπαρ
τα˙ταρχωνταυτησεχωντη
θυοσκοποσ . ωσαυτοσεπιτη
τυρρηνουτουλυδουδιδαχθε
σινταυταδηλουται . ουπωτηνι

τοῦ πράγματος ἐκβαλεῖν, καίτοι γε˙σφόδρα καὶ τοῦτο ποιῆσαι A
σπεύσαντες. Ἐπειδὴ δὲ ἡμῖν, τοὺς ἐξ Ἰταλίας φημὶ, Τάγης ἀρχηγὸς τοῦ πράγματος γέγονεν, ἀκόλουθον τοῖς αὐτοῦ ῥήμασι χρήσασθα[ι, μ]ᾶλλον δὲ τῇ τούτων ἐννοίᾳ. Τοῖς γὰρ ἀρχαιοτέροις ὀνόμασιν ἐκεῖνα συγκείμενα δυσπαρακολούθητά πώς ἐςι, καὶ οὐ σφόδρα σαφῆ....... λοιποῖς, Τάρχοντί τε τῷ θυοσκόπῳ, καὶ Ταρκύτῳ τῷ [τελεςῇ, καὶ Κα]πίτωνι ἱερεῖ· ὥςε ἐκ τῶν πᾶσι τούτοις εἰρημέ[νων γλαφυράν] τινα διαπλέξαι τοῦ πράγματος ἁρμονίαν. Δεῖ [τοίνυν ἀφη]γήσασθαι πρῶτον, τίς τε οὗτος ὁ Τάγης, καὶ τίνες οἱ λοιπ[οί· καὶ ὅπως] γράμμασιν
ἐνεπιςεύθη, παρὰ τὸ κρατοῦν ἐν τοῖς ἱερ[οῖς, τὰ τοιαῦ]τα. B

γ'. Τάρχων (ταύτῃ ἔχων τὴν προσηγορίαν) ἀνὴρ γέ[γονε] θυοσκόπος, ὡς αὐτὸς ἐπὶ τῆς γραφῆς εἰσενήνεκται, εἷς [τῶν ὑπὸ] Τυῤῥηνοῦ τοῦ Λυδοῦ διδαχθέντων. Καὶ γὰρ δὴ τοῖς Θύσκ[ων γράμμα]σι ταῦτα δηλοῦται, οὔπω τηνικαῦτα τοῖς τόποις ἐκεί-

ησαρχηγοσ˙τουπραγματοσγεγονεν
νχρησασθα ˙˙ αλλονδετητουτων
νομασινεκεινασυνκειμεναδυσπα
σφοδρασαφη ....
σκοπωκαιταρκυτωτω ....
ν˙τουτοισειρημε ....
ατοσαρμονιαν ˙ δει ....
ταγησκαιτινεσοιλοιπ ....
ατοκρατουνεντοισιερ ....
νπροσηγοριαν, ανηργ ....
σγραφησεισενηνεκταιεισ ....
ντων˙καιγαρδητοισθυσκ ....
καυτατοιστοποισεκεινοισευάν

divinus Ptolemæus, antiquam a scientia prorsus dispellere caliginem non potuerunt, quamvis id quoque efficere oppido conati. Nobis vero, hoc est Italis hominibus, quandoquidem Tages auctor disciplinæ fuit, consentaneum est dictis ejus, vel potius sententia menteque illorum uti. Etenim verbis priscis concepta eà, difficilia intellectu, neque ita dilucida sunt. Neque minus utemur reliquis, Tarchonte aruspice, L. Tarquitio rege sacrorum, Capitone pontifice: ut ex omnium horum dictis concinnam efficiamus argumenti compositionem: Oportet igitur enarrare primum, quis fuerit is Tages, qui reliqui: quoque modo, juxta morem in sacris servatum, id genus disciplinæ literis sit mandatum.

3. Tarchon (id ei nomen) aruspex fuit, ut ipse in scripto affert, unus de illis qui a Tyrrheno Lydo edocti sunt. Etruscorum literis aperiuntur hæc, neque dum in locis illis Evander Arcas apparuerat. Erat autem tunc alia

Folio 1 *verso.*

δρουτουαρκαδοσεπιφανεν
ματωντυποσκαιουδεολωσ
απορρητωντεSαναγκαιοτερωνο
λανθανον : φησιντοινυνοταρχω

Reliqua hujus paginæ, totumque fol. 2 rectum, ut melius similitudinem confor

νοις Εὐάνδρου τοῦ Ἀρκάδος ἐπιφανέντος. Ἦν δὲ ἀλλοῖός τις ὁ A
τῶν γραμμάτων τύπος, καὶ οὐδὲ ὅλως κατημαξευμένος[1] ἡμῖν·
ἦ γὰρ ἂν τῶν ἀποῤῥήτων τε καὶ ἀναγκαιοτέρων οὐδὲν ἔμεινεν
ἄχρι τοῦ παρόντος λανθάνον. Φησὶ τοίνυν ὁ Τάρχων ἐπὶ τοῦ
συγγράμματος, ὅπερ εἶναί τινες Τάγητος ὑποπτεύουσιν· ἐπειδή-
περ ἐκεῖ, κατά τινα διαλογικὴν ὁμιλίαν, ἐρωτᾷ μὲν δῆθεν ὁ
Τάρχων, ἀποκρίνεται δὲ ὁ Τάγης, ὡς πρόσκαρτερῶν ἑκάστοτε
τοῖς ἱεροῖς· ὡς [ἄρα τυχὸν] συμβέβηκεν αὐτῷ κατά τινα χρόνον,
ἀροτριῶντι, θαυμάσιόν τι, οἷον οὐδὲ ἀκήκοέ τις ἐν τῷ παντὶ
χρόνῳ γενόμενον. Ἀναδοθῆναι γὰρ τοῦ αὔλακος παιδίον, ἄρτι B
μὲν τεχθῆναι[2] δοκοῦν, ὀδόντων δὲ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν ἡλικίᾳ
γνωρισμάτων ἀπροσδεές. Ἦν δὲ ἄρα τὸ παιδίον ὁ Τάγης, ὃν
δὴ καὶ χθόνιον Ἑ[ρμῆν] εἶναι τοῖς Ἕλλησιν ἔδοξεν, ὥς που καὶ
Πρόκλος φησὶν ὁ Διάδοχος. Τοῦτο δὲ ἀλληγορικῶς παρὰ τὸν
ἱερατικὸν παρακεκάλυπται νόμον· ἐπεὶ οὐ προφανῶς ὁ περὶ
θειοτέρων πραγμάτων λόγος διὰ τοὺς ἀνιέρους, ἀλλὰ νῦν μὲν
μυθικῶς, νῦν δὲ παραβολικῶς παραδέδοται. Ἀντὶ γὰρ τοῦ
εἰπεῖν, ψυχὴν τελειοτάτην, καὶ τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν ἀπροσδεῆ
ἐπὶ τὴν ὕλην ἐλθεῖν, βρέφος ἀρτιγενὲς ἐκ τοῦ αὔλακος ἀναδο-
θῆναί φησι. Τάρχων δὲ ὁ πρεσβύτερος (γέγονε γὰρ δὴ καὶ
νεώτερος, ἐπὶ τῶν Αἰνείου ϛρατευσάμενος χρόνων) τὸ παιδίον C
ἀναλαβὼν, καὶ τοῖς ἱεροῖς ἐναποθέμενος τόποις, ἠξίου τι παρ'
[αὐτοῦ] τῶν ἀποῤῥήτων μαθεῖν. Τοῦ δὲ αἰτουμένου τυχὼν,

1. Sic Codex : lege καθημαξευμένος.
2. Cod. τατεχθῆναι.

τοσ·ηνδεαλλοιοστισοτωνγραμ
κατημαξευμενοσημιν.ηγαραντων
υδενεμεινεναχριτουπαρον · · ·
νεπιτουσυγγραμματοσοπερ . .

conservata minusque operosa, necesse non habui hic, ad mata, subjicere.

literarum figura, nec prorsus pervagata apud nos: aliter enim ex secretis necessariisque nihil ad hanc diem mansisset occultum. Ait igitur Tarchon in scripto, quod Tagæ esse sunt qui suspicentur: quod ibi, in personas distributo sermone, interrogat videlicet Tarchon, respondet Tages, utpote assidue operam dans sacris: sed ait, forte accidisse sibi, quum araret, quodam die rem mirabilem, et qualem nemo audierit unquam omni memoria evenisse. Exstitisse nempe e sulco puerum, specie quidem eorum, qui recentes a partu sint, dentibus tamen instructum, cæterisque ætatis adultæ signis. Hic igitur puer erat Tages, quem eumdem Mercurium inferum esse Græci opinantur, sicut Proclus alicubi ait Diadochus. Idque allegoriis lege sacrorum velatum fuit: neque enim dilucide rerum divinarum disciplina, propter profanos, sed modo fabulis, modo parabolis involuta traditur. Ita pro hoc, animum perfectissimum propriisque facultatibus minime egentem ad materiam accessisse, illud ait, infantem recens natum exstitisse sic e sulco. Tarchon major (nam alter quoque inferioris ætatis fuit, Æneæ temporibus in bello versatus), cum puerum sublatum locis sacris deposuisset, petit ut ipsum quid arcanorum edoceat. Quæ rogaverat impetrat. E pronunciatis librum conscribit, in quo inter-

βι[βλίον] ἐκ τῶν εἰρημένων συνέγραψεν, ἐν ᾧ πυνθάνεται μὲν ὁ Τάρχων τῇ τῶν Ἰταλῶν, ταύτῃ τῇ συνήθει, φωνῇ, ἀποκρίνεται δὲ ὁ Τάγης, γράμμασιν ἀρχαίοις καὶ οὐ σφόδρα γνωρίμοις ἡμῖν γε ἐμμένων τῶν ἀποκρίσεων. Πλὴν ἀλλ' ὅσον μοι γέγονε δυνατὸν, ἔκ τε τῶν πεύσεων, ἔκ τε τῶν ἄλλων, ὅσοι τούτοις ἡρμήνευσαν, Καπίτωνός τέ φημι, καὶ Φωντηΐου, καὶ Ἀπουληΐου, Βικελλίου τε, καὶ Λαβεῶνος, καὶ Φιγούλου, Πλινίου τε τοῦ φυσικοῦ, πειράσομαι ταῦτα πρὸς ὑμᾶς διελθεῖν. A

δ'. Σπουδὴ δὲ ἡμῖν ἐστὶν, εἰπεῖν περί τε ἡλιακῶν καὶ σεληνιακῶν ἐπισκιασμάτων (οὕτω γὰρ τὰς ἐκλειπτικὰς τῶν φώτων ὀλισθήσεις ἐκεῖνοι καλοῦσι), κομητῶν τε καὶ τῆς κατ' αὐτοὺς διαφορᾶς, αὐλακισμῶν τε καὶ διαττόντων[1], ἀστραπῶν τε, καὶ βροντῶν, καὶ κεραυνῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἀερίων τερατισμῶν, καὶ τὸ δὴ πέρας περὶ σεισμῶν, καὶ ἐμπρησμῶν, καὶ τῆς ἐκ τούτων μαντείας. Οὐχ ὥστε τὰς φυσικὰς αἰτίας, ἢ τὰ περὶ τούτων εἰπεῖν θεωρήματα· φιλοσόφοις γὰρ δὴ τὰ περὶ τούτων ἀνείσθω· ἀλλ' εἴπως[2] οἷόν τέ ἐστιν, ἐκ τούτων δὴ τῶν διοσημειῶν τὴν τῶν ἐσομένων ἴσως προμανθάνειν ἀπόβασιν. Ἔστι γὰρ ἐκ τῆς πολυμαθεστάτης ἱστορίας λαβεῖν, ὡς ἥλιοί τε πλείους κατὰ ταὐτὸν καὶ σελῆναι πεφήνασι, γινομένου μὲν ἐξ ἀνακλάσεως τούτου. Τοιγαροῦν οὐχ ὑπὲρ τὸν ἥλιον ἢ τὴν σελήνην, ἀλλ' ἐκ πλαγίου, τὴν λεγομένην ἀντιδίσκωσιν θεωρεῖσθαι συμβαίνει, καὶ ἀνισχόντων αὐτῶν, ἢ δυομένων. Βασιλέων δὲ τοῦτο δυνατῶν κατ' ἀλλήλων ἐπαναστάσεις σημαίνει, ὡς ἐκ τῆς Καμβύσου κατ' Αἰγυπτίων ἐφόδου λαβεῖν ἐστὶ δυνατὸν, καὶ ἐπὶ τῇ Νέρωνος καταστροφῇ, καθ' ἣν ἐπὶ μὲν τῆς Ἰουδαίας διάγων Οὐεσπασιανὸς πρὸς τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ἀνεφέρετο, κατὰ δὲ τὴν ἑσπέραν Βιτέλλιος, Γάλβας τε[3] καὶ Ὄθων ἑτέρωθεν ἀντανίσταντο[4]. Ἀπουλήϊος δὲ, περὶ τῶν τοιούτων γράφων, καὶ ὑπὸ Κλαυδίῳ Καίσαρι τρεῖς ἡλίους ὀφθῆναί φησιν[5]· ὁμοίως δὲ καὶ σελήνας τοσαύτας ἐπὶ Γναίου καὶ Δομιτίου τῶν ὑπάτων ἀντικρὺς[6] ἐδηλοῦτο, Γαλ- B C

1. Cod. διαταττόντων.
2. Cod. ὅπως.
3 Cod. δέ.
4. Cod. ἀνθανίσταντο.
5. Cod. φασίν.
6. Leg. ὑπάτων· δι' ὧν ἄντικρυς.

rogat Tarchon Italo nostro vulgari sermone, respondet Tages, literas vetustas neque ita nobis cognitas retinens in responsis. Sed tamen quantum in me fuit, quum ex interrogationibus, tum ex auctoribus aliis qui hos interpretati sunt, hoc est ex Ateio Capitone, Fonteio, L. Apuleio, Vicellio, Antist. Labeone, P. Nig. Figulo, C. Plinio naturalis historiæ scriptore, conabor ea vobis enarrare.

4. Propositum nobis est, dicere de solis lunæque obumbrationibus (sic ecliptica luminum decrementa illi vocant), de cometis deque discrimine inter ipsos, de sulcis et trajectionibus stellarum, de fulgetris, tonitribus, fulminibus, de reliquis per aerem prodigiis: postremo de terræ motibus, incendiis, et de divinatione, quæ inde fiat. Neque id, ut naturales ostentorum causas, commentationesque super illis exponamus: philosophis id liceat: sed si quid ejus fieri possit, ut ex his de cælo signis rerum futurarum forte prænoscamus eventum. Possumus ex historia, eruditionis omnis fonte, deprehendere, soles plures eodem tempore lunasque fulsisse. Id repercussu accidit. Quamobrem nec supra solem lunamve, sed ex obliquo, geminationem orbis, quam aiunt, cernimus fieri, oriente sidere utroque, aut obeunte. Principum potentium infestos motus hoc significat, ut ex Cambysis in Ægyptios impetu animadverti potest: item in Neronis Cæsaris exitu, quum et Vespasianus Judæam tenens ad imperium est evectus, et contra per Occidentem Vitellius, Galba, Otho exstiterunt. De simili argumento scribens L. Apuleius, et Claudii Cæsaris principatu soles tres visos esse auctor est: ac lunas totidem Gn. Domitio, C. Fannio coss.: quibus haud obscure declarabatur, Gallos Sarmatasque reip. vastitatem illaturos:

Folio 2 *verso.*

. . . .
. . . .
δυσινσπ . . . .
δονμαν . . . .
ανατο . . . .
καιμεσημ . . . .
δηλοια . . . .
διατ . . . .
τωδεισλε . . . .
. . . . ντιου
γαρπν . . . ατωνεκτωνεσχατ
μενωνκαιτοναεραπρωτονπ
αντιτυπουντοσεικοσεστιντ

λους τε καὶ Σαυρομάτας τὰ Ῥωμαίων δῃώσειν· τὸ δὲ.......[1] A
θῆναι. Πολλά[κις δὲ καὶ διάπυρος ἀςὴρ, ἀσπίδος ἀπομιμού-
μενος τύ]πον, ἐκ τῆς ἑῴας ἐ[πὶ τὴν] δύσιν σπ[ινθῆρας ἐκπεμ-
πων διατρέ]χει, [τὴν] Παρθυαίων [ἔφο]δον μαν[τευόμενος.
Καὶ τὰ μὲν ἐκ τῶν πρω]τοτύπων κέντ[ρων,] ἀνατο[λὴν λέγω
καὶ δύσιν, οὕτως ἔς]ι λαϐεῖν· ἀπὸ δέ γε ἄρ[κτου] καὶ μεσημ-
[ϐρίας, οὐκέτι ἐφόδους βαρϐ]αρικὰς ταῦ[τα ἡμῖν προ]δηλοῖ,
ἀ[λλὰ βιαιοτέρας ἀνέμων ἐκρήξεις. Καὶ εἰ μὲν] ἐξ ἄρκτου διάτ-
[των ἐκτρέχει, αὔλακάς τε πυ]ρὸς ἐπὶ τὸν ἀέρα ποιεῖ, β[ρον]-
τώδεις λέ[γεται διοσημείας, συςρο]φὴν ἀέρος, καὶ [βοῤῥᾶν]
βιαιότερον ἀν[αςήσασθαι· ἐκ δὲ τοῦ ἐνα]ντίου φερόμενος, B
νότον ἐπάγει. Τῶ[ν] γὰρ πν[ευμ]άτων ἐκ τῶν ἐσχάτων τοῦ
κόσμου μερῶν διανιςαμένων, καὶ τὸν ἀέρα πρῶτον πληττόντων,
μηδενὸς σώματος ἀντιτυποῦντος, εἰκός ἐςι, τοὺς ἐκ τῶν ἀςέ-
ρων τούτων ἀφορίζεσθαι σπινθῆρας.

1. Folio 2 *verso.*

· · · · · θηναιπολλα · · · · · · · · ·
· · · · · · · πονεκτησεωασε · · · · ·
· · · · · χει · · · παρθυαιων · · ·
· · · · · · · · · · · τοτυπωνκεντ · · ·
· · · · · ινλαβειναποδεγεαρ · · ·
· · · · · · · αρικασταυ · · · · · · · · ·
· · · · · · · · · · · · · · · · · εξαρκτ ·
· · · · · ροσεπιτοναεραποιειβ · · ·
· · · · φηναεροσς · · · · · βιαιοτερονασ
φερομενοσνοτονεπαγει. τω ·
ωντουκοσμουμερων διανιστα
ληττοντωνμηδενοσσωματοσ
ουσεκτωναστερωντουτωναφο

id autem....... eri. Sæpenumero quoque ardens stella, clypei effigiem referens, ab oriente ad occasum igniculos jaciens transcurrit: ea Parthorum motum portendit. Atque emicantia e primitivis punctis, hoc est, ex oriente et occasu, sic oportet intelligi: quæ ruunt a septentrione et meridie, non jam barbariei motus significant, sed procellarum vehementiorum coortus. Quod si stella micans e septentrione prosilit, sulcosque igneos efficit per aerem, tonitrualia dicitur signa, concretionem aeris et aquilonem truciorem (ut ita dicam) ciere: sin contra rapitur, austrum apportat. Etenim quum in extremis mundi partibus cooriantur flatus, ibique primum aerem feriant, corpore nullo renitente, e sideribus, quæ ibi sint, scintillas sejungi credendum est.

In parte inferiore hujus paginæ, litteræ, quantumvis omnes. Quapropter hic quoque reli

έ. Ὁμοίως ἔϛιν ἑτέρους ἀϛέρας εὑρεῖν, ποτὲ μὲν ἐν γῇ, A
ποτὲ δὲ ἐν θαλάττῃ τὰς ἰδίας ἐνεργείας δεικνύντας. Ἐπί τε γὰρ
ϛρατιωτικῶν ἀκοντίων πολλάκις ὤφθησαν ἐφιζάνοντες, ἐπί τε
τῶν ἱϛίων τῶν νεῶν, καὶ ἐν ἄλλοις δὲ μέρεσι, λιγυρόν τι σύ-
ριγμα προσηχοῦντες, καὶ ὀρνέων δίκην εἰς τόπον ἐκ τόπου τῆς
νεὼς μεθιϛάμενοι, ὡς ἂν καταδύσωσι ταύτην. Ὅθεν καὶ τοῖς
ξηροτέροις τῆς νεὼς ἐμπίπτουσι μέρεσιν, ἐξ ὧν συντομωτέραν
εἰκὸς γενέσθαι τὴν ἐκπύρωσιν. Τὸ δὲ τοιοῦτον σχῆμα, ἤτοι
κατάϛημα, οἱ τὴν θάλατταν πλέοντες Ἑλένην καλοῦσιν. Ἀλλὰ
κἀνταῦθα τὰ ἐξ αὐτῆς ἡ πρόνοια δείκνυσι· δύο γὰρ ἀϛέρες εὐθὺς
κατασκήπτουσι τῆς τοιαύτης φορᾶς, οὓς Κάϛορα καὶ Πολυ- B
δεύκην καλοῦσιν, οἳ παραχρῆμα πρὸς φυγὴν τὴν λεγομένην
ἐλαύνουσι. Τὰ δὲ τῶν ἱϛοριῶν μὴ καὶ περιττὸν ἐν ἡμῖν ᾖ λέγειν,
ὡς ἐπὶ κεφαλῆς πολλάκις ἀνθρώπων διοσημεῖαι γεγόνασιν, ἐπί
τε τῆς Ἀσκανίου, καὶ Σερβίου Τύλλου τοῦ ῥηγὸς, καὶ Κωνϛαν-
τίνου, τοῦ τὴν μεγάλην ταύτην συϛησαμένου πόλιν. Οἷς ἅπασι
τὸ μὲν τῆς βρουσιλείας ἐντεῦθεν κατεμηνύετο κράτος, οὐ μὴν

Folio 3 *recto*.

· · · · · χωναυτοιστεεκεινοισκαι
· · · πλεονεκεινοισο · · · · · · · · ·
· · · ονταστουπηκ · · · χ · · ·
· · · · · ηνμητρ · · · · · · · · · · ·

εἰρηνικὸν, οὐδὲ ἥσυχον· ἀλλὰ μυρίων γέ[[1]μον κα]κῶν, αὐτοῖς
τε ἐκείνοις, καὶ [τοῖς] ὑπ' αὐτ[οὺς ἐσομένο]ις· μᾶλλον [δὲ καὶ]
πλέον ἐκείνοις, ὅ[σῳ καὶ ἐλάττοσι] τύχαις πα[ρὰ το]ὺς βα[σι-
λεύ]οντας τὸ ὑπήκ[οον] χ[ρῆται. Ἀσ]κάνιος μ[ὲν] γὰρ ἐν C
[Ἄλβῃ τ]ὴν μητρ[υιὰν..............καὶ τὴν πρόσηγο[ρίαν τῆς

1. Folio 3 *recto*.

evanidæ, tamen a bene oculatis dignosci possunt pæne quos versus transscribere supersedi.

5. Inveniuntur et aliæ stellæ, modo in terra modo in mari certas quasdam efficientias ostendentes. Pilis militum sæpenumero insidere visæ sunt, et velis aliisque partibus navium, vocali quodam sibilo edito, tanquam volucres sedem ex sede in navi mutantes, ut eam mergant. Quocirca et in sicciores navigii partes decidunt, unde facilior exustio. Hanc speciem, sive statum, navigantes in mari Helenam vocant. Sed ibi quoque suum numen monstrat providentia: nam illico in hunc motum stellæ duæ deferuntur (Castorem et Pollucem nominant), quæ evestigio illam, quæ appellatur Helena, in fugam agunt. Ex historia autem vereor ne supervacaneum sit apud nos dicere, in capitibus hominum sæpenumero præsagia facta, velut in Ascanii, in Servii Tullii regis, in Constantini, qui amplam hanc civitatem constituit. Quibus omnibus imperii opes inde portendebantur, nec tamen pacati aut tranquilli, sed referti calamitatibus infinitis, affligentibus quum

.... υπαυτ .... ισμαλλον ..
.. τυχαισπα .... υσβα ..
.... χανιοσμ .. γαρεν .
.... σενηδεεκαινοτο

ipsos, tum futuros sub ipsis: eo magis tamen et gravius hos, quo duriore quam imperantes fortuna subjectum vulgus solet conflictari. Ascanius enim Albæ novercam *** et nomen quoque reip. immutavit. Tum Tullus adeo urbem bellis miscuit, ut nequirent Romani stabilitæ a Numa

Folio 3 *recto.*

· · · · · · · · · στρωιχον · · ·
· · · · · · · · · · λ · · · · · · ·
· · · · · επλ · · · · · · · στεμ
· · σταθεισησειρ · · · σρωμ
· · αντινουμακρηγορεινουκα
· ωνπεριαυτονσυμϐ · · · · · · ·
· πινθηρβραχυσεκμετεω . .

Reliqua, ut minus evanida et lace

πό]λ[εως..... Ὁ δέ γε Τ]ύλλος οὕτω πολέμων τὴν [πόλιν] A ἐπλ[ήρωσεν, ὥςε μὴ[δυ]νηθῆναι τῆς ὑπὸ Νουμᾶ κα[τα]ςαθείσης εἰρ[ήνη]ς Ῥωμαίους ἀπολ[αῦσαι]. Περὶ δὲ Κων[ς]αντίνου μακρηγορεῖν οὐκ ἀναγκαῖ[ον], ἐ[ν βιϐ]λ[ίοις] τὴν μνήμην [τ]ῶν περὶ αὐτὸν συμϐ[εϐηκότων] ἐχόντ[ων ἡμ]ῶν.

ς'. Πολλάκις δὲ καὶ [σ]πινθὴρ βραχὺς, ἐκ μετεώ[ρων κα]ταφ[έρεσθα]ι δόξας ἐπὶ τῆς γῆς, εἶτα ἐξ ἐπιδόσεως εἰ[ς κύκ]λ[ον τι]νὰ, σελήνης ὅμοιον, [ὤφθη] διοχωθείς. Τοῦτο, ὅπερ ἔναγχος γέγονεν, οὐ μετρίων προδοσιῶν τε καὶ τυχῶν παρεδήλωσε κίνδυνον. Καὶ ὄμϐρων δέ τινας τερατίους διοσημείας ἐπὶ τῆς ἱςορίας εὑρίσκομεν. Ἐπὶ μὲν γὰρ Ἀκελίου Μάρκου καὶ Πορκίου B τῶν ὑπάτων γάλα πρῶτον, [εἶ]τα δὲ καὶ αἷμα κατενεχθῆναί φασιν. Καὶ κρέα δὲ παραδόξως ἀνθ' ὑετοῦ κατὰ τὴν Βολουμνίου κατέπεσεν ὑπατείαν, καὶ ἔμεινεν [οὕ]τως· οὐ γὰρ ἂν θηρίον, ἢ πτηνὸν, ἤ τι τῶν ἐμψύχων λιμῶξαν, καθάψαιτο ἐκείνου τοῦ σώματος. Κατεῤῥύη δὲ καὶ σίδηρος ἐπὶ Λευκανίας ἀνθ' ὑετοῦ, Κράσσου τὴν ἐπὶ Πέρσας [ἐλαύνοντος]...... αν. Μαρκέλλου δὲ τὴν ὕπατον ἀρχὴν διανύοντος, ἔριον κατενεχθῆναί φασι περὶ Κάψαν[1] τὸ φρούριον, ἐπὶ Μίλωνος· ὃ τοῦ τὴν χώραν ἐπιτροπεύοντος ἀναίρεσιν ἐμαντεύετο. Κατηνέχθησαν δὲ πλίνθοι πολλάκις ὀπταὶ, καὶ κόνις, ὥσπερ ἐπὶ Ζήνωνος τοῦ καθ' ἡμᾶς.

1. *Plinius II*, 56, Carissanum.

· · : · · · · · καιτηνπροσηγο
· · υλλοσουτωπολεμὶωντην
η · · νηθηναιτησυπονουμακα
αιουσαπολ · · · · · περιδεχων
ναγκαι · · ε · · · · λ · · · · τηνμνημην
εχοντ · · · · · ωνπολλακισδεκαι
· · · ταϙ · · · · · · ιδοξασεπιτης

ra, non habui necesse transscribere.

pacis fructum ullum capere. De Constantino denique verbosius dicere quid attinet? quum fortunarum ipsius memoriam librorum monumentis testatam habeamus.

6. Sæpe quoque scintilla exigua, e stellis in terram cadere visa, ibique aucta in orbem lunæ magnitudine, conglobata illuxit. Id, quod nuper obvenit, haud communium proditionum casuumque periculum præsignificat. Pluviarum quoque portentosa prodigia invenimus in monumentis. M. Acilio, C. Porcio coss. lacte primo, deinde et sanguine pluisse ferunt. Carne prodigiose pluit P. Volumnio Amentino cos. frustraque illa sic jacuerunt: neque enim aut gradiens, aut volucris, aut omnino ulla quamvis esuriens bestia ea tetigisset. Ferrum manavit imbris loco in Lucanis, M. Crasso expeditionem in Parthos parante. C. Marcello fasces habente, lana pluisse memorant circa Capsam castellum, T. Annii Milonis tempore: id quod cædem curatoris regionum illarum prænunciabat. Et lateres cocti delapsi sunt sæpe, et cinis, velut nostra memoria Zenonis principatu. Armorum et tubarum soni-

Ὅπλων τε καὶ σαλπίγγων ἀπ' οὐρανοῦ γενέσθαι διαφόρως A ἔδοξεν ἦχος, ὅπερ λέγεται συμβῆναι κατὰ τὴν Κίμβρων ἐπιδρομὴν, καὶ ἡνίκα τοῖς ἐμφυλίοις ἐκείνοις πάθεσι τὸ Ῥωμαϊκὸν διεταράττετο. Ἔςι δὲ καὶ ὅτε κατ' αὐτὸν τὸν οὐρανὸν ἐκπύρωσις ἔδοξε γίνεσθαι, καθάπερ καθ' ἡμᾶς, Ἀναςασίου ἐξ πρόσθεν ἐνιαυτοῖς [τῆς τελευτ]ῆς· ἡνίκα τοιαύτη μὲν ἡλίου γέγονεν ἔκλειψις, ὡς ἐ[ν ἡμέρᾳ μέσῃ καὶ τοὺς ἀλαμπεστά]τους τῶν ἀςέρων διαφανῆναι, τὰ δὲ ἀεροπόρα καθάπερ ἐν νυκτὶ μέσῃ κα[ταπεσεῖν]. Εἶτα τῆς ἐπιούσης νυκτὸς πῦρ ἀνεφλέχθη τοσοῦτον, ὥςε σπινθήρων τὸν ἀέρα γενέσθαι μεςόν. Ἐδηλοῦτο δὲ ἄρα ὁ μὲν δῆμος ἐπαναςησόμενος τῷ βασιλεύοντι, ἡ δὲ πρὸς τῇ Μυσίᾳ B ςρατιὰ, ἔργον τῆς Βιταλιανοῦ γενησομένη χειρός· αὐτὸς δὲ μέχρι τῶν τῆς πόλεως τειχῶν ἐλάσας, παρὰ μικρὸν ἦλθε τῶν πραγμάτων κρατῆσαι. Καὶ τὸ δὴ πέρας, οὕτως ἀτιμοτάτης βαρβάρων γενομένης ἐφόδου, μικροῦ προήκατο καὶ τὴν βασιλείαν ἑκὼν Ἀναςάσιος, καὶ φαῦλα δὲ συνέβη πάντα, ὅσα ἐν εἰδόσι λέγειν ἀδολεσχίας ἐςίν.

ζ. Καὶ θαυμαςὸν οὐδὲν, εἰ προθεωροῦσιν ἄνθρωποι τὰ ἐσόμενα, τῆς φύσεως αὐτῆς προδεικνυούσης τὰ πράγματα. Ὡς που καὶ Ἀναξαγόρας ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοςῆς καὶ ὀγδόης Ὀλυμπιάδος λίθον μέγιςον ἐκ τοῦ ἡλίου ἐκπεσεῖν ἐμαντεύσατο, ὅπερ C καὶ συμβέβηκεν ὕςερον ἐπὶ Θρ[άκης]. Καὶ μέχρι νῦν ἔςιν ὁ λίθος, καὶ ἐξ αὐτῆς εὐθὺς τῆς θέας περιπεφλέχθαι δοκῶν. Ταὐτὸ δὲ τοῦτο κατά τε Ἄβυδον καὶ Κύζικον συμβῆναί φησιν Ἀπουλήϊος· ὅθεν ἔτι καὶ νῦν λίθος ἐςὶ παρ' αὐτοῖς, πυρώδης μὲν τὸ χρῶμα, σιδήρῳ δὲ ἅπας κατασεσημασμένος. Παραδεδόσθαι γὰρ λόγος Κυζικηνοῖς, ὡς συναπολέσθαι τῷ λίθῳ τὴν πόλιν ἀνάγκη. Ἵππαρχος δὲ ἑξακοσίοις ἔμπροσθεν ἐνιαυτοῖς ἡλιακὴν προκατέλαβεν ἔκλειψιν. Ἐπὶ δὲ τῆς φυσικῆς ἱςορίας ὁ Ῥωμαῖος Πλίνιος λίθον ἑωρακέναι φησὶν ἐν Βοκοντίῳ τῆς Ἰταλίας ἐξ οὐρανοῦ κατενηνεγμένον· ὥςε πολλὴ κοινωνία ταῖς διοσημείαις πρὸς τὰ γήϊνα, κἂν τοῖς ἀπὸ τῆς ςοᾶς μὴ δοκῇ. Ὥσπερ D ἡμῖν[1] ἐπιτολὴ τῶν ὑάδων ὄμβρον πολὺν, ἡ δὲ τῶν ἐρίφων καὶ

1. Lege, ἡμίν.

tum e cœlo fieri passim crediderunt: idque accidisse fertur sub motus Cimbricos, quumque domesticis tunc malis resp. perturbaretur. Interdum ipsum ardere cælum visum est, sicut nostra memoria, annis sex ante obitum Anastasii Augusti: ubi solis defectus tantus accidit, ut meridie stellæ vel obscurissimæ pellucerent, volucresque tanquam media nocte delaberentur. Nocte autem insequenti ignis exarsit tantus, ut scintillis repletus aer esset. Qua re portendebatur, quum plebem seditionem facturam adversus principem, tum exercitus Mœsiacos manu Vitaliani cæsum iri: ipse quoque Vitalianus, ad urbis mœnia promotis signis, parum abfuit quin rerum potiretur. Ad postremum, fœdissima adeo barbarorum incursione existente, propius nihil est factum, quam ut sponte imperio Anastasius cederet; omniaque tunc perversa acciderunt, quæ nimium esset apud scientes persequi.

7. Nec mirum, si prospiciunt homines futura, quum ipsa natura eventa præmonstret. Anaxagoras Olympiade septuagesima octava saxum casurum esse e sole prædixit, idque factum est posterius in Thracia. Et ostenditur etiam nunc lapis, statim ipso aspectu ambustum se prodens. Illud ipsum ad Abydum Cyzicumque accidisse L. Apuleius memorat: unde adhuc lapis servatur apud illos, colore igneus, ferri ex omni parte vestigia retinens. Et memorant opinionem ductam apud Cyzicenos, esse in fatis, ut simul cum lapide illo civitas intercidat. Defectus solis in sexcentos annos præoccupavit Hipparchus. Apud Vocontios in Italia vidisse se lapidem e cælo delatum C. Plinius Secundus in Historia Naturali refert: ut igitur signorum de supero rerumque terrestrium magna sit conjunctio: tametsi Stoicis minime id videatur. Ita Sucularum exortus imbrem largum, Hœdorum et Arcturi grandino-

τοῦ ἀρκτούρου χαλαζῶδη τοῦτον ἀποτελεῖ. Περὶ δὲ τῆς τοῦ κυνὸς ἐπιτολῆς μὴ καὶ περιττὸν εἴη λέγειν, ὡς τῆς ἡλιακῆς ἀναπτομένης θερμότητος λυττῶσιν οἱ κύνες, καὶ τοῦτο τῆς ἀναιρέσεως αὐτῶν γέγονεν αἴτιον, ὡς ἂν μὴ δάκνοντες ἀναιρῶσιν. Ἀναβλύζειν δὲ πέφυκε καὶ τὰ θαλάττια ὕδατα ἐν ὡρισμέναις τισὶ [περιόδοις], ἄνθρωποί γε μὴν νεύροις, ἢ κεφαλῇ, ἢ καὶ αὐτῇ τῇ δι[ανοίᾳ ἀ]σθενεῖν. Αἴγειροι μὲν γὰρ, καὶ πτελέαι περὶ [τὰς ἡλίου τροπὰς μετα]βάλ[λειν τὴν κό]μην πεφύκασιν. A

η'. Ὁ δὲ λεγόμενος γλήχων ὑπ' αὐτὴν τὴν [τοῦ ἡλίου] θάλλει τροπήν· ἡ δὲ ἡλιότροπος καλουμένη βοτάνη [πρὸς τὴν ἡλι]ακὴν μεταςρέφεται φορὰν, ἀνίσχοντι αὐτῷ καὶ δυομέ[νῳ συμμετα]τιθεῖσα τὸ σχῆμα. Περὶ γὰρ τῶν ἐναλίων τούτων, ὁ[ςρέων λέγω], καὶ χημῶν, καὶ κτενῶν, καὶ τῶν ἄλλων, οὐδεὶς ἀμφισβητεῖ[ται[1], ὅτι] αὔξεται καὶ συμφθίνει ταῖς σεληνιακαῖς φάσεσιν· ὡ[ς καὶ τὰ τῶν] μυῶν ἥπατα καὶ πλεῖςα ἕτερα, περὶ ὧν ἐν τοῖς περὶ [Μη]νῶν γραφεῖσιν ἡμῖν διελάβομεν. Πρὸς τούτοις ἐμπρησμοὺς γίνεσθαι συμβαίνει, ὅταν ἡ σελήνη κατ' ἔλλειψιν ὑπὸ Ἄρεως θεωρηθῇ. Ὡς γὰρ αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ τὰ γήϊνα δηλωτικὰ τυγχάνει τῶν ἐσομένων, περιττὸν ἂν εἴη μακρηγορεῖν. Ὅταν μὲν ἱδροῦν ἢ δακρύειν δοκῇ[2] τὰ ἀγάλματα, ἢ εἰκόνες, ἢ ὅταν κάμινος ἢ ἰπνὸς περιπεφραγμένος ἐκλάμψῃ, ςάσεις ἐμφυλίους ἀπειλεῖ. Ἢ ὅταν ποταμοὶ τὰς ἑαυτῶν ὑπερχέωσι κοίλας, ἐφόδον πολεμίων φράζουσιν. Αἱ γὰρ ἱδρώσεις προβατείων σπλάγχνων τί σημαίνουσιν, οὐδεὶς ἀγνοεῖ. Ἢ καὶ ὅταν ἐπίθολον ὕδωρ αἱ φρεατίαι ἀναβλύζωσι, καθ' ἑαυτῆς ἡ πολιτεία[3]· ἢ καὶ ὅταν ἰκτῖνος ἐν θεάτρῳ συνηγμένῳ τῷ πλήθει ἀναίδην περιΐπταται· ὁποῖον ἱπποδρομίας ἐπιτελουμένης εἴδομεν ἐπὶ τῆς ἄρτι διελθούσης ἐννάτης ἐπινεμήσεως. Ἧς ἀγομένης, ἰκτῖνος τὸ βέλος, τὴν λεγομένην σαγίτταν, τῷ ῥέμφει φέρων, ὅλον ἐπικυκλώσας τὸν δῆμον, ἐπὶ τοῦ ὀβελοῦ ταύτην, διωλύγιον[4] συρίττων, ἀπέθετο. Ὁ δὲ δῆμος, οὐδὲν βραδύνας, καθ' ἑαυτοῦ δὲ κινηθεὶς, αὐτὸς μὲν ἀπώλλυτο, ἡ δὲ πόλις πυρὶ πᾶσα διεφθείρετο· ὡς καὶ αὐτὴν τὴν βασιλείαν, εἰ μὴ Θεὸς ἀντέπραττεν, οὐ πόρρω κινδύνων ἐλθεῖν. B C D

1. Cod. ἀμφισβητῆ...
2. Cod. δοκεῖ.
3. Fort. add. κινηθήσεται.
4. Cod. διαλύγιον.

sum efficit. Nam de Caniculæ ortu vereor ne supervacaneum sit dicere, accenso solis æstu in rabiem agi canes, idque occisionis eorum factam esse causam, ne ipsi morsu homines tollant. Solent et marinæ aquæ fervere statis temporibus, et homines nervis, capite, ipsa mente commoveri. Populis ulmisque id inest natura, ut folia solstitio circumagant.

8. Floret quod appellant pulegium sub ipso solstitio: herba quæ vocatur heliotropium, ad solarem circumvertitur motum, oriente illo et abeunte habitum simul mutans. Nam de marinis his, ostreis, chamis, pectunculis, reliquis, nemo est qui ambigat, lunæ varietatibus augeri ea, ac rursus minui: quin et soricum jecuscula et plurima alia, de quibus in scripto nostro De Mensibus egimus. Præter hæc, incendia fieri contingit, quando Luna laborans sub Marte conspicitur. Nam terrestria per se vim habere prænunciandi futura, vereor ne supervacuum sit pluribus edisserere. Signa aut simulacra, quando sudare vel flere videntur, aut fornax lucernave circumclusa siquando eluxerit, motus id civiles minatur. Amnes extra alveos redundantes incursum hostium indicant. Sudores viscerum ovinorum quid significent, nemo est qui nesciat. Putei quando aquam turbidam emittunt, respublica contra se ipsa concitabitur : vel quando milvus in circo considentem multitudinem impudenter circumvolat , quemadmodum ludorum equestrium celebratione vidimus, indictione nona ea quæ modo peracta est. Quibus commissis, milvus telum, quod sagittam vocant, rostro ferens, quum omnem ambisset populum, sagittam argutum stridens in obelisco deposuit. Neque ulla mora interposita, populus in se concitatus et ipse interiit, et urbs omnis incendio absumpta est: ut vel ipsum imperium, nisi numen obstitisset,

Τὰ γὰρ περὶ ἐπόπων καὶ νυκτικοράκων, λύκων τε καὶ ἀλωπέκων, A ὅταν ἐν πόλεσι φαίνωνται, τὰ εἰρημένα τοῖς ἀρχαίοις μεταπολλητα[1], καὶ τοὺς ἐξ ὧν αὐτοῖς διαλέγεται, περιττὸν ἄντικρυς ἀναφέρειν. Τοσαῦτα μὲν οὖν πρὸς τοὺς ταῖς διοσημείαις ἐνισταμένους καὶ Πτολεμαίῳ τολμῶντας ἀντιλέγειν, ἐκ πολλῶν ὀλίγα λελέχθω. Καιρὸς δὲ ἄρξασθαι τῆς ἐπαγγελίας, ἐκ τῶν ἡλιακῶν ἀποτελεσμάτων λαμβάνοντας τὰ προοίμια.

1. Sic Cod.

non multum abfuisset a discrimine. Nam de upupis, cicumis, lupis, vulpibus, quando in civitatibus conspiciuntur, supervacaneum est ea, quæ veteres inter abscondita memoraverunt, quibusque auctoribus ea exponunt, palam proferre. Hæc iis; qui auguriis adversantes contra Ptolemæum argutari audent, e multis pauca dicta sunto. Sed jam tempus est solvendi promissa, ita ut ab effectibus solaribus exordium capiamus.

ΒΡΟΝΤΟΣΚΟΠΙΑ

ἘΚ ΤΩ͂Ν ΦΩΝΤΗΐΟΥ ΤΟΥ͂ ῬΩΜΑΐΟΥ,

ΚΑΘ' ἙΡΜΗΝΕΐΑΝ ΠΡῸΣ ΛΈΞΙΝ.

λθ΄. ΣΕΛΉΝΗΣ ἐχούσης τὸν αἰγόκερων, εἰ ἐν ἡμέρᾳ βροντὴ A
γένηται, τύραννον ἐπαναστήσεσθαι ἀπειλεῖ τοῖς ἀπὸ τῆς στενῆς
θαλάσσης ἄχρι Νείλου χωρίοις· ἐκπεσεῖν δὲ ὅμως αὐτὸν τῆς
ἐγχειρήσεως. Οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τῶν[1] ἐπιτηδείων ἔσται ἐλάττω-
σις· ὑπονοστήσει δὲ καὶ ὁ Νεῖλος, καὶ διχόνοια ἔσται τέκνοις
πρὸς γονεῖς, καὶ ταραχαὶ τῶν ἀρχόντων ἐνίοις. Πέρσαι δὲ,
καὶ οἱ τῆς Εὐρώπης τὸ δυτικὸν ἔχοντες, ἠρεμήσουσιν. Εἰ δὲ
νυκτὸς, ἔθνη βάρβαρα κατ' ἀλλήλων ἐξενεχθήσεται, καὶ δογμά-
των ἕνεκα τὰ τῆς Ῥωμαϊκῆς εἰρήνης σαλευθήσεται, καὶ τόπους
δέ τινας τοῦ πολιτεύματος πολέμιοι πρὸς βραχὺ καθέξουσιν.
Ἄρχοντες ἐκ τῶν δυτικῶν[2] ὁρμώμενοι ἡγήσονται παρανόμως B
τῶν κοινῶν. Δυσδαίμονες δὲ ἔσονται οἱ τῶν ἀνθρώπων πλείους,
καὶ χειμῶνες πικροὶ, καὶ ναυάγια, καὶ σάλοι σφαλεροί. ΣΕΛΉΝΗΣ
ὙΔΡΟΧΌΩ ΟΥ͂ΣΗΣ, εἰ ἐν ἡμέρᾳ βροντήσῃ, κλεινῶν ἀνθρώπων
καταλύσεις, ἐμπρησμούς τε βαρεῖς. Καὶ ὁ μὲν ἄμητος ἱλαρὸς,
ἀκρίσι δὲ καὶ θηρίοις ἐκδοθήσεται[3], ἡ δὲ σταφυλὴ σφιγξεῖ. Καὶ
τὸ πάντων σχετλιώτερον, φάσματα τοῖς σώμασιν ἐνοχλήσει
μετὰ νόσων, καὶ τῶν ὑδάτων διαμαρτήσει τὸ νόστιμον. Καὶ οἱ
μὲν ἐλάττονες τὰς τύχας ἐπὶ τὸ βέλτιον ἁρπασθήσονται[4]· οἱ δὲ
μείζους ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐκπεσοῦνται. Ἀμετρία τε τῶν νόμων τὴν
εἰρήνην ταράξει, καὶ ἐθνικῶν ἔσται ἐπὶ τῆς πολιτείας πάροδος. C

1. Cod. Caseol. ἡ τῶν.
2. Cod. Reg. ναυτικῶν.
3. Cod. Caseol. εὐδεθήσεται [sic].
4. Caseolinus, ἀνασπασθήσονται.

TONITRUALE
EX SCRIPTIS FONTEII,
TRANSLATUM AD VERBUM.

39. Luna capricornum occupante, si interdiu tonuerit, minatur exstiturum tyrannum in regionibus a freto ad Nilum: sed conatum ei haudquaquam successurum. Nec minime erit rei cibariæ defectus: Nilus refluet, dissensio erit liberis cum parentibus, et turbæ procerum nonnullis. Parthi, et qui in Europa Occidentem tenent, quiescent. Sin autem noctu, gentes barbaræ inter se concurrent, pax orbis romani propter persuasiones turbabitur, hostes loca nonnulla imp. romani ad breve tempus occupabunt. Factiosi ab obeuntis solis partibus existentes per nefas rempubl. administrabunt. Plerique homines duriore fortuna conflictabuntur, eruntque tempestates acerbæ, naufragia, procellæ periculosæ. Luna aquario, si interdiu tonuerit, hominum illustrium ruinas, incendia gravia significat. Messis læta, sed locustis bestiisque, et uvæ sphingiis profundentur. Quodque omnium erit miserrimum, spectra infestabunt corpora cum morbis, et aquarum dulcedo corrumpetur. Homines inferioris fortunæ ad meliorem rapientur: fortunatiores ad pejores decident. Legum inæqualitas pacem turbabit, gentiumque erit in remp. ingressio. Noctu si tonuerit, secernatur paci Occidens: in

Εἰ δὲ νυκτὸς βροντήσῃ, ἀπολεγέτω μὲν τῇ εἰρήνῃ τὸ δυτικόν· A
ὁ δὲ ἄμητος τῆς Ἀσίας εὐκταιότατος, καὶ οἱ ἄρχοντες παρὰ[1]
τὸ κρατοῦν ἐν αὐτοῖς οὐ σφόδρα τοὺς ὑπηκόους λυπήσουσι.
ΣΕΛΗΝΗΣ ἸΧΘΥΣΙΝ ΟΥΣΗΣ, ἐὰν βροντὴ ἐν ἡμέρᾳ γένηται, ὑδά-
των ἐπίδοσιν δηλοῖ οὐ ποταμίων μόνον, ἀλλὰ καὶ θαλαττίων·
ἀχλύν τε τῷ ἀέρι, ἀλλὰ καὶ ἀφανισμὸν τοῖς ἰχθύσιν ἀπειλεῖ. Τὰ
δὲ θηρία πρὸς τὰς παγίδας αὐτομολήσει· φυτεύειν δ' ὅμως
φυτὰ ἐπευκταῖον. Καὶ νοσῶδες μὲν τὸ κατάστημα, οἱ δὲ ἄρχον-
τες ἀνωμάλως διακείσονται.

μ'. ΣΕΛΗΝΗΣ ΟΥΣΗΣ ΚΡΙΩ, ἐὰν βροντὴ γένηται ἐν ἡμέρᾳ,
φυγὴν μὲν Ἀραβίοις, λοιμὸν δὲ Πέρσαις ἀπειλεῖ. Εἰ δὲ νυκτὶ, B
Ἀσίαν καὶ Εὐρώπην ταράξουσι πολέμιοι[2], οἵ τε ναυτιλλόμενοι
οὐκ ἔξω κινδύνων ἔσονται. Καὶ ἀφθονία μὲν τῶν καρπῶν ἔσται,
δυνατοῦ δὲ προσώπου πτῶσις· καὶ τὰ κοινὰ ἐγγὺς εὐθηνίας
ἔσται. ΣΕΛΗΝΗΣ ΟΥΣΗΣ ΤΑΥΡΩ, εἰ ἐν ἡμέρᾳ βροντήσῃ, ἐπομ-
βρίαν δηλοῖ καὶ χαλαζώδη τὸν ἀέρα, καὶ ποταμῶν παροχεύ-
ματα[3]. Καὶ ὁ μὲν ἰχθὺς ἄφθονος· οἱ δὲ περὶ τοὺς θαλαττίους
πόρους ἀγρυπνοῦντες λυπηρότατοι. Καὶ ὁ μὲν ἄμητος ἀγαθὸς,
τοῖς δὲ κτήνεσι λοιμός. Εἰ δὲ νύκτωρ, καρπῶν μὲν ἔνδειαν,
ὑετῶδες δὲ καὶ χαλαζῶδες τὸ θερινὸν κατάστημα. Ἀμβλωσίς
τε γυναικῶν συμβήσεται, καὶ τὸ νόσιμον ὕδωρ ἐπιλείψει· καὶ C
κινήσεις μὲν στρατευμάτων λυπηραὶ, τῇ δὲ ἀνατολῇ τύραννος
οὐκ εὐτυχὴς ἐνοχλήσει. ΣΕΛΗΝΗΣ ΟΥΣΗΣ ΔΙΔΥΜΟΙΣ, εἰ ἐν ἡμέρᾳ
βροντήσῃ, θεοσεβέστατα ἔσται τὰ κοινά· εἰ δὲ ἐν νυκτὶ, τὰ ἐναν-
τία. ΣΕΛΗΝΗΣ ΟΥΣΗΣ ΚΑΡΚΙΝΩ, εἰ ἐν ἡμέρᾳ βροντὴ γένηται
καὶ νεκρὰ συμβαίη[4], ταραχαὶ τοῖς κοινοῖς πράγμασιν ἔσονται·
καινοτομίαι τε τοῖς πράγμασιν ἐπὶ τὸ χεῖρον. Οἱ δὲ καρποὶ
ψεύσονται· ἀλλὰ μὲν καὶ ἡ θάλασσα τοῖς ναυτιλλομένοις ὀλε-
θρία ἔσται, καὶ φθορὰ μὲν ἀνθρώπων, ἀφθονία δὲ ἰχθύων· Εἰ δὲ[5]
νυκτὶ, Αἰθίοψι καὶ Πέρσαις ὄλεθρος ἐνσκήψει· τὰ δὲ δυτικὰ

1. Caseolinus, ἄρα.
2. Reg. πόλεμοι.
3. Sic ambo, sed fort. legend. παροχετεύματα.
4. Hæc tria verba desunt in Regio.
5. Reg. δ' ἐν.

Asia messis crit optatissima; et præfecti, præterquam quod sint cum imperio, non valde provincialibus molesti erunt. Luna piscibus, si interdiu tonitruum factum fuerit, aquarum incrementum declarat non fluvialium modo, sed marinarum quoque: caliginem acri, interitum piscibus minatur. Bestiæ ultro ad laqueos accedent: sed tamen ut semina seras optabile est. Acris temperatio erit morbida: præfecti inique se gerent.

40. Luna ariete, si interdiu tonitruum factum fuerit, fugam Arabibus, pestem Parthis minitatur. Sin noctu, Asiam et Europam turbabunt hostes, nec navigantes defuncti periculis erunt. Frugum erit copia, et ruina personæ potentis: nec respublica longe ab abundantia aberit. Luna tauro, si interdiu tonuerit, vim imbrium declarat, aerem grandinosum, derivationes fluminum. Piscis copiosus: qui quæstui maritimo operam dant, ærumnosissimi erunt. Messis bona, sed jumenta pestis invadet. Sin noctu, frugum penuriam, cælum vernum, pluviosum et grandinosum significat. Mulieres abortum facient, et aqua dulcis deficiet: eruntque molesti exercituum motus, et tyrannus minime felix Orientem vexabit. Luna geminis, si interdiu tonuerit, religiosissima erit civitas: sin noctu, contra. Luna cancro, si interdiu tonitruum emortuum factum fuerit, turbæ in rep. fient, rerumque in pejorem partem mutationes. Fruges spem fallent: mare navigantibus exitiosum erit, peribunt homines, deficient pisces. Sin noctu, in Æthiopes et Persas pernicies irruet: Occidensque adeo fame premetur, ut inediæ causa homines Ægyptum usque se in fugam daturi sint. Luna leone,

οὕτως λιμώξει, ὡς καὶ εἰς Αἴγυπτον δι' ἔνδειαν καταφυγεῖν[1]. A
ΣΕΛΗΝΗΣ ΟΥΣΗΣ ΛΕΟΝΤΙ, ἐὰν βροντὴν ἐν ἡμέρᾳ γενέσθαι συμ-
βαίη, δόλον κατὰ τῆς βασιλείας μελετᾶσθαι δηλοῖ. Καινισμοί
τε νόσων ἔσονται[2], καὶ θάνατοι τοῦ πλήθους ἐκ τιμωριῶν. Καὶ
ὁ μὲν ἄμητος ἄφθονος ἔσται, ὑπὸ δὲ πολεμίων διαρπαγήσονται[3],
καὶ διαφερόντως κατὰ τὸ δυτικόν. Κατισχύσουσί τε καὶ ἀδι-
κήσουσιν οἱ ὑπερέχοντες τὸ ὑπήκοον. Εἰ δὲ νυκτὸς, καὶ οὕτως
ἡ βασιλεία ἐπιβουλευθήσεται, καὶ μέρος τῆς ἀνατολῆς ὑπὸ
βαρβάροις τελέσει. Κατόμβρισις δὲ[4] τοῖς ὑγροῖς καρποῖς λυμα-
νεῖται. Ἐπισυρήσονται[5] δὲ τοῖς κτήνεσιν ἑρπετὰ θανατηφόρα·
δυνατοὶ δὲ τῆς πολιτείας πεσοῦνται. B

μά. ΣΕΛΗΝΗΣ ΟΥΣΗΣ ΠΑΡΘΕΝΩ, εἰ ἐν ἡμέρᾳ βροντήσῃ,
ὑγρότερον ἔσται τὸ τοῦ ἀέρος κατάστημα, ἀφθονία δὲ τῶν ξηρῶν
καρπῶν, ὡς ἠρέμα πως ἐπιρρεπεστέρους γενέσθαι τοὺς ἀνθρώ-
πους ἐπὶ τὰ πταίσματα. Ἔσται δὲ καὶ φθορὰ τοῦ γυναικείου
ἔθνους. Εἰ δὲ νυκτὸς, λοιμὸς ἐνσκήψει τοῖς δυτικοῖς· τὰ δὲ
θηρία οὕτως ἐπελεύσεται τοῖς ἀνθρώποις, ὡς φωλεοῖς αὐτοὺς
ἐγκατακρύπτεσθαι· καὶ δυνατῶν δὲ ἀνδρῶν ἔσται πτῶσις, καὶ
ἔνδεια ξηρῶν καρπῶν. ΣΕΛΗΝΗΣ ΟΥΣΗΣ ΖΥΓΩ, εἰ ἐν ἡμέρᾳ
βροντήσῃ, ἀγαθὰ ἐκδεχέσθωσαν ἄνθρωποι, ἐξῃρημένων Αἰγυ-
πτίων. Εἰ δὲ νυκτὸς, ἡ μὲν νεολαία ἐν ὅπλοις τελέσει, καὶ ἐν C
πολέμοις φθαρήσεται· ἀφθονία γε μὴν τῶν καρπῶν ἔσται, ὑπὸ
δὲ βαρβάρων δαπανηθήσεται. ΣΕΛΗΝΗΣ ΟΥΣΗΣ ΣΚΟΡΠΙΩ, ἐὰν
ἐν ἡμέρᾳ βροντὴν ἢ ἀστραπὴν γενέσθαι συμβαίη, Ἀράβιοι ταρα-
χθήσονται· ἔνδεια δὲ τῶν καρπῶν ἔσται, καὶ οἱ ἄνθρωποι κατ'
ἀλλήλων χωρήσουσιν. Ἀσσυρία γε μὴν πιεσθήσεται λιμῷ[6]. Εἰ
δὲ νυκτὸς, πυρκαϊαὶ μὲν ἔσονται, πτώσεις δὲ πόλεων παραλίων,
καὶ διαφθορὰ καρπῶν καὶ τετραπόδων, θηρίων δὲ παντοίων
ἐπιδρομή· ὅθεν εὔχεσθαι δεῖ, ὅπως μὴ καὶ κεραυνῶν ἐνσκή-
ψεσιν ἀναλωθῶσι. ΣΕΛΗΝΗΣ ΟΥΣΗΣ ΤΟΞΟΤΗ, ἐὰν ἐν ἡμέρᾳ βρον-

1. Reg. φυγεῖν. Caseolinus καταφυγὴν [sic].
2. Ἔσονται deest in Caseol. et ante fort. leg. νόμων.
3. Sic ambo.
4. Reg. δὲ καί.
5. Sic forma insolita in utroque.
6. Sic Regius. Caseol. λοιμῷ.

si tonitruum interdiu fieri accidit, insidias imperio pop. romani parari declarat. Erunt morbi insolentes, et cædes vulgi per supplicia. Messis copiosa ab hostibus diripietur, præcipue per occidentem. Dominabuntur in provinciales opprimentque eos præfecti. Sin noctu, sic quoque imperium populi romani insidiis appetetur, parsque Orientis redigetur in ditionem barbarorum. Imbrium vis frugibus uvidis nocebit. Reptilia letifera jumentis advolvent sese: potentes in rep. ruent.

41. Luna virgine, si interdiu tonuerit, uvidior erit aeris status, frugumque siccarum copia, ut facilius jam ad delicta inclinaturi homines sint. Erit quoque interitio feminei generis. Sin noctu, pestis occidentales occupabit: belluæ adeo infestabunt homines, ut ipsi in lustra ferarum se abdituri sint. Hominum potentium erit ruina, et penuria frugum siccarum. Luna libra, si interdiu tonuerit, fausta exspectent homines, exceptis Ægyptiis. Sin noctu, pubes saga sumet, et in bellis interibit: copia frugum erit, sed a barbaris absumetur. Luna scorpione, si interdiu tonitruum aut fulgur fieri accidit, Arabes turbabuntur: penuria frugum erit, et homines inter se concurrent. Assyria fame premetur. Sin noctu, incendia erunt, ruinæ urbium maritimarum, interitus frugum et quadrupedum, belluarum cujusquemodi incursus: ut obsecratio habenda sit, ne fulminum quoque jaculationibus homines exstinguantur. Luna sagittario, si interdiu tonuerit, Parthis excidium minatur; rex eorum insidiis interficietur, critque fructuum uber proventus et tempestates serenæ, in-

τήσῃ, Πέρσαις ἀφανισμὸν ἀπειλεῖ, καὶ ὁ βασιλεὺς δὲ αὐτῶν A
δολοφονηθήσεται, εὐκαρπία δὲ ἔϛαι, καὶ χειμῶνες εὔδιοι ἔσον-
ται, φθορὰ μὲν ἀνθρώπων, ἀνδραποδισμοὶ δὲ πόλεων. Εἰ δὲ ἐν
νυκτὶ, ἐπομβρίαν δηλοῖ, καὶ κάματον δὲ τοῖς ἐγκύμοσι, καὶ
νόσους, καὶ θανάτους αἰφνιδίους· ὡς περιττεύειν μὲν τοὺς καρ- B
ποὺς, ἀπολείπεσθαι δὲ τοὺς δαπανῶντας. Ἔσονται δὲ σάλοι
καὶ ἄνεμοι βίαιοι, καὶ ἀφανισθήσεται ἀνὴρ δυνατὸς καὶ βαρὺς
τοῖς πράγμασιν.

teritus hominum, et civitatum redactiones in servitutem. Sin noctu, vim imbrium præsagit, laborem prægnantibus, morbos, mortes subitas: ad abundantiam usque frugum, et defectum consumentium. Erunt procellæ et venti vehementes, virque potens et reipublicæ gravis peribit.

ΠΕΡΙ ΚΕΡΑΥΝΩΝ. A

μγʹ. Τὰς φύσεις τῶν πραγμάτων λέγειν, καὶ ὅπως[1] γίνεσθαι
κεραυνοὺς ἡ παλαιότης ὑπολαμβάνει[2], τοῖς ἀρχαιοτέροις ἀπο-
χρώντως τῆς περὶ τῶν τοιούτων θεωρίας διαληφθείσης, οὐ τού-
του καιρὸς, οὐδὲ τὸ ἐπάγγελμα τουτὶ προύθηκεν· ἀλλ' ὅπως
κατὰ τὴν Θούσκων παράδοσιν ἐπιγνωσθεῖεν οἱ κεραυνοὶ, τί ἄρα B
παραδηλοῦσιν ἐκπίπτοντες. Ἐν τούτοις μὲν εἰδέναι χρὴ, ὡς οὐ
κατὰ πάντα[3] τὸν ἐνιαυτὸν κεραυνοὶ ἀποθλίβονται· οὐδὲ γὰρ
ἐπὶ θέρους οὐδὲ ἐπὶ χειμῶνος τοῦτο συμβαίνειν πέφυκε καθόλου,
ἀλλ' ἐν ἦρι ἢ μετοπώρῳ, περὶ τὴν πλειάδος καὶ ἀρκτούρου ἐπι-
τολήν. Ὅθεν οὐδὲ ἐν Σκυθίᾳ, ἢ συνελόντι εἰπεῖν ἐπὶ τὸ ἀρκτῷον
κέντρον κεραυνοὺς βάλλεσθαι, ἤγουν[4] ἐπὶ τὸ νότιον, κέκριται,
διὰ τὸ ψυχρὸν καὶ θερμὸν τοῦ κατὰ τοὺς χώρους ἐκείνους κατα- C
στήματος. Ἐπὶ δὲ τῆς Ἰταλίας ὡς μάλιστα. Εὔκρατος γὰρ σχε-
δὸν παρὰ πᾶν χωρίον ὁ κατ' ἐκείνην ἀήρ· ἀπὸ μὲν νότου πλευρᾶς
ἑκατέρας τῷ βορρᾷ, ἰαπυγί τε κώρῳ τε[5] ἐξ' Ἄλπεων καταπνεο-
μένης πάσης τῆς ὑποκειμένης τῷ Ἀπεννίνῳ βαθείας, ἀπὸ δὲ
τοῦ πρὸς λίβα νεύματος τῷ νότῳ· καὶ νότῳ οὐ τῷ ξηρῷ καὶ
βαρεῖ, ἀλλὰ τῷ γονιμωτάτῳ πάντων· οἷον εἶναι τοιοῦτον[6] ἡ
παρήκουσα πρὸς Γάδειρα ἐπὶ τὸ Ἀτλαντικὸν μεγάλη παρα- D
σκευάζει θάλασσα, κιρνῶσα τοῖς ψυχραῖς ἀναθυμιάσεσι τὴν
ἀτμώδη καὶ λοιμικὴν τοῦ μεσημβρινοῦ νότου θερμότητα. Καὶ
τὸ δὴ πάντων τῇ χώρᾳ τῆς εὐκρασίας αἰτιώτατον· ἄνωθεν τῷ

1. Caseolinus, οὕτως.
2. Caseolinus, ὑπολαμβάνειν, et τ. ἀρχαίοις.
3. Caseolinus, ὡς οὐκ ἅπαντα [sic.]
4. Sic ambo : malim οὐδέ.
5. Caseol. χώρῳ τε. Venet. χώρᾳ· καί.
6. Sic ambo : sed malim τοῦτον, vel ἓν εἶναι τοιοῦτον.

DE FULMINIBUS.

43. NATURAS rerum dicere, et quo pacto nasci fulmina vetustas crediderit, cum harum rerum ratio sufficienter antiquioribus sit pertractata, nec jam tempestivum est, nec proposuit id institutum: sed quemadmodum juxta Tuscorum disciplinam dignoscantur fulmina, quid casu obnuncient. Qua in re sciendum est, non per totum annum excuti fulmina : neque enim æstate neque hieme id accidit omnino, sed vere vel autumno, sub vergiliarum et arcturi ortum. Unde neque in Scythia, neque, ut brevi dicam, circa aquilonarem cardinem, nec circa australem, cadere fulmina judicatum est, ob frigidum atque calidum per loca ea cæli statum. In Italia quam creberrime. Siquidem ibi ubivis fere temperatus aer : cum, australi latere utroque, omnis Apennino subjecta profunditas aquilone, favonio, coro ex Alpibus, in flexu autem africum versus austro perspiretur : neque austro sicco et gravi illo, sed omnium maxime genitali ; qualem eum mare magnum reddit, ad Atlanticum usque per Gades pertinens, afflatuque refrigerante temperans vaporiferum ac pestilentem meridionalis austri æstum. Et quod regioni illi conficientissima omnium causa temperiei est : superius Ionio, inferius Tyrrheno alluitur mari. Quare et bis quot-

Ἰονίῳ, κάτωθεν δὲ τῷ Τυρσηνικῷ παρακλύζεται πελάγει. Ὅθεν A
δίς τε τὰ θρέμματα τοῦ ἔτους ἀπογεννᾷν πέφυκε. Τυρὸς δὲ[1]
οὐ λείπει οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρῃ[2]. Τοιαῦτα μὲν ἄν τις
περὶ Ἰταλίας εἴποι.

μδ'. Διάφορος δὲ, καὶ[3] οὐ μονοειδὴς, ἡ τῶν κεραυνῶν φύσις.
Τοὺς μὲν γὰρ ψολόεντας ἡ παλαιότης καλεῖ, τοὺς δὲ ἀργῆτας,
σκεπτούς τε, καὶ πρηστῆρας. Οὐδὲ γὰρ πάντες ταὐτὸ πράτ-
τουσιν. Εἰσὶ δὲ οἳ καὶ ἀναστρέφουσι πρὸς τὰς ῥήξεις τῶν νεφῶν, B
ὅθεν καὶ ἐξεθλίβησαν· καὶ οἱ μὲν διάπυροι πρηστῆρες, οἱ δὲ μὴ
πυρώδεις τυφῶνες, οἱ δ' ἔτι μᾶλλον ἀνειμένοι[4] ἐκνεφίαι. Αἰγίδες
γε μὴν λέγονται οἱ ἐν συστροφῇ πυρὸς φερόμενοι. Ταύτῃ αἰγίδα
Διῒ περιτίθησιν ὁ λόγος, οἱονεὶ τὸν ἀέρα καταιγίδος καὶ συσ-
σεισμοῦ αἴτιον παραινιττόμενος[5]. Εἰσὶ δὲ καὶ ἕτερα σχήματα
κεραυνῶν· ἑλικίας αὐτοὺς τὰ βιβλία καλεῖ, ὅτι ἑλικοειδῆ γραμ-
μὴν ἐν τῷ καταφέρεσθαι παραδεικνῦσιν. Ἔστι δὲ θαυμάσαι κἂν C
τούτῳ τὴν φύσιν, καὶ τὸ ἄβατον τῶν ἐν αὐτῇ θεωρημάτων.
Οὐδὲ γὰρ πάντες (καίτοι πάντες ἐξ ἀέρος καὶ συστροφῆς νεφῶν
φερόμενοι[6]) τὰ αὐτὰ ἀλλήλοις δρῶσιν. Ὁ γὰρ ἐν αὐτοῖς λεγό-
μενος Ἄργης, ὃν καὶ Λαμπρὸν ἐξαιρέτως καλοῦσιν οἱ ἀρχαῖοι,
πολλάκις ἐμπεσὼν ἐπὶ πίθον, ἢ ἄγγος ἁπλῶς ἢ[7] οἴνου, ἢ ὕδα-
τος, τὸ μὲν περιέχον ἀπήμαντον[8], τὸ δὲ ἐμπεριεχόμενον[9] ἄφαν-
τον ἐποίησεν. Οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ἐν σκεύεσι, χρυσίον ἢ ἀργύριον D
φέρουσιν, ἐμπεσὼν τῷ ἴσῳ τρόπῳ τὰ μὲν ἔνδον ἔτηξε, τὰ δὲ
ἔξωθεν ἔσωσε. Καὶ τὸ δὴ πάντων θαυμασιώτατον καὶ[10] ἐπὶ
γυναικὸς ἐγκύμονος συμβῆναί φησιν ὁ μέγας Ἀπουλήϊος[11], καὶ
γυναικὸς οὐκ ἠγνοημένης, Μαρκίας δὲ ἐκείνης, τῆς Κάτωνι τῷ
τελευταίῳ συνοικησάσης. Ἐμπεσὼν γὰρ αὐτῇ κεραυνὸς ὁ λεγό-
μενος Ἄργης, ἤτοι Λαμπρὸς, αὐτὴν μὲν παντελῶς ἐφύλαξεν
ἀβλαβῆ· τὸ δὲ ἐν αὐτῇ διεφόρησεν οὕτως ἀνεπαισθήτως, ὡς

1. Malim τέ· et sic verti.
2. Odyss. M. 76.
3. Καὶ deest in Caseolino.
4. Caseolinus, ἀνιμένοι.
5. Caseol. παραινιττόμενοι.
6. Caseolinus, στρεφόμενοι.
7. Ἢ abest in Caseolino.
8. Caseolinus, ἀπήμαντος.
9. Venetus, περιεχόμενον.
10. Sic in ambobus.
11. Fort. Πλίνιος dictum oportebat, *Hist. nat. II*, 51.

annis pecudes pariunt, et caseus *nec Bacchi deest nec tempore messis*. Hæc de laudibus Italiæ.

44. Diversa autem est, neque uniusmodi, fulminum natura. Alia Fumida vocat antiquitas, alia Candida, Irruentia, Presteres. Non enim omnia idem efficiunt. Sunt etiam quæ redeant ad diruptiones nubium, unde elisa fuerant : ardentia Presteres appellantur : quæ sunt sine igne Typhones, magis etiam remissa Ecnephiæ. Αἰγίδες, quæ præfracta possumus dicere, vocantur quæ globo igneo deferuntur. Unde ægidem Jovi circumponit traditio, quasi insinuans, aerem procellæ concussionisque esse causam. Sunt quoque alia fulminum genera : Intorta libri vocant, quod lineam tortuosam lapsu ostendunt. In quo item mirari subit naturam, difficultatemque contemplationum ejus. Non enim omnia (licet omnia ex aere concursuque nubium eliciantur) operantur eadem. De illis quod nominant Candidum, quod idem Clarum præ cæteris vocant veteres, sæpe incidens in dolium, aut omnino in vas sive vini seu aquæ, operimentum integrum reliquit, intus conclusum fecit evanidum. Nec minus in loculis, aurum aut argentum continentibus, simili modo irruens, quæ intrinsecus erant liquefecit, quæ exterius, reliquit intacta. Et omnium maxime mirandum mulieri gravidæ accidisse ait magnus Apuleius, nec ignobili illi, Marciæ nimirum, quæ M. Catoni minori nupsit. Decidens in eam fulmen Clarum seu Candidum vocatum ipsam prorsus illæsam servavit : partum ejus discussit sine omni doloris sensu,

μηδὲ αὐτὴν συνιδεῖν ὅτι γέγονε τὸ ἐν αὐτῇ, καίτοι πρὸς A
ἔξοδον ἔχον. Τοιαύτην μὲν κατεξαίρετον ἐνέργειαν[1] ἡ τοῦ Ἄρρη-
τος εἴληχε φύσις.

μέ. Γενικῶς δ' εἰπεῖν, ἀβλαβῶς φυλάττεται ἀπὸ κεραυνῶν
καὶ οὐδὲ βάλλεται τὴν ἀρχὴν ἐν μὲν φυτοῖς δάφνη καὶ συκῆ·
καὶ γὰρ ἡλίου ταῦτα. Ὅθεν καὶ δάφνην φιλεῖν Ἀπόλλων μυθεύε-
ται, οἷον ὁ ἥλιος· καὶ εἰς λέοντα μεταβαλλόμενος, ἀντὶ τοῦ εἰς
πῦρ, οὐ φθείρει τὴν δάφνην. Ἐν δὲ πτηνοῖς ἀετός· ἐν δὲ ὑγροῖς B
φώκη· ὅθεν καὶ κεραυνοφόρος ὁ ἀετὸς, καὶ Διὸς εἶναι νεμόμισαι.
Ἡ δὲ φώκη, ὡς ἀπήμαντος ἐπιβολῇ[2] κεραυνοῦ, μάρτυς ἡ πεῖρα
ἀποδέδωκε· τῶν γὰρ νεῶν τὰ ἱστία, ἐν αἷς οἱ βασιλεῖς πλέ-
ουσι, φωκείοις εἴθισαι[3] ἀποδιφθεροῦσθαι δέρμασιν. Οὐ πλέον δὲ
πέντε ποδῶν καταχρύπτεσθαι κεραυνὸς[4] πέφυκεν εἰς γῆν, ἐξω-
θούμενος ἄνωθεν. Ὁ γὰρ ἀριθμὸς γηϊνώτατος. Ἔστι δ' ὅτε καὶ
ὑπ' αἰθρίῳ τῷ ἀέρι πίπτουσι κεραυνοί· ὅπερ, εἰ συμβαίη, οὐκέτι C
τὸν ἐπὶ τοῖς ζωδίοις ἥλιον, ἢ ἑτέραν γοῦν τῶν ἐγνωσμένων δέοι
ἑρμηνείαν τοῦ ἐσομένου θηρᾶσθαι, ἀλλ' αὐτόθεν ἀποφήνασθαι[5]
ἀνατροπὴν μὲν τοῖς κοινοῖς, ἀπώλειαν δὲ τῷ παντελεῖ χωρίῳ,
ἐν ᾧ τοιοῦτό τι συμβήσεται. Ἄλλην δὲ ἐκ τοῦ ἐναντίου ὁ Νιγί-
διος ἐν τῇ τῶν Ὀνείρων ἐπισκέψει[6] παραδίδωσιν ἐπὶ τοῖς κε-
ραυνοῖς ἑρμηνείαν. Φησὶ γὰρ, πᾶσι μὲν καθόλου ἀπευκταίαν
εἶναι τὴν τῶν σκηπτῶν φορὰν, κἂν εἰ μὴ τυχὸν βλάπτοιεν· τοῖς D
δ' ὄναρ τουτὶ πάσχειν φανταζομένοις αἰσιώτατον, καὶ λαμ-
πρᾶς τύχης προμάντευμα.

μς'. Ἄξιον δὲ ζητῆσαι, τίνος χάριν ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων διοσημειῶν τὴν σελήνην[7], ἐπὶ δὲ μόνων τῶν κεραυνῶν τὸν ἥλιον ἡ ἀρχαιότης ἐπετήρησεν. Εἴρηται τοίνυν πολλαχῶς[8], ὡς πάσης τῆς ὁποιδήποτε[9] τυγχανούσης θερμῆς φύσεως καὶ[10] πυρὸς, τα-

1. Hæc vox deest in Veneto.
2. Caseolinus, ἐπιβουλῇ.
3. Caseolinus, φωκίοις ἤθισαι [sic], et paulopost, ἐν οἷς.
4. Caseolinus, κεραυνούς.
5. Sic Ven. In Caseolino est ἀποφήβασθαι.
6. Caseolinus, ἐπισκίψει.
7. Caseolinus, τῆς σελήνης.
8. Sic ambo : verti ac si esset πολλαχοῦ.
9. Sic utrobique : fort. ὁπουδήποτε.
10. Caseolinus κἄν.

adeo ut ne ipsa quidem animadverteret, quid de fœtu, licet haud procul abesset ab enisu, factum esset. Ejusmodi eximia vis naturæ Candidi fulminis propria est.

45. In universum autem illæsæ servantur neque omnino feriuntur fulminibus ex iis quæ terra gignuntur laurus et ficus: nam Soli peculiares sunt. Unde laurum quoque gratam fabulantur Apollini, hoc est Soli: et in leonem mutatus, quasi dicas in ignem, laurum non lædit. E volucribus aquila, ex marinis vitulus: ob hoc aquila armiger fulminis, Jovique peculiaris esse creditur. Minime lædi phocam percussione fulminum, testis experientia demonstravit: ita vela navium, quas Impp. conscendunt, pellibus phocarum induci consuerunt. Nec unquam usuvenit, quinque altius pedibus descendere in terram fulmen superne elisum. Est enim is numerus maxime terrester. Interdum quoque sereno die cadunt fulmina: quod si accidit, non amplius Solem in signis, aut aliquam comprobatam interpretationem rei futuræ scrutari oportet, verum extemplo reipublicæ eversionem, ac regioni universæ, ubi ejusmodi quid acciderit, interitum denunciare. Contra P. Nigidius disputatione de somniis aliam prodit fulminum explicationem. Ait enim, omnibus omnino fulminum ictum esse abominandum, etiamsi forte nihil lædant: auspicatissimum contra esse iis qui per quietem viderint, et splendidæ fortune omen.

46. Jam vero operæ pretium est disquirere, quam ob rem in aliis prodigiis Lunam, in fulminibus solis Solem observitarit antiquitas. At enim demonstratum est compluriens, Solem omnis, ubi ubi sit, naturæ calidæ ignis-

μίας καὶ αἴτιος ἥλιός ἐςι, καὶ διαφερόντως ἐκείνου τοῦ πυρὸς A
λέγω, τοῦ κατ' ἐνέργειαν δραςικοῦ, καὶ ἐν ᾧ οὐδεμίαν ἡ σελήνη
μετουσίαν ἔχειν φαίνεται. Τί γὰρ κεραυνοῦ δραςικώτερον, ἢ
πυρωδέςερον; ἐν ᾧ τοσαύτη τίς ἐςιν ἡ κατὰ φύσιν ὀξύτης,
ὡς μηδὲ ἓν σῶμα παντελῶς ὑπομένειν αὐτόν· ὥςε, ἐπειδὴ μὴ
μόνον ἐςὶν ὑγρότητος ἔξω, ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς ὁπωσδήποτε
ὑποπιπτούσης αὐτῷ φύσεως σκεδαςής, δῆλον, ὅτι ἡ σελήνη
ἀλλοτρία κεραυνῶν ἐςί. Καὶ γὰρ ὑγρὰ τὴν φύσιν, καὶ ἐπὶ τῆς B
ὑγρᾶς[1] τεταγμένη ζώνης, εἰκότως τε οὐ δυναμένη τὰ διὰ τῶν
κεραυνῶν προλεγόμενα δηλῶσαι[2]. Ὥςε ἥλιος αἴτιος κεραυνῶν.
Ταύτῃ Ζεὺς ὁ αὐτὸς καὶ Ἥλιος τοῖς μυθικοῖς λέγεται, καὶ
κεραυνὸν ἐπιφέρεται, καὶ ἀετὸς ὑπηρέτης αὐτῷ. Καὶ ὅσα κατὰ
φύσιν θερμὰ, καὶ ἡλίῳ προσφυῆ. Ὀρθῶς οὖν τὸν ἥλιον οἱ ἀρχαῖοι,
καὶ οὐ τὴν σελήνην, ἐπὶ τῆς τῶν κεραυνῶν θεωρίας ἐπετήρησαν.
Ἐκείνοις τοίνυν ἀκολουθοῦντες, τὰ εἰρημένα αὐτοῖς καθ' ἑρμη- C
νείαν ἐροῦμεν.

μζ. Ἥλιος κριῷ. Κεραυνὸς ἐνσκήπτων ἐπὶ γῆς, εἰ μὲν δέν-
δρῳ ἐμπέσοι, τηρεῖν δεῖ, ποίῳ τούτῳ. Οὐδὲ γὰρ πλανᾶσθαι
πέφυκε καταφερόμενος, ἀλλὰ ῥοιζηδὸν[3], καὶ κατ' εὐθεῖαν, καὶ
οὕτως ἀπλανῶς, καταφέρεται. Καὶ εἰ μὲν ἀμπέλου καθάψεται,
ἐλάττωσις ἔςαι τοῦ οἴνου· εἰ δὲ ἑτέρου τινὸς τῶν δένδρων, τὴν
ἐξ ἐκείνου[4] καρπῶν ἔνδειαν παραδηλοῖ. Εἰ δὲ ἐπὶ ποταμὸν D
κατενεχθείη, ἐνδεὴς μὲν ὁ ποταμὸς ὑδάτων ἔςαι, ὅσον πρὸς
αὐτὸν, ὄλεθρος δὲ τοῖς ἐν αὐτῷ νηχομένοις ἐπιγενήσεται. Εἰ δὲ
ἐπὶ θαλάσσῃ, τὸν τόπον ἐπιτηρεῖν δεῖ, καθ' οὗ φέρηται ἡ φλόξ·
πάντως γὰρ ἐκεῖνος ὁ τόπος, καὶ οὐκ αὐτὸς μόνος, ἀλλὰ καὶ
τὸ περὶ αὐτὸν κλίμα, ἢ πολέμῳ, ἢ πειρατῶν δόλοις ταραχθή-
σεται. Εἰ δὲ ἐν πολιτικῷ ἢ δημοσίῳ κατενεχθείη τόπῳ, ἐμφυ-
λίους τε πολέμους, καὶ ςάσεις, καὶ τοῦ πολιτεύματος ἀνατροπὴν E
δηλοῖ· αὐτὸν δὲ τὸν τόπον, καθ' οὗ ἐξαιρέτως φέρηται, οὐκ
ἀλλοιώσει μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τύχην παντελῶς ἀνα-
βάλῃ[5]. Εἰ δὲ ἐπὶ τείχους πέσῃ[6], βλάψῃ δὲ μηδὲν, πολεμίων

1. Caseolinus, ὑγρῆς.
2. Caseolinus, δηλώσει.
3. Caseolinus, ῥυζηδόν.
4. Caseolinus, ἐκείνων.
5. Sic ambo.
6. Sic Regius. Caseol. πέσει.

que dispensatorem esse atque causam, et præsertim illius ignis, inquam, actu efficientissimi, quocum Lunam consortium habere nullum constat. Nam quid efficientius fulmine? quid ignitius? in quo tanta est natura celeritas, ut nullum omnino corpus perferre id queat: quapropter, cum non modo sit ab humore remotum, sed omnem quoque qualemcunque naturam obviam sibi factam dissipet, patet, a fulminibus alienam esse Lunam. Etenim humida suapte natura, et in cingulo humido collocata, ideo augurium fulgurale declarare nequit. Contra Sol fulminum causa. Quocirca idem a mythicis et Jupiter et Helios appellatur, fulmenque gestat, ejusqus ministra aquila est. Et quæcunque res natura sunt calidæ, cæ item Soli sunt cognatæ. Recte igitur Solem, non Lunam, in fulgurali disciplina observaverunt veteres. Quos consequentes, eorum dictata interpretatione conversa hic subjiciemus.

47. Sol ariete. Fulmen terræ illisum si inciderit, arborem servari oportet, quænam ea sit. Non enim vagari solet delabens, sed cum stridore, recta, atque adeo absque erratione, defertur. Quod si vitem tangit, imminutio erit vini: sin aliquam arborem, penuriam frugum illius declarat. Si in flumen defertur, flumen per semetipsum aqua egebit, innantes exitio interibunt. Sin in mare, locum animadverti oportet, quo flamma rapitur: omnino enim locus ille, neque is solus, sed regio quoque circa ipsum, aut bello aut piratarum insidiis turbabitur. Si in locum publicum aut communem delabitur, bella civilia, seditiones, eversionem reip. declarat: locum ipsum, in quem præcipue fertur, non immutabit modo, sed etiam fortunam ejus prorsus disturbabit. Quod si murum tetigerit, nec nocuerit quicquam, hostium adventum significat: sin pars muri vitium fecerit, observandum qua in parte,

μὲν ἔφοδον σημαίνει· εἰ δὲ διαφθείρῃ τοῦ τείχους μέρος τι, A
σκοπητέον, κατὰ ποίου τινὸς μέρους, καὶ πρὸς ποῖον ἀφορῶντος
κέντρον τὸ τῆς διοσημασίας γένοιτο· ἐξ ἐκείνου γὰρ πάντως
τοῦ κλίματος πολεμίους ἀναμένειν δεῖ κατὰ τοῦ τείχους. Εἰ δὲ
καθ' ἱεροῦ πέσῃ κεραυνὸς, τοῖς ἐνδόξοις τοῦ πολιτεύματος καὶ
τοῖς περὶ τὴν βασιλείαν αὐτὴν ὁ κίνδυνος ἐνσκήψει. Εἰ δὲ κατ'
ἀγαλμάτων κατενεχθῇ, ποικίλας καὶ ἐπαλλήλους τὰς συμφορὰς
τοῖς πράγμασιν ἀπειλεῖ. Εἰ γὰρ χαρακτῆρες εἰδεῶν τινῶν καὶ B
κόσμια πόλεων τὰ ἀγάλματα ὑπωπτεύθη τοῖς παλαιοῖς, ἀρὰ
τοῖς πράγμασιν ἡ περὶ αὐτὰ ὕβρις.

μή. Ἥλιος Ταύρῳ. Ἐὰν κεραυνὸς κατενεχθείη[1] ἐπὶ καρπο-
φόρον δένδρον, εὐκαρπίαν τοῖς κατ' αὐτὸ καρποῖς σημαίνει· τῷ
δὲ γένει τῶν βοῶν ἐπιβλαβὲς τὸ σημεῖον τοῦτο. Εἰ δὲ ἐπὶ ποτα-
μὸν κατενεχθείη ὁ κεραυνὸς, λοιμώξει τὸ ὕδωρ, καὶ τρόμος ἐπι-
γενήσεται τοῖς σώμασι τῶν ἀνθρώπων, ἀνατροπὴ δὲ τῶν ποτα- C
μίων ἰχθύων γενήσεται. Εἰ δὲ εἰς θάλασσαν κατὰ τόδε καιροῦ
κατενεχθείη ὁ κεραυνὸς, ἀγαθὰ σημαίνει τοῖς πλησιοχώροις· οἱ
γὰρ πειρατεύοντες χείρω πράξουσιν[2]. Εἰ δὲ ἐπὶ τείχους κατε-
νεχθείη, οὐ καλὸν τοῖς βοσκήμασιν· ἢ γὰρ διαφθαρήσονται, ἢ
ὑπὸ πολεμίων διαρπαγήσονται. Εἰ δὲ καὶ μέρος τοῦ τείχους
τῇ βολῇ[3] τοῦ κεραυνοῦ καταφθαρείη, ταῖς νομαῖς τῶν χωρίων D
ἔσαι λοιμὸς, καὶ ἔφοδος πολεμίων οὐχ εὐχερὴς εἰς ἄμυναν· καὶ
ἄλλαι δέ τινες βλάβαι κάρτα σφαλεραὶ προσγενήσονται. Εἰ δὲ
κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐπὶ ἱερὸν ὁ κεραυνὸς κατενεχθείη, χω-
ρίων δημοσίας ζημίας ἀπειλεῖ· δεῖ δὲ ὅμως τοὺς ἐφόρους τῶν
τοιούτων ἱερῶν θεραπεύειν, εἰς τὸ ἀποςρέψαι τὰ ἀπειλούμενα.
Εἰ δὲ κατ' ἰδιωτικῆς ἢ βασιλικῆς οἰκίας κατενεχθείη κεραυνὸς,
συμφορὰς ἀναισίους παραδηλοῖ τοῖς κεκτημένοις.

μθ'. Ἥλιος Διδύμοις. Κατὰ τὴν ἐπιτολὴν ταύτην, εἰ
κεραυνὸς ἐπὶ δένδρου καρπίμου κατενεχθείη, βλάψει τοὺς γεωρ-
γικοὺς, καὶ τὰ καρποφόρα δένδρα, οὐχ ἥκιςα δὲ ποταμοὺς καὶ

1. Caseolinus, κατενεχθῇ ἡ.
2. Caseolinus, οὐ χειρωπράξουσιν. [sic].
3. Caseolinus, βουλῇ.

quamque templi auguralis regionem spectante, prodigium factum sit: ex hoc enim tractu hostes contra murum exspectari utique oportet. Locum consecratum si fulmen petit, illustribus reip. iisque qui imperium ipsum tractant, eric ulum injicietur. Si in statuas delabitur, varios continuosque casus rebus minatur. Nam siquidem velut signa specierum ornamentaque civitatum statuas observaverunt veteres, pro diro in rempublicam omine habetur earum dehonestamentum.

48. Sol tauro. Fulmen si defertur in arborem fructiferam, lætum proventum frugum, quas fundit, significat: at sæclo bucero damnosa est hæc significatio. Si in flumen delabitur fulmen, tabo aqua corrumpetur, tremor corpora hominum invadet, piscium fluviatilium erit subversio. Si sub id tempus in mare se præcipitat fulmen, fausta accolis portendit; nam qui piraticam faciunt, deteriore erunt statu. Si in murum defertur, inauspicatum pecudibus: nam aut interibunt, aut ab hostibus rapientur. Sin vero et pars muri jactu fulminis disturbatur, gregibus agrorum lues impendet hostiumque incursus haud facilis ad repellendum: accedent alia detrimenta admodum noxia. Sub idem tempus si in locum consecratum defertur fulmen, calamitates publicas agris minitatur: sed oportet qui ejusmodi fanis præsint ut procurent, quo prodigia averruncentur. Si in privatum aut augustum ædificium ruit fulmen, calamitates inauspicatas obnunciat.

49. Sol geminis. Circa hunc exortum, si fulmen in arborem fructiferam delabitur, damnosum erit agricolis, arboribus fructuosis, nec minime fluviis fontibusque: aqua

πηγάς· λοιμώξει δὲ τὸ ὕδωρ, ὡς πᾶσαν καταφθεῖραι ἡλικίαν. A
Εἰ δὲ ἐπὶ θαλάσσης, πολεμίων ἔφοδον ἀπειλεῖ· τὸ δὲ πολὺ μέρος
ἢ νόσῳ φθαρήσεται, ἢ πολεμίοις παραδοθήσεται, ὡς σφόδρα
μετρίους ἀπολειφθῆναι. Εἰ δὲ νότου πνέοντος κατὰ δημοσίου
χωρίου κατενεχθείη κεραυνὸς, παντελῆ φθορὰν ἀνθρώποις ἀπει-
λεῖ· δύο δέ τινες κατὰ τῆς βασιλείας ἐπαναστήσονται, ὡς μερι-
σθῆναι τὴν βουλὴν καθ' ἑαυτήν· μικρὸν δὲ ὕϛερον ἑκάτερος
αὐτῶν ἀποφθαρήσεται· πολλοὶ δὲ χάριν ἐκείνων κινδυνεύσουσιν. B
Εἰ δὲ ἐπὶ τείχους κατὰ τόδε καιροῦ σκηπτὸς ἐκπέσῃ, τὰ αὐτὰ
σημαίνει· πόλεμοι γὰρ ἔσονται· ἀλλ' οὐκ εὐτυχεῖς τοῖς πολε-
μίοις. Ἐπισημήνασθαι δὲ χρεὼν ἐκ ποίου κλίματος τοῦ ἀέρος
ἐκπίπτοι ἡ φλόξ· ἐπ' ἐκείνου γὰρ φυλακῆς καὶ ἀσφαλείας δέον·
καὶ γὰρ ἐξ αὐτοῦ πολεμίων ἔφοδος ἔϛαι. ἭΛΙΟΣ ΚΑΡΚΙΝΩ. Εἰ[1]
κατὰ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ καρκίνου κεραυνὸς ἐπὶ ὕλην κατενεχθείη,
μετριώτερον ἔϛαι τὸ καυσῶδες τοῦ καιροῦ, λειψυδρία δὲ ἔϛαι. C
Εἰ δὲ ἐπὶ θαλάσσης κατενεχθείη, ϛόλοις πολεμίων καὶ ναυμα-
χίαις ταραχθήσεται τὸ κλίμα, ἀλλ' οὐκ ἐπιμενεῖ χρόνῳ· ἔϛαι δὲ
κρείττονα τὰ πράγματα, καὶ οἱ πολέμιοι ἡττηθήσονται, καὶ ὁ
ϛόλος αὐτῶν καταβυθισθήσεται. Εἰ δὲ κατὰ δημοσίους τόπους
κατενεχθείη τὸ πῦρ, θηρία ἑρπετὰ τοῖς κτήνεσιν ἐνοχλήσουσι,
καὶ οὐχ ἥκιϛα ἀνθρώποις· βιαιοτέρα δὲ ἔϛαι ἡ ἐξ αὐτῶν[2] βλάβη,
τῷ τοῦ ἀέρος βαρεῖ καταϛήματι θερμαινομένη. Εἰ δὲ ἐπὶ τεί- D
χους κατενεχθείη, ἐμπρησμοὺς σημαίνει· καὶ πόλεμος δὲ κινη-
θήσεται οὐκ εὐτυχὴς τοῖς πράγμασιν. Εἰ δὲ παντελῶς κατα-
φθαρείη τῷ σκηπτῷ τὸ τεῖχος, ἐμπρησμοὺς κατὰ τῶν ἀναγκαίων
τῆς πόλεως μερῶν προσδοκητέον· καὶ ἐμπρησμοὶ δόλοις καὶ[3]
ἐπιβουλαῖς γενήσονται. Ἕψεται δὲ καὶ πόλεμος οὐ μικρὸς, καὶ
βλάβη γενήσεται τοῖς τόποις.

ν'. ἭΛΙΟΣ ΛΈΟΝΤΙ. Κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν εἰ κατενεχθείη E
κεραυνὸς καθ' οἱουδήποτε τόπου ἢ μέρους, ἢ ποταμοῦ, ἢ θα-
λάσσης, ὄλεθρον τοῖς βασιλεῦσι καὶ τοῖς ἐν δυναϛείαις σημαί-
νει· καὶ οὐκ ἔϛαι[4] τις διαφορὰ περὶ τούτου. Εἰκότως τε κοιναὶ

1. Caseolinus, Ἡ.
2. Caseolinus, αὐτῷ, pessime.
3. Reg. δόλοις δὲ οὗτοι καί.
4. Caseolinus, ἔστιν.

tabo inficietur, ut omnem pubem vitiatura sit. Sin in mare, adventum hostium minatur: accolarum major pars aut morbo interibit, aut hostibus tradetur, ut admodum pauci superstites futuri sint. Si austro spirante in locum publicum defertur fulmen, exitium summum hominibus minatur: duo in imperium surgent bipartitis amplissimi ordinis studiis: paulo post ambo interibunt: eorum causa multi in periculum venient. Sub id tempus si fulmen impetu in murum adigitur, eadem portendit: nam bella erunt, at hostibus minime secunda. Notandum quoque, ex qua regione aeris elisa sit flamma: quippe custodia opus est et cautione ex parte illa: quod inde impetus hostilis effervescet. Sol cancro. Si circa cancri exortum in silvam defertur fulmen, tolerabilior erit calor tempestatis, sed tamen aquæ penuria. Sin in mare delabitur, classibus hostium prœliisque navalibus turbabitur plaga illa, sed absque diuturnitate: nam incipiet res melius ire, hostes fundentur; classis eorum demergetur. Sin in locum publicum defertur flamma, animalia serpentia jumenta, nec minime homines, vexabunt: eritque noxa ab illis illata immanior, utpote incensa gravi aeris statu. Si in murum ruit, incendia significat: bellumque commovebitur haud prosperum reipubl. Si fulminis impetu prorsus destruitur murus, incendia in capitalibus urbis partibus exspectanda: quæ incendia dolis insidiisque excitabuntur. Subsequetur bellum haud exiguum, et detrimentum regionibus infertur.

50. Sol leone. Sub id tempus si fulmen in quemlibet locum partemve sive fluminis sive maris ruit, exitium significat regibus iisque qui potestatem habent: nec poterit id in controversiam vocari. Nec mirum si universe

συμφοραὶ τοῖς δημοσίοις βλαστηθήσονται· συγκινδυνεύσειν γὰρ A
εἰκὸς αὐτοὺς τοῖς βασιλεῦσι. Καὶ οὐκ ἔσται ὁ νικῶν ἐν τοῖς μαχο-
μένοις, ἀλλὰ καθολικὴ φθορὰ αὐτῶν τε τῶν ἐν δυνάμει, καὶ οὐχ
ἥκιστα τῶν ὑπὲρ αὐτῶν ἐνισταμένων ταῖς μάχαις. Καὶ τὸ δὴ πάν-
των σχετλιώτερον[1], καταφθαρήσονται καὶ αἱ περιουσίαι τῶν
πολλῶν, καὶ αἱ πόλεις πυρίφλεκτοι ἔσονται. ἭΛΙΟΣ ΠΑΡΘΈΝΩ.
Ἡλίου δὲ ἐπὶ τὴν παρθένον ἰόντος, εἰ κατενεχθείη κεραυνὸς,
φθορὰν γυναικῶν ἀπειλεῖ σωφρόνων, πτῶσιν δὲ καὶ αὐτῇ τῇ B
βασιλίδι, καὶ τοῖς αὐτῆς[2] τέκνοις. Ἐλάττωσις δὲ ἔσται τῶν δή-
μων· ἀποτεύξεται δὲ καὶ ἡ ἄμπελος· ταῖς δὲ παρθένοις καὶ
γυναιξὶ γενήσονται συμφοραὶ, ὡς καὶ ὑπὸ πολεμίων ἁλῶναι.
ἭΛΙΟΣ ΖΥΓῺ. Ἐὰν δὲ ζυγῷ ὁ ἥλιος γένηται, εἰ συμβῇ κεραυνὸν
καταβληθῆναι, πᾶσα ἀδικία, καὶ ἀπληστία, καὶ φιλαργία κατα-
κρατήσει τῶν πραγμάτων, ὡς καὶ περὶ τὰ θεῖα αὐτὰ τὰ τῆς
ὕβρεως ἀνενεχθῆναι. Ἀποῤῥιφήσονται δὲ ἀπὸ τῶν βασιλέων οἱ C
χρηστοὶ τοῦ πολιτεύματος. Τὰ δὲ μέτρῳ ἢ σταθμῷ ἀποδιδό-
μενα οὐχ ἕξει τὸ δίκαιον. Πάντων δὲ βαρυτέρα ἔσται ἡ περὶ τὰ
δημόσια τελέσματα σπουδὴ, οἵ τε νόμοι καταφρονηθήσονται,
καὶ οἱ δῆμοι ἐξ ἀλογίας ταραχθήσονται, καὶ ἐκ παντὸς τρόπου
καὶ ἡ τοῦ Θεοῦ δειχθήσεται ὀργή.

νά. ἭΛΙΟΣ ΣΚΟΡΠΊΩ. Ὅταν δὲ σκορπίῳ γένηται, εἰ κατὰ δέν-
δρου κατενεχθείη κεραυνὸς, πλοῦτον μὲν τοῖς κυρίοις τοῦ δέν- D
δρου ἐπαγγέλλεται, τὸ δὲ γεωργικὸν ἐλαττωθήσεται. Ἐπικίν-
δυνος δὲ καὶ ὁ πλοῦς[3] ἔσται, καὶ συχνοὶ ἐπὶ τῆς θαλάσσης ἐκπε-
σοῦνται κεραυνοὶ, ναυάγιά τε πολλὰ συμβήσεται. Εἰ δὲ κατὰ
δημοσίου τόπου ἐνσκήψει κεραυνὸς, νεανίας ἀναιδὴς τῆς βασι-
λείας ἐπιλάβηται, ἀσώτων καὶ διεφθορότων συντρεχόντων αὐτῷ.
Εἰ δὲ κατὰ τειχῶν κατενεχθείη κεραυνὸς, πολέμους ἐκ τῶν πλη-
σιοχώρων καὶ φθορὰν τῇ νεολαίᾳ δεδιέναι χρή. Οἱ δὲ πολέμιοι E
μυρίοις εἰσπεσοῦνται κακοῖς, ὡς εὐκταῖον[4] αὐτοῖς νομισθῆναι
τὸν θάνατον. ἭΛΙΟΣ ΤΟΞΌΤΗ. Ὅταν δὲ ἥλιος ἐπὶ τοξότην γένη-
ται, ει κατενεχθείη κεραυνὸς ἐπὶ ὕλην, ἐμπρησμοὺς ταῖς ναυσὶν

1. Caseolinus, σχεταιότερον.
2. Caseolinus, αὐτοῖς.
3. Caseolinus, ἀπλοῦς.
4. Caseolinus, εὐκταῖον.

calamitates publicis hominibus subnascentur: nam, ut fit, discrimen una cum imperantibus subibunt. Nec tamen victor erit inter dimicantes, sed fiet interitus universus cum ipsarum potestatum, ac non minime eorum qui pro illis depugnaverint. Et id quod omnium miserrimum, plebis census diruentur, civitatesque concident incendio conflagratæ. Sol virgine. Sol ubi ad virginem accessit, si defertur fulmen, minatur exitium pudicarum mulierum, casumque ipsi Augustæ ejusque liberis. Eritque deminutio tribuum : vitis spem fallet : calamitates affligent virgines ac matronas, adeo ut vel in potestatem hostium venturæ sint. Sol libra. Sole libram ingresso, si accidit ut fulmen delabatur, iniquitas, avaritia, ambitus cujusquemodi invadent remp., adeo ut ad ipsas religiones injuria perventura sit. Cives boni a principibus removebuntur rep. Quæ mensura et pondere divenduntur, justum non habebunt. Omnium autem gravissimum erit vectigalium publicorum acerba exactio : contemnentur leges, tribus pop. rom. dementia turbabuntur : omni modo numinis ira manifestabitur.

51. Sol scorpione. Sole scorpionem ingresso, si in arborem defertur fulmen, opulentiam pollicetur dominis arboris, sed agricultura imminuetur. Periculosa erit navigatio, crebris mare fulminibus impetetur, naufragia multa fient. Quod si locum publicum ruens tetigerit fulmen, adolescens protervus principatum invadet, concurrentibus ad eum perditis et contaminatis. Si in muros defertur fulmen, bellum e vicinis et clades pubi metuenda. Verum hostes in mala infinita incident, ut jam mors illis exoptanda videatur. Sol sagittario. Sole sagittarium ingresso, si fulmine silva tangitur, navibus incendium minitatur. Fulmen si in flumen defertur, bella pugnasque

ἀπειλεῖ. Εἰ δὲ ἐπὶ ποταμοῦ κατενεχθείη, πολέμους καὶ ναυμα- A
χίας σημαίνει· ὡς ἐρήμους πολλοὺς ἐκ τῆς τοιαύτης ἐφόδου
γενέσθαι. Κίνησιν δὲ οὐχ ἥκιστα ἀπειλεῖ Περσῶν, καὶ ἔνδειαν
ταῖς πολιορκουμέναις ὑπὸ πολεμίων πόλεσιν. Εἰ δὲ πρὸς ταῖς
ἡλίου δυσμαῖς σκηπτὸς κατενεχθείη, ἐμφυλίους σημαίνει μάχας·
ἀλλ' οὐκ εἰς χρόνον ἐκταθήσεται τὰ τῆς διχονοίας, κρείττονα
δὲ ἔσται τὰ πράγματα, αὐτῶν τῶν αἰτίων τῆς στάσεως ἀπολ-
λυμένων· ὥστε τὸ πολίτευμα εἰρήνης ἀπολαῦσαι. B

νϐ'. Ἥλιος αἰγόκερῳ. Κατὰ τόδε καιροῦ κεραυνὸς καταφερό-
μενος ἐφ' ὃν ἂν κατενεχθείη τόπον, γενικὴν ἱλαρίαν σημαίνει,
εἰρήνην τε ταῖς πόλεσι, καὶ εὐκαρπίαν τοῖς ἀγροῖς, ἔπαινόν τε
τοῖς βασιλεῦσι τῆς πολιτείας. Ἥλιος ὑδροχόῳ. Κατὰ δὲ τὸν
καιρὸν τοῦτον εἰ κεραυνὸς κατενεχθείη, ἐκδρομὰς τῶν ποταμῶν
ἀπειλεῖ, καὶ ἀφανισμοὺς τῶν χωρίων. Τὸ δὲ θέρος καυσῶδες
ἔσται, καὶ ἐλάττωσις οἴνου καὶ ἐλαίου· ὡς πολλοὺς ἐκ τῆς ἐνδείας C
μετανάστας γενέσθαι. Ἥλιος ἰχθύσιν. Ὅταν δὲ ἰχθύσιν ἥλιος
γένηται, εἰ κεραυνὸς κατενεχθείη, ζάλην τῇ θαλάσσῃ ἀπειλεῖ,
ναυαγία δὲ ἔσται βαρεῖα, καὶ ἀνατροπὴ μὲν τῶν ἰχθύων[1], ὀχλη-
θήσεται δὲ οὐδὲν ἧττον ἡ θάλασσα ἀπὸ[2] πειρατῶν. Νέος δέ τις
εὐγενὴς στρατευσάμενος ἀπολέσει τὸ πειρατικὸν, καὶ ἔνδοξος ἐπὶ
τὴν νίκην[3] γενήσεται. Καὶ εἴρεται μὲν πρότερον, ὡς οὔτε ἐν
Σκυθίᾳ οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ κεραυνοὶ καταφέρονται· εἰ δὲ τυχὸν D
κατενεχθείη κατὰ τόδε καιροῦ ἐπὶ τὰ εἰρημένα κλίματα κεραυ-
νοὶ, ἀγαθὰ τοῖς ἐκεῖ σημαίνει.

1. Vide supra, 248. B.
2. Sic ambo : malim ὑπό.
3. Sic ambo : fort. ἐπὶ τῇ νίκῃ.

navales significat, ut ex hac incursione multi orbi futuri sint. Nec minime motum Parthicum minatur, penuriamque civitatibus ab hostibus obsessis. Quod si solis occasum versus vis fulminis defertur, pugnas civiles significat: nec tamen in tempus dissensio producetur, incipietque res melius ire, ipsis turbarum auctoribus oppressis : ut pace fruitura resp. sit.

52. SOL CAPRICORNO. Id temporis fulmen si in quemlibet locum accidit, lætitiam universam significat, pacem civitatibus, fertilitatem agris, laudem principibus reip. SOL AQUARIO. Sub id tempus si fulmen defertur, eluviones fluminum minatur, et pagorum interitum. Æstas torrida erit, diminueturque vinum et oleum: adeo ut multi propter inopiam extorres profugituri sint. SOL PISCIBUS. Sole pisces ingresso, si fulmen dejicitur, tempestatem mari minitatur, eruntque naufragia dira et piscium subversio, nec minus mare a prædonibus infestabitur. Nobilis tamen adolescens bello illato tollet hæc latrocinia, et victoria illustrabitur. Demonstratum est superius, neque in Scythia neque in Ægypto deferri fulmina : tamen id temporis si forte delabuntur in hos tractus, fausta habitatoribus significant.

JOANNIS KAPPII

DE

VALERIO MAXIMO

ET ILLIUS INTERPRETIBUS

PRÆFATIO.

ANTE multos annos quum Valerium Maximum, cujus non paucas particulas a prima statim adolescentia edidiceram, historiæ causa iterum in manus sumpsissem, et ejus novam editionem, quum studiosæ juventutis, tum aliorum usibus accommodatam, parare apud animum constituissem, nihil mihi potius fuit, quam ut cum ejus stilo familiaritatem aliquam contraherem, quo in locis dubiis sanandis et explicandis minus a veritate aberrarem. Totum igitur Valerii textum, posthabitis omnibus virorum doctorum animadversionibus, uno tenore sæpius perlegi, et quæ mihi inter legendum vel explicatione vel emendatione videbantur indigere, studiose adnotavi, in schedasque conjeci. Natæ sunt exinde plusculæ cujusvis generis observationes, quas uti temporis ratio ferebat, paulatim auxi, emendavi, melius digessi, aut rectiora edoctus, prorsus delevi. Post, ubi pleraque satis excussa mihi videbantur, ipsos Commentarios cœpi consulere, in primis Pighii, Coleri, Vorstii, Perizonii, Torreniique (hi enim in Valerii interpretibus facile principatum tenent); Glareano, Cor-

rado, Lipsio, Barthio, Ruperto, Guyeto, Gudio, Schultingio, aliisque multis, qui ὡς ἐν παρόδῳ Valerii unum alterumve locum explicaverant, non neglectis. Ex his quæ ad Valerium illustrandum facere videbantur, diligenter excerpsi; et, omissis iis, quæ ad ostentandam tantummodo eruditionem dicta essent, aut auctoris lectionem nihil juvarent, modicum quoddam corpusculum feci, ut lectores in brevi quasi tabella haberent, quæ unquam a viris doctis ad Valerium explanandum essent allata. Quæ dum molirer, ecce præter omnem opinionem liberalitate prænobilissimi atque consultissimi Heerwagenii, seren. princip. a consiliis justitiæ et syndici civitatis Baruthinæ, in manus meas venit editio pervetusta, sine indicio loci, anni et typographi, forma majori impressa, 159 folia continens, Fabricio non cognita et a nemine interpretum consulta, excepto Lipsio, qui vero in paucis tantummodo locis inspexit, eamque *Veterem librum* appellavit. Consentit illa plurimum cum MS. Ultrajectino primo, habet tamen quoque lectiones peculiares. Formata est sine omni dubio ex cod. MS. et quidem pervetusto, vid. ad VIII, 13, ext. 7, omnique jure ad antiquissimas Valerii editiones referri debet; certe Mediolanensi, si non Moguntina, est antiquior. Codex, ex quo illa fluxit, aut ipse mutilus fuit, aut ex alio, eoque vetustiori descriptus, ex quo unum alterumve folium, quod viginti quatuor exempla lib. I, cap. 1, ext. 5, usque ad lib. I, cap. 4, ext. 1, continebat, exsectum esse videtur. Nam folio primo, ubi capita libri primi recensentur, tertium *de ominibus* inscriptum est. Hoc autem in textu ipso prætermittitur, et capiti secundo *de neglecta religione* statim subjungitur caput quartum *de prodigiis*. Scriba cod. MS. ex ore dictantis pendebat; insunt enim multæ lectiones, quæ non nisi ex pronuntiatione proficisci potuerunt, uti passim adnotavi e. g. ad II, 1, 4; ex quibus patriam hominis non obscure

colligas. Quæ in MS. abbreviate scripta erant, sæpe retinuit, e. g. *Ti* pro *Tineii; par* pro *parva; un* pro *unde*, etc. Cæterum multa habet vitia typographica, sicut omnes editiones, quæ circa 1470 prodierunt, et in orthographia cum aliis ejusdem ætatis conspirat. Hanc igitur editionem, quæ MS. codicis vicem supplere possit, cum textu Torreniano operæ pretium duxi religiose conferre, et potiores lectiones editioni meæ inserere. Habui hujus molesti sane laboris socium Joannem Christianum Kappium, fratris mei filium, gymnasii nostri civem impigrum, qui tanto in auctores classicos quum græcos tum latinos fertur studio, ut *omnium* editionum catalogum contexere in manibus habeat, qualem quondam Hambergerus V. C. moliebatur, uti ex ejus præfatione ad tom. I *der zuverlässigen Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern* videre est. Sed tempus est, quid consilii in edendo Valerio sequutus sim, copiosius exponere, quo facilius lector eruditus de pretio editionis meæ possit judicare.

Animus ergo erat, talem parare editionem, quæ et omnibus subsidiis ad intelligendum Valerium instructa esset, et omnia ab interpretibus dicta contineret, quo lector inoffenso pede pergere posset, neque opus haberet, evolvendis multis libris tempus perdere, sive criticam, sive historiam, sive chronologiam, sive geographiam, sive antiquitatem, sive denique ipsam latinitatem spectaret. Diversus enim est lectorum scopus, diversa cognitio, diversum studium. Alii brevitatem amant, alii copiam, alii in facilioribus hærent, aliis fere nihil negotii occurrit; aliis nil nisi critice placet, alii crisin ne tantillum quidem æstumant. Hos omnes ante oculos habui, his studui satisfacere, ita tamen, ut, quoad fieri potuit, prima lex operis mei esset brevitas.

In textu igitur formando sequutus sum jure meritoque Torrenium, nisi ubi codd. MSS. aut critices regulæ aliam

lectionem suaderent, tunc enim non dubitavi, a Torrenio recedere, quod vero raro factum est, uti ex adnotationibus meis et comparatione cum textu Torreniano apparebit. Quoniam vero vidi, Pighii, Coleri et Vorstii recensiones in plurimorum manibus esse; haud inutile fore arbitrabar, si potiorem varietatem lectionis harum editionum adjicerem, et sic quodam modo historiam textus editi conficerem. In quo si multis justo liberalior et verbosior fuisse videar, cogitent velim, me partim abreptum esse seculi nostri consuetudine, partim studio criseos, quod nos sæpe invitos longius trahit. Etsi autem opportuna se mihi obtulisset occasio, et larga materia disputandi de genesi variantium lectionum, et sic famæ meæ meoque marsupio consulendi, nolui tamen lectores fatigare aut iis nauseam creare, quum mihi, in colligendis variis lectionibus occupato, sæpius Plinius in aures insusurraret, quod II, 14 scribit: *eæ me exercent magis, quam delectant. Sunt enim pleræque parvæ et exiles, raro incidit.... insignis.* Quare, licet vix quarta pars variantium lectionum ex Torrenii spisso volumine relicta sit, contentus tamen ero, si lectores ex mea farragine vel dimidiam partem notatu dignam judicent. Interim hoc loco silentio præterire non possum, mihi multa adhuc Valerii loca medicam manum efflagitare videri, multaque desiderari subsidia ad veram illius lectionem constituendam. Primum quidem nobis deest exacta et critica descriptio MSS. et editionum veterum; nam quam nobis dedere interpretes Valerii, admodum est manca et insufficiens. Deinde nondum habemus accuratam codd. MSS. cum textu vulgato collationem, siquidem plurimi, præsertim Gudiani, aut in paucis tantummodo locis inspecti sunt, aut vage admodum citantur. Quis vero de bonitate lectionis certum judicium ferre ausit, si nesciat quo teste, habili an inhabili, ea nitatur? Denique sane quam optandum esset, ut ante librum quem-

libet elenchus codd. MSS. et edd. principum præfigeretur, sicuti critici in Novo Testamento fecere, e. g. Bengelius in *Apparatu critico*. Nam non omnes MSS. integri sunt, e. g. Perizonianus, qui tantum *sex* libros priores continet. Sic etiam facilius cognosceretur, qua fide critici ad MSS. provocant. Nam haud raro in suspicionem veniunt, se finxisse lectiones, quarum nec vola nec vestigium in MSS. exstat, v. c. Pighius in nonnullis locis, quum Valerium suum, quem non passus est errare, a crimine ἀνιστορησίας defendere vellet, fortasse excogitavit ipse lectiones, præsertim ubi vel codices non nominavit, vel in singularibus codd. Campensis et Cauchiani. Sed satis de notis criticis: nam de cæteris editionibus, quas consului, nihil attinet dicere.

Alterum genus observationum est in interpretatione et sensu Valerii assequendo. In quo multum difficultatis sæpe animadverti, quum ob textum corruptum, tum ob argutam Valerii dictionem. Nam cuilibet fere historiæ adsuuntur acutæ et frigidæ sæpe sententiæ (ubi eæ omittuntur, lector monetur II, 9, 9), quarum singulæ plus negotii facessunt interpreti, quam vel decem aut viginti narrationes. Spero tamen, neminem facile, qui vel leviter tinctus latinis literis sit, aliquid desideraturum esse, quod ad intelligendum Valerium pertinet; et vereor potius, ne nimis copiosus quibusdam in interpretando videar. Certe, nisi vel priores commentarios habuissem duces, vel vulgarium interpretum erroribus obicem ponere voluissem, multas notas libenter omisissem. Ne tamen in quemquam injurius essem, eorum nomina, quos refutavi, sæpe multumque suppressi. Nihil enim facilius est, quam a vero aberrare, præsertim quum animus rerum multitudine offenditur. Grata autem mente agnosco, virorum doctorum curas, in primis *Pighii*, *Coleri*, *Vorstii*, *Perizonii* et *Torrenii* plurimum mihi profuisse. De quibus quoniam

ad hunc locum ventum est, pauca dicere libet. *Pighio* sine dubio Valerius plurimum debet, isque merito sospitator Valerii appellari potest, sicut Lipsius Taciti, aut Heinsius poetarum. Plurimis subsidiis instructus ad illustrandum Valerium accesserat, et, nisi nimis audax fuisset in mutando textu, omne fere punctum tulisset. At nunc secat, urit, mutat, adjicit pro lubitu, ut totidem fere loca sana corruperit, quot fortasse corrupta sanaverat. *Colerus* in optimis interpretibus numerandus, verum sæpe a scopo digreditur et præcipue moralia immiscet, nimiusque est amator phrasium obsoletarum. *Vorstius* priorum interpretum observationibus bene utitur, in varietate lectionum codd. Brandenb. admodum diligens, et nisi latinitas, cujus erat studiosissimus, eum abripit, nunquam fere a via deflectit. Tractat tamen nonnunquam vulgaria. *Perizonii* notæ ostendunt virum multæ lectionis, historiæ ac familiarum romanarum peritissimum, et ad Valerium edendum omnium maxime idoneum; ut omnino dolendum sit, eum vel morte præventum, vel aliis laboribus distentum, Valerium non edidisse. *Torrenius* est in colligendis variantibus lectionibus diligentissimus, et in seligendis aliorum notis magnum prodit judicium, ita ut ejus editio omnibus aliis palmam præripiat. Major tamen ejus laus videtur in critica esse, quam in interpretatione. — Horum igitur doctissimorum virorum interpretationes sæpius totidem verbis repetii, vel suppresso vel laudato eorum nomine. In quo non vereor, ut æqui et justi censores me vituperent, quum non *a quo* sed *quid* dictum sit, præcipue sit spectandum. Idque fuit in causa, cur neque hic neque alibi ad alios scriptores, qui idem observassent in veteribus auctoribus, provocarem. Infiniti siquidem esset laboris, at fortasse modicæ utilitatis, omnes istos scriptores excitare, qui idem argumentum inde ab instauratione literarum tractarunt. Quotus enim quis-

que est, cui egregia criticorum præstantissimorum opera evolvere datum sit? Quod vero ad veteres scriptores in margine allegatos pertinet, eos non modo accuratius citavi, sed etiam multis in locis eorum catalogum insigniter auxi, ut qui scire cupiat, quinam alii scriptores veteres eamdem rem persequuti sint, sitim suam possit explere. Ad quem finem consequendum quum *Longolii*, quondam mei, nunc μακαρίτου, bibliotheca uti non amplius possem, curtæ supellectili meæ succurrerunt, et multos libros mecum communicaverunt viri, perillustris atque excellentissimus Jo. Gottlob Mayer, sereniss. principis nostri a consiliis regiminis provincialis intimis, et consistorii præses splendidissimus, Mæcenas æternum colendus; illustris atque amplissimus M. Laurentius Joannes Jacobus Langius, seren. principis a consiliis consistorii, et professor gymnasii Baruthini meritissimus, collega mihi conjunctissimus; et magnificus atque illustris Christophorus Theophilus Harles, seren. principis a consiliis aulicis, professor eloq. et poeseos in academia Friderico-Alexandrina celeberrimus, quum maxime Academiæ prorector, fautor et amicus longe æstumatissimus; quibus pro tanta liberalitate maximas ago habeoque gratias.

Chronologiam, a Pighio additam, multis in locis non tantum comparando editiones, verum quoque consulendo Fastos emendavi.

Historicas vero, geographicas, et alias cujuscumque generis observationes, in indices conjeci, a me ipso confectos, ut si non notis meis, tamen indicibus gratiam lectorum inirem. An consequutus sim, quæ volui, judicium sit penes eruditum lectorem, cujus æquitati et humanitati me meumque de Valerio bene merendi studium commendo, libere professus mihi nihil gratius fore, quam si, ubi erravero, quod fortasse sæpiuscule factum est, meliora edocear.

Kummerus vero meus, vir honestissimus, et de literis bene merendi studiosissimus, certe emptoris applausum feret, quum et mundæ chartæ et nitidorum typorum et textus emendati rationem habuit, atque modicum libri pretium statuit; secus ac multi faciunt bibliopolæ, quorum libri vel immani pretio venales prostant, vel charta adeo putida descripti sunt, ut a tractatione illorum puerum, pelvim et aquam manuum lotioni poscas, vel typis excusi sunt adeo obtusis et detritis, ac si per seculum in trivio jacuissent, aut Hunnorum vel Mogolorum exercitus superequitasset.

Finem hujus præfationis nunc facere possem, nisi adhuc monendum esset, multos viros doctos, eosque non infimi subsellii, in ea esse opinione, ac si Valerius, qualem nunc habemus, epitome tantummodo esset operis majoris, temporis injuria deperditi. Quod mihi nunquam persuadebunt: namque epitomatores veterum scriptorum ad unum omnes, humili, simplici et aperto usi sunt stilo, non acuto, fucato et declamatorio, sicuti v. c. ex Trogi, aut Livii aliorumque epitomis constat, ut omittam breviariorum scriptores, Sextum Rufum, Eutropium, Ampelium, Aurelium Victorem, Obsequentem, alios. Deinde auctor multis in locis adeo Tiberio adulatur, ut plane nulla ratio idonea excogitari possit, cur ita impudenter Tiberium laudaret, aut auctor epitomes omnia illa loca intacta relinqueret, nisi superstite adhuc Tiberio II, 9, 6, post Sejani detectam conjurationem IX, 11, ext. 4, vixerit. Moris enim erat Tiberii temporibus, adulari principi; quod vel ex Velleii Paterculi lectione apparet, quem tamen nemo criticorum abbreviatum dicere ausit. Et si vel *Julius Paris* vel *Januarius Nepotianus* auctor est operis Valeriani hodierni, cur non expunxit ea loca, ubi Valerius se excusat de longioribus exemplis, operi suo contra scopum suum insertis? I, 7, ext. 10; II, 7, 5; IV, 1, 12, etc. Cur auctor

epitomes non omisit istas sententias, istum fucum, istos excessus, qui in legendo moram injiciunt, et lectoribus fastidio sunt? (Vid. Fabricii Bibl. lat. tom. II, p. 51, ed. Ernesti.) Nonne exinde clarum fit, totum et integrum Valerium adhuc superesse, quia sententiæ istæ, ista acumina, ista redundantia supersunt, de quibus ipse Januarius loc. cit. queritur? Mirum certe, si Januarius, qui Valerium clariorem reddere volebat, nobis eum obscurasset, obfuscasset et Cimmeriis tenebris involvisset! Mirum, si, qui ne in illa quidem parvula epistola se a sordibus inquinatioris latinitatis tueri potuit, in tota epitome Valeriana cavisset, ne ejus sequior ætas proderetur! Nam quod in Valerio *parvitas* exstat, æque minus arguit ætatem, Tiberio posteriorem, quam Velleianum *mediocritas*. *Extunc* vero I, 5, *in fine* a librariis profectum est, non a Valerio, qui diserte *et tunc* atque *et deinceps* inter se opponit. Quod denique de mortuo cane I, 5, 3 dixit *decesserat catellus*, id in homine, qui affectate omnia enuntiat, et argutias captat, non est mirandum. Nam quum insanum amorem puellæ erga bestiam describere vellet, consulto adhibuit phrasin insolitam, ut lectorem moneret partim de consuetudine parvulorum, qui aves, feles, et canes in sinu gestant, mortuos deflent, ac sepeliunt, etc. partim de stultitia multorum hominum adultiorum, qui sæpe tanto amore prosequuntur bruta, ut ea oppido cariora habeant hominibus. Si ejusmodi ineptæ locutiones argumento essent, libros esse fœtus sequioris ætatis, certe Florus multique alii veteres scriptores illo tempore non vixissent, quo vixisse creduntur. In dijudicanda scriptorum ætate ratio habenda est universi dicendi generis, quo quisque usus est, nec solummodo ad singula verba vel insolitas phrases respiciendum est, quæ sæpius certa de causa ab iis adhibentur. Age, si in Plauto nonnulla inepte dicuntur a servis, quis, quæso, Plautum propter ea ad sequiora detrudit tem-

pora? si satyrici, si poetæ alii novas cudunt dicendi formulas, ut risum excitent, ut inimicum pungant, etc. quis eorum scripta a monachis medio ævo confecta dicere sustineat? Quod si in scriptore quodam vocabula occurrunt, diu post illa tempora, quibus vixisse dicitur, demum excogitata aut inventa; vel textus corruptus est, vel glossa fœdatus, vel totus liber ab impostore suppositus. Quis autem, quæso, statim vociferari ausit, ultimam rationem valere, et librum esse supposititium? — Viris ergo cæteroquin doctissimis, qui tantum epitomen Valerii adhuc superesse et circumferri statuunt, neutiquam queo subscribere. Multo minus se mihi probat opinio S. R. Bockii in *Grundriss einer Vertheidigung der christlichen Religion wider die Feinde und Spötter*, cui verosimile videtur, in opere Valeriano mentionem injectam fuisse Jesu-Christi ejusque rerum gestarum, sed totam illam particulam interiisse. Vereor enim, ut multos inveniat sectatores. At, inquis, *Januarius Nepotianus* Valerium in compendium redegit, uti ex ejus epistola constat (vid. Fabricium loc. cit.). Libenter concedo. Composuit etiam epitomen Valerii *Jo. Honorius*, Bohemus, circa finem seculi XV. An ideo Valerius noster *Honorio* adscribendus est? — Habemus ergo etiam nunc Valerii libros novem integros, sicuti olim habuit Plinius major, habuerunt Gellius et Plutarchus, sicuti ab ipso Valerio in vulgus editi sunt. Cæterum ipse auctor opus suum in libros et in capita divisit, quod ex multis locis apparet, e. g. VIII, 18, *ab init.* Tituli vero exemplorum, qui in editionibus Pighio prioribus adduntur, et Glareano sæpe multum negotii facesserunt, non sunt a Valerio, sed a grammaticis; ideoque eos merito rejecit Pighius, nec in editione vetusta sine anno et loco comparent.

Sed hæc hactenus. Nam plura persequi, et *criticam* descriptionem codicum MSS. atque editionum principum

Valerii adjungere tum atrocissimus et mortiferus morbus, a quo post multos menses singulari dei ope et mirifico auxilio demum liberatus sum, tum festinatio bibliopolæ, qui jam per integrum semestre de mora questus est, prohibet. Quare nihil restat, nisi ut lectorem doctum et æquum rogatum cupiam, ut hanc Valerii editionem æqui bonique consulat, et magnam ex ejus lectione capiat voluptatem. Scripsi Baruthi, d. XXVI Martii MDCCLXXXII.

M. JOANNES KAPPIUS,

concionator aulicus, et professor theologiæ atque historiarum publicus in illustri collegio Christiano-Ernestino, quod Baruthi est.

ABRAHAMUS TORRENIUS

BENEVOLO LECTORI S.

NEMO, credo, est in literis humanioribus, aut historia etiam literaria, vel mediocriter versatus, quin sciat, quantopere omnium eruditorum votis a longo jam tempore fuerit expetitum, ut ea, quæ olim vir cl. Jacobus Perizonius ad illustrandum Valerium Maximum fuerat meditatus, in lucem publicam prodirent. Nihil quippe nisi egregium inde eos sperare jubebat nota, et celebrata omnibus, viri eruditissimi quum historiarum et universæ antiquitatis, tum linguæ inprimis latinæ perfectissima cognitio, judiciique in ponderandis rerum momentis acumen atque accuratio. Non defuerunt itaque complures, qui ipsum, dum viveret, qua publice, qua privatim, sæpissime hortati fuerint, ut aliquando Valerio suo, cujus edendi spem certam fecerat, manum admoveret, fidemque datam liberaret: et eo quidem magis, quod adfectum videbatur habere hoc opus, præloque tantum non paratum. Verum aliæ curæ, et meditationes aliæ virum clar. ab hoc proposito avocarunt. Bene tamen factum, quod omnia, quæ ad emaculandum illustrandumque Valerium, aut ipse conscripserat, aut ab aliis conscripta collegerat, testamento suo in publicam academiæ Lugduno-Batavæ bibliothecam transferri voluerit. Non ut in forulis illius, opinor, veluti strangularentur, sed ut publico inservirent usui, et si quis Valerii edendi consilium aliquando caperet, haberet unde editionem illam pulcherrime posset instruere. Itaque quum, inter familiares cum amicis quibusdam harum literarum amantibus

sermones, de Valerio Maximo mentio esset facta, atque ego unum alterumque locum protulissem, in quibus sine causa a vetustioribus editionibus Pighium discessisse arbitrabar, advertit illico animum vir celeberrimus, et multis nominibus semper mihi venerandus, Petrus Burmannus, hortarique cœpit, ut, quem non sine cura legisse videbar, Valerium notis clariss. Perizonii illustratum cum erudito orbe communicarem. Ego vero excusare labores quotidianos, quibus adeo distringerer, ut tantum mihi otii non superesset, quo illud opus possem emoliri. Verum non destitit etiam deinde vir ille clarissimus (ut est de elegantioribus literis optime merendi cupidissimus, et hinc non solum suis scriptis, mea prædicatione longe majoribus, remp. literariam subinde auget feliciter, verum etiam quæcumque olim ab aliis eruditissimis viris conscripta in bibliothecis latere intelligit, indefesso studio in publicam lucem amat protrahere, aliosque etiam in partem operis vocare) ita quoque non destitit, inquam, vir celeberrimus me monere, et stimulare, ut ad hunc laborem suscipiendum me accingerem, usque adeo donec perpulerit, ut a cl. Wolferdo Senguerdio, tunc bibliothecæ publicæ curam gerente, petierim, ut mihi inspiciendi considerandique singula, quæ legato Perizoniano continerentur, faceret copiam.

In hoc igitur primum deprehendebam schedas aliquot ipsius Perizonii manu satis nitide conscriptas, quibus comprehendebantur notæ ab ipso ad emendandum Valerii textum olim elaboratæ. In quo opere præcipue adjutus fuerat MS. quodam Copesiano satis bonæ notæ, et Adscensii hic illic editione. Quid multa? Notas has quum sedulo animo perpendebam, licet ab ipso adhucdum juvene elucubratæ viderentur, quod nusquam in iis ad alia sua scripta provocaret, neque aliorum codicum MSS. quorum collationes postea habuit, mentionem faceret, dignissimas tamen illas esse censebam, quæ in lucem publicam prodi-

rent. Has itaque omnes, lector benevole, hic tecum communicatas vides. Erat præterea Valerius ex editione Pighii apud Plantinum 1567, quam totam vir cl. cum MS. Copesiano contulerat, multisque locis cum Adscensii editione; item cum commentario Dionysii *a Burgos;* sed notaverat præcipue, ubi ille cum Pighio consentiret, hac nota, sic D. B. Quæ quid vellet, sero demum deprehendi ex epistola ipsius ad ill. Nic. Heinsium, quam publicavit cl. Burmannus in Syl. epist. tom. IV, n. 38, ubi, quid de isto commentario sentiret, aperuit Perizonius. Itaque quum jam aliquantum progressum esset hoc opus, et lectiones modo Pighianæ editionis sic confirmarentur, supervacaneum duxi, in iis, quæ supererant, hoc lectores identidem admonere. Præterea eodem congesserat Perizonius loca quam plurima ad illustrandum Valerium pertinentia, quæ etiam hic exhibenda duxi, quam potuit, fide optima, ita ut nihil inde in rem meam converterim, imo semper, si forte eadem et ipse notaveram, Perizonianis illa posthabuerim et silentio prætermiserim. Erant insuper et illi codici adscriptæ complures conjecturæ, quarum in notis suis nullam fecerat mentionem, quas nequaquam negligendas existimavi, quum acutæ pleræque essent, et bonæ frugis plenæ, multæ etiam additis pluribus locis similibus comprobatæ. Loca aliorum parallela, quæ vocant, margini adjuncta, ab ipso etiam insigniter aucta videbis.

Legaverat quoque Perizonius bibliothecæ publicæ varias lectiones ab illustri viro Marq. Gudio ex viginti amplius MSS. excerptas, aut cum ipso communicatas, quorum catalogum exhibuit vir celeberrimus et de rep. literaria optime promeritus Joh. Alb. Fabricius in Bibl. Lat. vol. II, lib. 2, cap. 5, quem, quoniam illorum MSS. notitiam complectitur, hic inserendum putavi.

B. 1, scriptus in folio, exstat Avarici Biturigum apud Nicolaum Catharinum, advocatum regium: in fine libri

notatur descriptoris nomen et ætas his verbis : « Anno domini nostri Jesu Christi millesimo cccc octavo ego frater Johannes de Barrio ordinis minorum, conventus Mirandæ in Vasconia, oriundus de Galano istum Valerium Maximum Parisiis scripsi. Et inceptum in vigilia Pentecostes, in vigilia S. Laurentii consummavi in honore sanctæ Trinitatis et totius curiæ cælestis. Amen. »

B. 2. Secundus Bituricensis codex litera majori et eleganti, sed corruptissime scriptus; volumen vastum, tamen non magni pretii: manus ipsa valde recens: deerat initio unum folium. Desinebat statim libro nono, neque ibi reperiebatur capitulum de prænomine ex libro decimo. Habuimus hunc librum ex bibliotheca S. Sacelli Bituricensis, sed tantum inspeximus.

C. Remis exstat in bibliotheca canonicorum ecclesiæ cathedralis : volumen in membrana, fol. manu recenti scriptum. Erant in hoc etiam tantum quatuor primi libri cum eodem commentario, et plane conveniebat cum illo altero codice bibliothecæ Remigianæ, ut alterum ex altero descriptum appareret, fortasse eadem manu; nam litera nihil differebat.

D. Hunc habuimus ex bibliotheca S. Dionysii Remensis, quæ est canonicorum regularium. Ejus copiam nobis fecit Joannes Bragælonne, juvenis domo et eruditione conspicuus. Codicem Valerii neque dum facile meliorem vidi, sed temporis inopia totum conferre non licuit. Scriptus erat in membrana, 4, manu satis bona, quæ trecentorum annorum ætatem præ se ferebat.

F. 1. Codex in folio membranaceus ex bibliotheca eminentissimi cardinalis Francisci Barberini sub num. 1956. Scriptus erat litera crassiori, et satis clara, ætatemque videbatur præ se ferre trecentorum annorum. Habebat in margine explicationes et glossas, ubi quædam non prorsus contemnenda.

F. 2. Codex membranaceus in fol. ex eadem bibliotheca eminentissimi cardinalis Francisci Barberini sub n. 1955. Scriptus litera mediocri et rotundiori, ejusdem propemodum ætatis cum superiori. Glossulas habebat interlineares, sed nullas marginales.

G. Codex ecclesiæ cathedralis Harlemensis, quem designamus litera G. quia usum ejus nobis procuravit vir cl. Joannes Fredericus Gronovius. Scriptus in fol. pergamen. literis æqualibus et nitidis. Præ se ferebat annos prope quingentos. Latebat Valerius inter varia opuscula istius voluminis, videlicet ista: « 1. Liber de vitis philosophorum cujus hæc inscriptio: Liber de vita ac moribus philosophorum poetarumque veterum ex multis libris tractus, nec non breviter et compendiose per venerabilem virum M. Walterum Burley compilatus incipit feliciter. 2. Eusebii Chronicon Hieronymian. 3. Hieronymi liber de viris illustribus. 4. Valerius Maximus. 5. Senecæ Epistolæ ad Paulum. Ejusdem de IV virtutibus ad Paulum. Ejusdem de copia verborum. Ejusdem de morte Claudii Cæsaris. Ejusdem proverbia ad ordinem Alphabeti. 6. Alani quædam opuscula. De vita curialium. Dialogus super deploratione Galliæ calamitatt. etc. » In fine libri scriptum erat: « Hos libros comparavit Raphael de Marcatellis, Abbas Sti Bunonis et Baccalaureus S. theologiæ formatus. Paris. A. 1463. »

H. 1. Est primus codex quem habuimus a V. A. Nicolao Heinsio. Erat forma in fol. membranaceus, litera satis aperta. Ex vestigiis quibusdam subobscuris apparebat fuisse olim hunc librum ex bibliotheca Marchionis Estensis.

H. 2. Debemus similiter hunc codicem Heinsio, scriptum in membrana, forma quarta, litera per librariorum compendia difficiliori et fugienti. In frontispicio libri grandis erat index foliorum circiter triginta in Valerium, secundum

literas alphabeti. Hunc sequebatur gens Cornelia, et explicatio aliorum quorumdam nominum et dignitatum romanarum. Exaratus erat, ut annotabatur, anno MCDXXI a die 21 April. usque ad diem 4 Jul.

I. Codex membranaceus in fol. qui videbatur scriptus annis abhinc trecentis. Exstat in collegio romano Jesuitarum. Fuit olim ex bibliotheca Mureti; inscribitur: «Valerii maximi factorum et dictorum memorabilium urbis Romæ externarumque gentium. Incipit liber primus ad Octavianum imp.»

L. 1. Ex bibliotheca regia Parisiensi, fol. in membrana.

L. 2. Ex eadem bibliotheca regia: uterque recens.

L. 3. Ex eadem regia bibliotheca: melioris notæ et vetustior.

L. 4. Ejusdem bibl. regiæ: bonæ fidei, annorum circiter 350. Cum duobus his posterioribus aliquot Valerii contuli.

M. 1. Mediceus primus, forte 400 annorum.

M. 2. Mediceus secundus in fol. ante ducentos annos ex codice antiquo scriptus in cujus fine legitur: «Liber Poggii secretarii summi pontificis, quem vendidit Joanni Cosme.» Hic codex habet prænomen Valerii *Publius.*

M. 3. Mediceus tertius, in folio, trecentorum annorum. Habet in fine aliquid ex epitoma illa libri ut aiunt X.

M. 4. Mediceus quartus, fere ejusdem cum antecedenti ætatis, in fol.

M. 5. Mediceus quintus, codex recens et vix ducentorum annorum.

M. 6. Mediceus sextus, in fol. paulum excedit ducentos annos. In fine legitur: «Liber Petri de Medicis Cos. Fil.»

P. 1. Primus codex Vaticanus S. Petri scriptus in fol.

pergamen. annorum circiter 400. Continetur in bibliotheca veteri vaticana sub num. 1928.

P. 2. Secundus vaticanus longe recentiori, sed multo etiam elegantiori manu, in membrana scriptus. Reperitur num. 5209.

R. Codex Remensis in monasterio S. Remigii. Continebat tantum quatuor libros, Valerii cum commentario nescio cujus, nam certe non erat Dionysii de Burgo, qui statim citatur initio : « Incipit primi libri Valerii Maximi procemium, quod secundum magistrum Dionysium de Burgo hujus libri expositorem pro æmulis ponitur, qui consueti sunt librorum auctoribus detrahere : ad eos reprimendos, etc. » Sed quisquis ille commentator aut nugator est, certe Dionysio nihil se meliorem ostendit. Liber in folio pergamen. manu valde recenti scriptus est. Servabantur in eadem bibliotheca commentarii Dionysii de Burgo, duobus permagnis voluminibus in membrana, manu similiter admodum recenti. Explicat novem libros Valerii, sed textum ipsum omisit. Non præmittuntur commentario nisi prima verba paragraphorum Valerii, cujus textum deinde mire laceratum et corruptum Dionysius inter glossarum suarum spinas interserit. Incipit : « Reverendo in Christo patri suo et suo Domino specialissimo Dom. Joanni de Columna, divina providentia St. Angeli diacono cardinali Fr. M. Dionysius de Burgo St. Sepulchri ordinis fratrum heremitarum St. Augustini cum omni subjectione et reverentia filiali se totum, etc. »

V. 1. Codex Isaaci Vossii in membrana, in fol. annorum circiter trecentorum.

V. 2. Codex optimæ notæ, forma quadratus in membranis, sed mutilus, olim Petri Puteani, nunc ejusdem Vossii, excedebat ætatem annorum 500. Erant antiqua manu ad marginem adscriptæ variæ lectiones ex alio codice. *Hactenus Gudius.*

Cæterum hæ collationes ad totos MSS. videntur non fuisse institutæ, quum nonnullæ ultra primum aut secundum non procedant; ex aliis non nisi ad posteriores libros compareant variæ lectiones. Pars tamen totius Valerii universas continet, ut ex ipsa notarum mearum serie lector facile deprehendet. Ex isto catalogo Gudiano liquet porro clarissime, vix ullum codicem Valerii etiam a Gudio inspectum fuisse, qui quingentorum annorum ætatem longe excederet, qualem se non vidisse affirmat quoque Perizonius in Epist. 20, ad N. Heinsium Syll. Ep. T. IV, a cl. Burmanno editarum, et ipse fatetur N. Heinsius Epist. 31. Sæpe quoque ill. Gudius variantibus his lectionibus adscripserat emendationes suas; quod ex eo mihi abunde cognitum, quoniam iisdem plane verbis in scriptis ipsius editis aliquando has emendationes propositas, et comprobatas reperi, ut videre licet in notis ad lib. I, 7, 1. Verum insuper etiam multas Guyeti conjecturas adjunxerat, quas etiam hic tecum communicatas videbis.

Inveni ad hæc in eodem legato editionem Valerii a C. Tollio cum MS. quodam collatam. Item collationes duorum MSS. unius chartacei, alterius vero membranacei, ad editionem, quæ Duaci prodiit a. 1619 typis Joh. Bogardi. His autem collationibus hic illic loca quædam ad firmandam illarum lectionem adscripta erant, quæ mihi suspicionem injecerunt usum illis fuisse virum summum J. Fr. Gronovium, eo quod et ipsum iisdem exemplis uti ad earumdem emendationum veritatem ostendendam plus semel animadverti. Vide quæ notavi ad lib. VI, 9, 7, n. 28, etc.; lib. VIII, 7, 3, n. 45; lib. IX, 1, 2, n. 17; lib. XI, 8, 1, n. 1; lib. IX, 14, ext. 2, n. 27. Exstabant et ibidem variantes lectiones Valerii ex codice bibliothecæ Lipsiensis manu in membrana exarato, quas collegerat cl. J. F. Fellerus. Sed erant illæ non admodum multæ, insertasque habebant emendationes aliquot Casp. Barthii

ex schedis ejus MStis erutas, quas cum doctissimo Antonio Perizonio, Jacobi patre, communicaverat celeberrimus Christ. Daumius. Has partim in notis exhibui; partim ibi prætermissas, ne quid suppressisse videar, hic proferendas censui. Lib. I, 4, ext. 1 legit, *alimenta vix suffecturam urbem*. Cap. 5, 8, *dicti tumore pertraderet*. Cap. 6, 11, *sed quod do relatu verum est;* ext. 1, *non consentaneos ausus*. Cap. 7, 4, *urbi periculum*. Cap. 7, 8, *somnium admotum est*. Cap. 8, ext. 19, *in* supra usitatam delet præpositionem. Lib. II, 2, 2, *quin etiam ipsos linguæ*. Cap. 3, ext. 1, *si militaria ingenia perseverarent*. Cap. 5, 4, *ut eos gratiosæ*, id est, clementer, non per vim, ibid. *temulentiæ casum habet*. Cap. 6, 8, *excedere vita deberet:* glossæ sunt si Barthium audias. Cap. 7, 12, *merita perpessa;* ext. 2, *in conspectum earum redirent*. Cap. 8, 5, *gloriæ cupidis*. Cap. 9, 1, *damnosam exsolvite stipem*. Cap. 9, 6, *honorum societate instrictum, æmulationis autem hamo dissidens*. Cap. 10, 2, *proinde securus*. Lib. XIII, 1, 2, *deprehensum victorem non extimuit;* ext. 1, *eat et a Græcis aliquid*. Cap. 2, 1, *undique coingerebantur*. Cap. 2, 2, *Cantu* delendum censet. Cap. 3, ext. *sensisset ejus stirpis milites*. Cap. 6, 9, *remissio laboris;* delet vocem posteriorem. Cap. 7 init. *habere fiduciam quis soleat*. Cap. 7, 2, *erecta habentibus clavorum cacumina*. Cap. 8, 2, *ad exercitus reparandos;* ext. 2, *blandimentum sane temeritati casus facit*. Lib. IV, init. *salubrem temperiem animi*. Cap. 1, 3, *se moderanti credidit*. Cap. 3, 3, *alterius viduitas expers Veneris consenuit*. Cap. 4, 11, *memorabiles triumphos*. Lib. V, 2, ext. 4, *beneficentia generis romani*. Cap. 3, ext. 1, *militum cuneos si occidisset*. Cap. 4, 1, *liberos trahens*, deleto *secum*. Cap. 6, 5, *plurimis obrutus super tela corruit;* ext. 1, *ita finem rei fore*. Cap. 7, 1, *equo insequi*. Ibid. *sed ut auctor;* ext. 1, *suspiratu increbrescere*.

Cap. 9, 4, *solitudinem agmine meliorem*. Lib. VI, cap. 1, 11, *æque fœdus exitus*; ext. 13, *pernis concidit*. Cap. 2, 4, *eodem judicio duos substituit reos*; ext. 5, *qui ergo*. Cap. 3, 11, in *non ipsa commotus culpa*, vocem postremam delet. Cap. 5, 4, *magnam laudem et illo idem collegium*. Cap. 8, 1, *tam fortem spiritum servili homine*; ext. 6, *rem vix vera æstimatione prosequetur*; ext. 7, *unum me adjicere*. Lib. VII, 3, 2, *Brutus reverendus est*; ext. 1, *aliam sors hæc morti destinavit*. Cap. 4, 5, *eamque inopinantem*. C. 6, 1, *te scilicet, necessitas, jubente*. Cap. 8, 2, *tabulæ plenæ furoris*. Lib. VIII, 1, 12, *libidinis intemperantioris confessio*. Amb. 1, *alterum ultione dignum* delenda vox postrema. Cap. 6, 1, *hæredem maluit interire*; ext. 3, *nihil aliis præcipi debere*. Cap. 7, ext. 3, *cœlestium observationem radiorum*; ext. 4, *studiis literarum esset operaturus*; ext. 7, *protracto inhians pulveri*; ext. 10, *penitius congnoscenda*; ext. 12, *ad mortem* delet; ibid. *filius Iophon*, *deleto*, *Sophoclis*. Cap. 9, ext. 2, *simillima ejus esset oratio*, delet *oratio*. Cap. 13, init. *nostra ornatu mentio*; ext. 5, *de quibus quasi idem*. Lib. IX, 1, ext. 5, *vacuum torum nuptiis puellæ faceret*. Cap. 5, 3, *securo animo cenare potuit*; ibid. *statum reipubl. rumpendo*. Cap. 6, ext. 1, *alto merserunt*. Cap. 7, 3, *teterrimo daretur*, deleto *civi*. Cap. 11, 1. *voce improbum*, *re monstri simile*; ext. 3, *sane vero inquit*; ext. 3, *vix ferrent alii*.

Præter hæc exstabant in publica academiæ Lugd. Bat. bibliotheca codices MSS. octo, quorum quatuor quondam nob. Is. Vossii fuerunt, quos tamen omnes uno Leidensium nomine comprehendi, quandoquidem jam dudum justo emptionis titulo isti bibliothecæ cesserant. Sunt vero illi posteriores quatuor. E quibus vix ullum etiam quingentorum annorum ætatem credo superare. Erant tamen inter illos quidam elegantissime in membrana; et quan-

tum conjectura assequi licebat, ex vetustissimis optimisque libris transcripti. Horum quintum cum Ed. Seb. Gryphii diligentissime contulit vir eruditissimus, animoque meo carissimus cognatus et collega meus Henr. Snakenburgius; sextum conferendi laborem exhausit doctissimus Franc. Oudendorpius, consobrinus meus, et tunc collega exoptatissimus, nunc ad Harlemensis gymnasii regimen cum omnium bonorum applausu quum maxime vocatus. Reliquos ipse consului, ut et unum Perizonianum, haud pessimæ notæ membranaceum, sed qui tribus posterioribus libris deficiebatur.

His librorum MSS. subsidiis quum plus satis jam mihi instructus viderer, ecce, præter spem meam celeberrimus Arn. Drakenborchius, non multiplicis elegantissimæque eruditionis copia, quam insigni morum humanitate nobilior, de instituto meo per cl. P. Burmannum certior factus, ultro mihi obtulit variantes lectiones ab ipso ex duobus MSS. Ultrajectinis summa cum diligentia et fide excerptas; quæ quidem utilitatem mihi præbuerunt maximam, adeo ut viro illi clarissimo hoc nomine me agnoscam devinctissimum.

Exhibebat insuper mihi bibliotheca publica editionem Moguntinam per Petrum *Schoyffer de Bernshem* typis vulgatam anno MCDLXXI, quæ ut omnium est princeps, ita quoque MS. vicem facile sustinuerit. Ipse super hæc possidebam editionem Venetam anno MCDLXXVIII a Bono Accursio Pisano curatam : alteram quoque ibidem per Dionysium et Pelerinum Bononienses cum interpretatione Omniboni Leoniceni, editam anno MCDLXXXV: tum Mediolanensem anno MDVIII, cum commentariis Oliverii publicatam, et Aldinas, unam anno MDIII, alteram anno MDVIII, tertiam anno MDXXXIV: nec non Colinæam, quæ Parisiis prodiit anno edita MDXXVII, et Gryphianas tres, quarum duas Sebastianus dederat anno MDXLI et MDXLVII, tertiam

Antonius MDLXVI. Item Rob. Stephani anno MDXLIV

Interea in textu ipsius auctoris constituendo sequutus sum editionem Joh. Vorstii, quæ prodiit Berolini anno MDCLXXII, eo quod vir ille doctissimus quam plurima temere a Pighio interpolata ex duobus MSS. Brandenburgicis et vetustis Martini Herbipolensis, et Demetrii Chalcocondylæ editionibus, recte videbatur emendasse. Dici enim vix potest quantum sibi Pighius in editione sua permiserit, dum conjecturas suas, quarum sæpe nullam in notis facit mentionem, in Valerianorum verborum seriem pæne ubique infarsit, vel scripturam unius aut etiam alterius minus probæ notæ codicis, quum plures et meliores haberet, pro vetere, et a cæteris codicibus asserta, nec ullam in partem deteriore, imo sæpe rectiore nobis obtrudit, ut verbis utar cl. Perizonii ex epist. ad ill. N. Heinsium t. IV, n. 47. Scilicet pati Pighius non potuit, ut usquam Valerius errasse videretur, atque adeo quocumque modo crimen illud in librarios studuit conferre potius, quam memoriæ aut negligentiæ vitium in auctore suo agnoscere. Quum tamen non sine causa statui possit Valerium, seu memoriæ nimis fidentem, seu ut tanto magis argutari, vel etiam exaggerare et amplificare alicujus insignem virtutem posset, uni tribuisse, quæ diversorum erant, neque adeo sollicitum de fide historica fuisse, quam omnem captasse acuminis cujusdam exserendi occasionem, hinc nonnumquam ad dictiones plus quam poeticas, et putidas ineptias prolapsum. Cæterum contextui Vorstiano non ita adhæsi, ut non et ipse quam plurima tot MSS. et vett. edd. auxilio adjutus corrigenda duxerim, et Perizonii auctoritatem in multis sequutus fuerim, ita ut conjecturis, potiore MSS. parte non adstipulante, indulserim tamen nihil. Præter jam memoratas, textui subjeci notas integras Corradi, Pighii, Lipsii, Coleri, et Vorstii, item Glareani, cujus editionem, quum ad secundum librum jam deventum

esset, opportune a se repertam communicavit mecum sæpius jam mihi laudatus cl. Burmannus, ut ideo necesse habuerim, ea, quæ ille ad primum librum notaverat, addendis inserere. Videbis etiam in notis hic illic Matthæi Klokkii conatus quosdam criticos (ita enim mihi verius eos licet appellare, quam emendationes, dum antiquæ linguæ studiosior, quam Valerianæ elocutionis peritior, a vero plerumque aberrat), quos ex epistola ipsius ad Lipsium, quam publicavit cl. Burmannus tom. I, n. 372 excerpsi. Ad hæc accedunt emendationes Ruperti ex Valerianis ipsius animadversionibus depromptæ; item selectæ ex aliis observationes, ad emendandam auctoris elocutionem maxime pertinentes. E quibus omnibus, si quid utilitatis ad ipsum Valerium, atque commodi ad studia tua adjuvanda, lector benevole, redundasse arbitratus fueris, erit quod mihi gratuler, et laborem hunc meum bene collocatum existimem. Equidem studiose cavi, ne ulla verborum asperitate aut contumelia in quemquam, a quo mihi dissentiendum fuerit, inveherer: hanc æquitatem si tu mihi quoque præstiteris, neminem promptiorem, paratioremque ad corrigenda, quæ bene admonueris, si fortasse quandoque iteranda fuerit hæc editio, futurum tibi confirmo.

Hæc itaque ego ad ornandam hanc editionem contuli. Interea symbolam quoque dedit, sed egregiam, sed luculentissimam, vir clarissimus Antonius Schultingius, non jurisprudentiæ magis, quam omnis elegantioris literaturæ scientia celeberrimus, qui eruditissima exercitatione Valerii lib. VII, cap. 7, de Testamentis rescissis, illustravit, nodosque, quibus illa materia ita erat implicita, ut etiam doctissimis viris crucem figeret, felicissime dissolvit.

Postremo adjectum videbis indicem locupletissimum, cura et studio Michaelis Benedicti, collegæ mei amantissima ac magna industria ad præclara tendentis, collectum

et concinnatum. Cui ergo hunc totum velim acceptum referas. Denique et alterum notarum indicem ipse subjunxi.

Nunc te ad Valerium ipsum dimitterem, amice lector, nisi dubitari cernerem a viris quibusdam eruditis, utrum Valerii ipsius hoc opus sit, an vero illius epitome, a Julio Paride, vel C. Titio Probo, vel etiam ab Africano quodam Nepotiano concinnata: ita ut magnus ille Johannes Gerardus Vossius, etiamsi argumenta satis valida ad opus hoc Valerio vindicandum protulerit, sibi tamen ipsi satisfecisse vix videatur; et ambigat quoque ill. Nic. Heinsius, an non pro epitome potius habendum sit in epist. ad cl. J. Perizonium n. 48: quare haud abs re me facturum duxi, si paucis hunc scrupulum omnibus eximere tentarem, et sententiam meam breviter exponerem.

Equidem ut pro epitome habeam hoc opus, causam video prorsus nullam; nam qui Theodosianum potius, quam Tiberii seculum auctoris nostri stilum sapere contendunt, cum illis consentire nequaquam possum. Licet enim nonnihil ab Augustei ævi naturali illa pulchritudine deflexerit Valerii elocutio, multo propius tamen ab ea abest, quam ab illo dicendi genere, quod tanto tempore post romani sermonis puritatem omnino jam inquinaverat. Miror enim viros illos doctos, qui auctoris nostri stilum adeo acerbe exagitant, non plura proferre exempla, quibus istius criminationis monstretur veritas. *Parvitas mea*, qua dictione in præfatione usus est, vehementer illos offendit; sed quum Velleius simili modo *mea mediocritas* dixerit, non ideo Noster ad sequiora secula erit ablegandus. Ita *extunc* lib. I, 5 extr. suspectam reddidit ipsius latinitatem, quum nullam in hoc culpam ab eo commissam fuisse; jam doceant notæ. Declamat vehementer in Nostrum Rutgersius, quod *decessisse catulum* dixerit, de cane tamquam de homine locutus. Sed, utut hoc, et quæ

dam huic similia, sint inepta, non propterea tamen a Tiberii seculo opus hoc abjudicandum.

Præterea si exemplorum singulorum inter se nexum; si transitiones ab unius virtutis descriptione ad descriptionem alterius, si perpetuas virtutis propositæ commendationes insectationesque vitiorum, diligenter consideres, vix quidquam, opinor, plenius desiderabis, saltem quid inde recisum videatur non invenies. Ut adeo, si quandoque in epitomen contractus fuerit Valerius, illius generis illa fuerit oporteat, cujus sunt exempla postrema in capite primo, et tribus sequentibus exhibita, ubi sola dicta factaque narrantur, sine ulla eorum commendatione. Quare Valerii ipsius, hoc quod in manibus habemus, opus esse mihi omnino est persuasum. Vale.

JUSTUS LIPSIUS

STEPHANO PIGHIO

S. DICO.

PAUCA et levia, quæ ad Valerium tuum (jure tuum, qui valetudinem et colorem tibi debet, imo vitam) pæne aliud agens notavi, passus sum adjungi tuis, mi Pighi, accuratissimæ censuræ notis. Passus ideo, quia Plantinus noster cupiebat: quia aliquid in iis fortasse ad usum juventutis: quia et cum honore tuo id fiebat: quum ex ipsa comparatione horum pravitas et parvitas, tuorum bonitas et granditas eluceret. Sane copiosam tu et uberem messem ex hoc agro collegisti, nos pauculas spicas contemptas tibi potius quam non visas. Triumphus igitur hic omnis tuus est: mihi abunde satis, si armillis aut hasta donatus sequar hunc candidæ famæ tuæ currum. Vale. Nonis Septembribus, MDLXXXV.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI

CAROLO PHILIPPO DE CROY,

DOMINO DE HAURECH, ETC.

NATALIUM SPLENDORE CLARISSIMO ADOLESCENTI

STEPHANUS PIGHIUS S. D.

GRAVIS omnino atque perniciosa, Carole princeps generosissime, humano generi res est ignorantia, non solum publicis moribus noxia, communique hominum vitæ tenebras offundens, et a veri cognitione mentes seducens: sed privatas etiam singulorum rationes ita miscens ac perturbans, ut haud aliter ac cæci sine ductore in summa caligine destituti, nunc huc nunc illuc temere impingamus, periculaque ante pedes posita velut longinque dissita securi minime caveamus; quæ procul a nobis, et absunt quam longissime, tanquam capiti imminentia trepidi expavescamus. An quicquam igitur calamitosius homine imperfectiusve in orbe terrarum nasceretur, nisi huic divina benignitas rationis facem prætenderet, oculos aperiret, viamque monstraret, qua tuto ac commode per obstacula quæque ad summum bonum veramque felicitatem penetrare possit? Ingens profecto atque inæstimabile donum, omnibus quidem optandum; sed perquam paucis, et nisi quos æquus amaverit Jupiter, obvium atque promptum; his scilicet perquam raris, quibus rerum felicitates virgula quadam divina suppeditantur. Adeo nihil in humanis perfectum, nihilque tam fauste geritur, quod non error ali-

quis vel obtundat, vel interrumpat. Quod nisi tam densa ignorantiæ caligo, naturæ vitio congenita, mentis oculos obsideret, homo facile seipsum videret, aliosque perspiceret, quo quisque loco et statu degat, quanto intervallo a recti scopo aberret; se suasque rationes inde duceret atque disponeret. Nunc in hac mortali vita tam fallacibus umbris semet explicante, et plusquam Cimmeriis tenebris obvoluta degenti quid faciendum quæso? ubi perpetuæ, ut Nasonis poetæ verbis dicam,

> .... nebulæ caligine mixtæ
> Exhalantur humo, dubiæque crepuscula noctis.

An ne instinc ad clarum rationis lumen a longe pergenti frequenter cespitandum, sæpe palpitandum, sæpe cæcutientes oculi sunt extergendi, ut semitas ab aliis jam ante tritas, alienaque vestigia tentet atque colligat? Quod profecto difficile existimo, ac valde laboriosum.

> Quale per incertam lunam sub luce maligna
> Est iter in silvis, ubi cælum condidit umbra
> Jupiter, et rebus nox abstulit atra colorem;

ut pulchre summus vates cecinit. Ubi vagabundus viator votis omnibus cupit Mercurium aliquem Euhodium in quadrivio positum reperire, qui viam rectam virgula monstret: vel Hegemonam occurrere deam, quæ manu ducat. Posset tamen, ni fallor, melius securiusque Historia, quam vere simul et præclare princeps romanæ eloquentiæ Tullius lucem veritatis ac vitæ magistram appellat; in qua rerum eventus velut in speculo contemplari licet, mores et quos imitemur, et quos vitemus sine difficultate cognoscere. Hæc enim leges nobis sine fraude scribit, justitiam aliasque virtutes ita docet, ut ad eas complectendas non velut jurisconsultorum formulis in jus rapti, philosophorumve tristibus præceptis coacti constringamur, sed sponte

moti pelliciamur. Facile enim homo eruditur exemplis, qui rerum ex successibus ipse sibi consilia format, normamque actionum suarum ita componit, ut inter omnes vitæ errores omniaque pericula tutus transmeet. Quod omnino fiet, si ad lucem sacræ historiæ humanam sic applicet examinetque, ut ab illa pietatem colligat, ex hac actiones eidem conformet; utque rerum exitus notans, animum ad causas referat, diligenterque inquirat, cur hoc factum, illud omissum, cur ex hoc gloria aut felicitas, ex hoc calamitas aut vituperium processerit: atque ita deinde viam rationibus suis seliget, qua tuto ad optatum finem pervenire poterit. Nil aliud quidem videtur humana prudentia, rerum quippe futurarum præsentiumque ex præteritis recta observatio atque deductio, quam æque magistram vitæ, immo ducem ac caput aliarum virtutum ad veram felicitatem pertinentium dicit esse Plato; accusatque vehementer in Timæo Græcos, ob historiæ atque antiquitatis negligentiam, quippe qui fabulis delibuti atque seducti, majorum suorum originem resve gestas ignorarent, eos semper pueros esse dicens, nec quemquam e Græcis posse senem vere vocari, quia puerilis semper iis esset animus, et nulla ex antiquitatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. In quales et Homerus Odyss. φ amarulente stomachatur:

Νήπιοι ἀγροιῶται, ἐφημέρια φρονέοντες

id est,

Agrestes stolidi, tantumque diurna scientes.

Atqui historiæ studium hanc perversam securitatem depellit, et ab hac infamia nos liberat, ne dicamur καθημερόβιοι: imo juvenilem animum sapientem et canum facit; sic majorum institutis atque exemplis instruit, ut cum senibus sæpe prudentia et rerum cognitione contendere possit. Senibus autem ipsis affatim consilia ad rempubli-

cam sapienter gubernandam suppeditat. Imperatoribus artem militarem largitur, animumque generosum ad gloriam inflammat, abjectos timidosque spiritus excitat, superbos simul ac nimium feroces moderationis freno cohibet, instabilis fortunæ imaginem oculis ubique subjiciens. Denique nulli non hominum generi consulens, bonos ad virtutem laude et gloria vocat, improbos a sceleribus pœna atque infamiæ exemplis deterret. Qui fructus in nulla magis quam in romana patent historia, quum hæc respublica diuturnitate atque amplitudine imperii, rerum domi forisque gestarum magnitudine, bellorum ingentium periculis, varietateque fortunæ, cæteras omnes vincat; atque ideo exemplorum copiosam in omni genere materiam suppeditat. Sed sentio quam spatiosum ingrediar campum, si de dignitate et fructu historiæ exactius velim disserere: retraham itaque stilum, si unum adjecero, nempe omnium sapientum hominum concordi judicio non reperiri dignius nobili ac principi viro studium, quam historiæ, atque ad reip. gubernacula natum majore cum laude et fruge non posse otium suum terere, quam in lectione auctorum, qui res publice privatimque bene maleve gestas cum fide literis mandarint. Hi namque veri sunt amici, cum quibus utiliter confabuletur, de rebus dubiis consultet; qui et semper præsto sunt, et sapiunt plurimum, et nihil adulantur: cum his multo majore cum laude poterit horas fallere, quam si vel alea ludat, vel morionibus indulgeat. Ex veteribus autem, qui vel græce vel latine historiam scripserunt, et ad nostra tempora pervenerunt, si qui studiose legendi sunt, sane non video, quisnam Valerio Maximo præferri poterit, quum nemo melius nucleum historicæ utilitatis nobis excludat, dum ex omnium pæne historiarum uberrima silva virtutum vitiorumque celeberrima quæque exempla quasi flosculos selecta breviter in concinnum ordinem redigit, communi vitæ, publicis pri-

vatisque moribus accommodat, in genera ac capita tam apte digerit, ut quod in aliis non sine labore quærendum esset, ex hisce novem ejus libris nullo negotio peti possit. At quo ordine? ut quæ ad religionem sacraque publica pertinent, liber primus: quæ ad præclara civitatum instituta, secundus contineret: reliqui, quæ ad mores privatos, nempe varia virtutum vitiorumque genera multiplicem rerum humanarum scenam complecterentur. Hæcque omnia suis capitibus ita distinguit, ut memoria comprehendi facile possint. Videmus itaque ut in hisce libris, velut in amplissimo theatro, communis vitæ nostræ quasi quandam tragicomœdiam Valerius nobis agat, in quo ipse tanquam pantomimus aliquis insignis in novas sæpe formas se mutat, moralis vitæ mille pericula, casus infinitos diversis gestibus dexterrime imitatus, passiones, affectus, mores, atque studia graphice depingit: aliquando gravitate sublimis, summaque eloquentia splendidus, dum virtutes laudat, honesteque facta in cælum evehit: nonnunquam tristis ac velut tragice plangens, dum crudelitates, scelera, atque improbe facta damnat; sæpe facetiis lepidus, dicteriisve salsus et comice jucundus, quum vana hominum studia et stulta consilia suggillat ac ridet. Sed quanto sæpe decore, quali pompa, quo ordine, velut instructissimus choragus, nunc virtutum nunc vitiorum mimos elegantissimo verborum apparatu comptos inducit, et tanquam præsentes oculis subjicit! quam exempla exemplis connectendo, velut novas subinde personas aptissime suggerit! ipse interim, ut nos quasi spectatores delectet, pulcherrima passim interponit acroamata sententiis aurea, in his consiliis et admonitionibus severus est, atque in allusionibus acutus. Denique exquisita verborum proprietate decorus, brevitate concinnus, ac mira varietate gratus ubique reperitur. Non mirum igitur, quod ob summam utilitatem atque elegantiam hic liber tot jam sæculis assidue in manibus

hominum versetur: non tantum in scholis literariis, verum etiam in curia, foro, castris frequens sit: domi item familiaris, atque in itineribus quibuscunque promptus suavisque sæpe comes. Sed adeo attritus usu nimio atque consumptus est, atque injuria temporum male multatus, ut vix sui similis videatur: immo si ipse nunc ab inferis resurgeret, hunc suum fœtum vix agnosceret; non magis quam Æneas, quum apud inferos,

> Priamiden laniatum corpore toto
> Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
> Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
> Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares:
> Vix adeo agnovit.

Non minus hic auctor celeberrimus vulgo circumfertur fœde laceratus, mutilus, ac depravatus. Nam frequenter rescriptus atque mutatus infelicis sæculi superioris barbariem haud modicam contraxit; ut emunctæ naris homines sæpe culpent stylum ejus, atque latinæ locutionis puritatem in eo desiderent: et quidem immerito, quum antiquitatem sæculi sui venustam totus redoleat. Quod si cuiquam visum fuerit scripta aliquot exemplaria conferre, pedibus, spero, veniet in sententiam meam, et quisquis resederit apud hunc impurus barbariei fœtor, non ipsius auctoris esse judicabit. Nam varie interpolatum intelliget, turpissimeque conspurcatum plusquam puerilibus sciolorum annotatiunculis, et inelegantium ludimagistrorum dictatis. Sæpe enim indocti librarii spuria a legitimis dignoscere nescientes, rejectis puris atque antiquis dictionibus, glossemata inepta trivialiaque contextui inseruerunt, sæpe mutilarunt sententias, aliquando diversa exempla in unum contraxerunt, nonnunquam transtulere verba atque totas etiam periodos, idque admodum temere pro sui quisque ingenii ignavia vel inscitia. Quum igitur tot jam sæcu-

lis hunc auctorem indigne contaminatum exstare moleste ferrem, optavi quidem sæpissime mihi tantum ab aliis occupationibus laxamenti, quo studiosorum in gratiam nonnihil ipsum extergere, atque habitu cultiore indutum producere in publicum possem. Quod quum statuissem defunctorie succisivis horis facere, non passus est moram diuturniorem Christophorus Plantinus, nostri temporis typographus diligentissimus, qui ut omnes fere veteres, ita et hunc auctorem excultum atque emaculatum typis recudere cupiens, a me multis precibus efflagitavit, ut maturarem destinatum opus, atque quam primum absolverem: cujus quidem desiderio refragari non potui, quum quod ipse hoc mereatur, tum quod amici quoque plures hortarentur. Igitur emendando Valerio trimestrem operam destinans, ea tamen ob difficultatem fere semestris est facta. Nam quum a capite hoc opus aggrederer, inter octo vel decem manuscriptos archetypos, quibus adjuvabar, tantam reperi diversitatem, tantam verborum rerumque sæpe discrepantiam, ut velut labyrinthum ingressus, aliquando quo me verterem nescierim. Quantum igitur hic mihi laboris sit exhaustum, non puto recte quemquam æstimaturum; nisi qui ipse vulgatam ante editionem cum hac nostra contulerit. Is, spero, fatebitur puriore toga indutum prodire nunc Valerium, magisque sanum, integrum, ac nitidum. Amplius enim quam octingentos nævos insignes emaculavimus, vastas lacunas supplevimus veterum exemplarium auxilio, cicatrices atque ulcera fœda plura sanavimus. Divinationi quidem aliquando indulgendum fuit, sed admodum religiose ac parçe hoc factum. Nam antiquos libros ita sequuti sumus, ut emendatiora dumtaxat, vulgatis mendis rejectis, amplecteremur; errores autem, qui infiniti etiam sunt in scriptis codicibus, præteriremus. Exemplorum insuper titulos a librariis contextui Valeriano temere insertos, ac fere ineptos ac fal-

sos, quibus perperam video capita dissecari, quum in veteribus scriptis exemplaribus non habeantur, non adeo nefas existimavi e contextu omnino submovere; amicorum aliquot eruditorum suffragatione ad hoc confirmatus, nec mea solius sententia nixus. Ne tamen hos quispiam prorsus ablatos conqueratur, recusos atque emendatos quam brevissime potui, capitibus suis ita prætexui, ut exemplis singulis ordine respondeant. Adjeci insuper in calce operis quasdam nostras annotationes, in quibus quum multa ad auctoris hujus explicationem potuissem adducere, ne tamen nimis essem prolixus, satis visum fuit emendationum causas reddidisse lectori, non omnium tamen; esset enim fastidiosum ac fere infinitum omnia loca mutata persequi, quum in ordine tam verborum quam periodon, tum etiam in propriis nominibus ubique fere corruptis. Quæ etiamsi inter octingentos nævos non numerem, et in annotationibus prætereantur, velim tamen persuasum esse, non nisi ex antiquitatis fide, atque veterum codicum auctoritate ea me mutasse. Præterea, ne quid in hoc opere desit, et quum plurimum lucis adferat historiæ vel sola temporum cognitio, quæ vehementer ad causas, consilia nec non rerum circumstantias intelligendas conducit, non absurdum judicavi Romanis præcipue exemplis tempora atque annos, quibus contigerunt, annotare, ut studioso pleniorem historiam cupienti haud sit difficile ad annales Livianos aliorumve recurrere, vel etiam ad nostros Romanorum magistratuum brevi, volentibus Superis, in publicum exituros: qui ejus appetitum uberi sæpe copia supplebunt, ut ampliora commentaria non sit desideraturus. Sed tu nobis (inquies) messem in herba demonstras, quid interim nunc esurienti præbes, quo famem sedet? Ne igitur interea studioso provisum non sit, volui singulis item exemplis loca auctorum veterum insigniora annotare quam brevissime, e quibus vel latiorem historiam, vel meliorem

rei ejusdem explicationem haurire poterit, si ea consulere Valerioque conferre visum fuerit. Hunc itaque auctorem, illustrissime princeps, multo magis quam prius expolitum atque instructum, ut sub tuo honoratissimo nomine in lucem emittam, haud vulgaribus adducor causis : quarum primæ sunt magna veræ virtutis exspectatio, atque præclaræ indolis incrementa a me non semel perspecta in comitatu amplissimi patroni mei cardinalis Granvellani, quum is Bruxellæ nobilissimam illam heroinam virtutum omnium cumulo ornatissimam, matrem tuam negotiorum vel officii causa visitare soleret, tuque illi adeunti frequenter honoris gratia occurreres. Deinceps ex tali exspectatione fluxit amor meus erga te tacitus; propensumque in observationem animum ratio demum impulit, quum audiam Lovaniense tyrocinium in literis tuum non minorem exspectationem omnibus concitasse. Laudantur enim publicis doctorum hominum testimoniis progressus ad pietatem atque literas tui insignes, ut spes haud dubia sit (quando Deus Opt. Max. eam mentem tibi dederit, ut ipsius gloria nihil prius ducas, eamque fortunam largitus sit, ut utrinque stirpe regia in ea domo, in qua semper verus honos ac splendor virtutis enituit, nascereris) te nihil tanta nobilitate indignum, nihil obscurum aut humile cogitaturum: sed omnes curas relaturum, quo te tua tam præclara indoles, tam accurata in omni virtutum genere educatio, impellit; quo denique te vocant majorum tuorum exempla, et tot illustres heroum imagines, quorum nomina nulla obliterabit oblivio, memoriam nulla dies exstinguet. Inter quos (si annales evolveris), invenies, qui remp. Christianam sudore et sanguine suo non solum defenderunt, verum etiam ejus limites magna Europæ atque Asiæ parte subjecta mirifice propagarunt, sublataque immanissimorum Turcarum tyrannide, ipsam Christi in terris patriam, primamque sanctorum veræque religionis sedem

Hierosolymam a crudelissima servitute liberarunt. Explica totos Romanorum fastos, recense currus triumphales omnes; nihil hac lauro sublimius, nihil hac gloria speciosius reperies. Quacunque igitur oculos direxeris, sive paternam respicias originem, sive ad materna convertaris stemmata, occurrent ubique virtutum omnium exempla immortalia, e quibus in pace justitiam, in bello fortitudinem, in omni fortuna moderationem tibi facile erit imitari; nunc ita cursum instituere, ut directam ingressus viam ad summum decus pervenias, majorumque tuorum ornamenta tuis exæques, vel etiam exsuperes. Quod quidem fiet, si tibi persuasum erit, generis claritatem, opes, populive studium dare quidem imperium, sed animum imperio dignum dare non posse. Dabunt haud dubio bonæ disciplinæ, atque iis artibus munient, ut non ambitio vel avaritia, quæ sæpe jacta præclare fundamenta virtutis subruunt, non honori inimica voluptas a recto tramite deducat. His autem ut natalium tot decora illustres, boni omnes exspectant, qui rempublicam Christianam, cujus inter alios gubernaculis es natus, felicem et incolumem cupiunt: nosque, licet inter extremos positi eorum, qui tuæ dignitati favent, ad hanc palmam currenti frigidam suffundemus, plausuque passim adhortabimur. Eoque nomine Valerium tibi, ut audio, valde familiarem mitto, nobilitate clarum auctorem nobilissimo principi, vel laudatissimis tuis inceptis gratuletur, multisque exemplis demonstret, quam infinitis ante sæculis perenni in gloria atque æstimatione solida virtus fuerit, quibus præmiis semper comitata: quamque ubique rejecta improbitas, et quæ dedecora, quamque graves pœnæ Superum judicio persequantur noxios, non solum apud Romanos, sed etiam apud rudes barbarasque nationes, etiamsi veræ religionis lumen his nunquam præluxisset. Hunc igitur, illustrissime princeps, tibi in Italica peregrinatione comitem esse cupio,

et nostræ in te observantiæ veluti primum pignus habeas, supplex oro. Quem si serena fronte exceperis, et tibi gratum esse intellexero, omnia summa me consecutum putabo: efficiesque ne qua in difficultate deinceps nostra fatiscat industria, si laboribus, quos sane non paucos literarum provehendarum causa sustinemus, aura tuæ benevolentiæ aspirare cœperit. Deum Opt. Max. interim precor, ut inter hujus vitæ ambages atque pericula dirigat gressus tuos, teque felicem atque incolumem diu servet. Bruxellæ, idib. august. anno M. D. LXVI.

STANISLAO ZELENIO VITELLIO

DE ZELANKA, etc., JUVENI GENEROSO

S. P. D.

CHRISTOPHORUS COLERUS.

VALERIUM MAXIMUM mittere ad te, mi Stanislae, non commendare decrevi. Sufficiat tibi doctissimorum virorum communis consensus; qui quantum auctoritatis habet, tantum et rationis subministrat. Profecto tam disertum et elegantem scriptorem diligenter legisse, duplici tibi vice proderit. Nam quidquid Græcia, quidquid Romana virtus dixit aut fecit egregium, sub unum adspectum, veluti tabella explicavit Valerius: nec id vulgari stilo, sed florido, sed arguto, certe flexanimo orationis genere. Postea vero, quanti pretii res est, quæ alii industrie notavere, disciplinam inde et exemplum capere; virtutum vitiorumque argumenta non tantum ex præteritis colligere, sed hinc fugam adornare, illinc obsequium meditari! Licebit etiam decenter imitari tale scriptionis genus, et factu vel dictu memorabilia subinde notare et digerere : quod nimis feliciter præstitit ille, vir illustri prosapia, Baptista Fulgosius; mediocriter etiam Ant. Sabellicus. Quæ te tuamque fortunam deceant, vides, mi Stanislae.[1] *Vindica te tibi, et tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige et serva.* Cogita ex quibus carceribus ad

1. Seneca ad Lucilium epist. 1.

quam metam properes. Nobilissimus es, fortunatus es: ergo studia tua ex nobilitate metire, fortuna sapere disce. An quod plerique omnes hujus loci hodie aliter faciunt? eo tu plus gloriæ ex bono facto exspecta. Humilia ingenia sunt, quæ apud minutarum quæstiuncularum gyros atque Mæandros, tanquam apud Sirenios scopulos consenescunt. Legisti hoc ipse, nisi fallor, apud Atticarum Noctium commentatorem. Et delectentur sane illis studiis, quibus et fructus aliquando ex professione eorum. Tibi quid inde? fastidium majorum curarum et proprie tuarum. Dicendum tibi hoc semel putavi, ob istos, qui et studia aliquam nobilitatem, et nobilitatem sua studia habere nesciunt. Tu autem illud veteris poetæ tibi dictum puta;

Τὸν εὐτυχοῦντα χρὴ σοφὸν πεφυκέναι.

Et quod agis, gnaviter age. Optima cogitanda sunt, plurima discenda sunt, utilissima legenda sunt, ut recte vivas et bene facias. De istis duobus, non desunt tibi quotidianæ meæ monitiones, adhortationes, cautiones. De ultimo, illud accipe, quod Zenoni quærenti, quomodo optime viveret, oraculum respondit, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς· quo ille accepto, totum se libris veterum mancipavit. Hunc tu imitare; et cavesis alio animo Valerium nostrum accipias, quam quo Colerum amplecti consuevisti. Vale. Haidelb. calend. April. CIↃ. IↃ. CI.

CHRISTOPHORO COLERO

S.

Mensis, et quod excurrit, abierat ex Valeriana editione absoluta, quum nobis redditæ sunt optatissimæ literæ tuæ, jam de præfatione sollicitis: redditæ sunt autem non solum cum præfatione quam desiderabamus, sed cum auctario etiam animadversionum, quo usuram videris illius missæ tardius pendere voluisse. Sed illam, uti jubes, editioni præmisimus; hoc, absoluto jam libro, subjecimus, velut appendicem, jucundam lectori studioso, et utilem.

Exemplar ipsum autem, quod nobis abiens in Poloniam reliquisti, secuti sumus accurate; nisi quod a pag. 9 usque ad 13, litera, quam vocant *Cursivam*, expressimus, quæ aberant ab optimo et fidelissimo codice *P. Danielis* v. cl. quæ non esse ipsius Valerii concepta verbis, verbis conceptis jurabit quicumque ea expendet vel leviter: inserta nimirum ex adbreviatore, ne quid desideraret exemplorum lector; et ut ille velut hiatus repleretur. *Pighius* certe et ipse, ad cap. 111, subodoratus est epitomen ista redolere. Sed si quis aure duriore, non satis intelligit, quæ sit utriusque stili et auctoris et adbreviatoris differentia, audiat is quæ antiquissimo illi et longe optimo codici *P. Danielis* leguntur præfixa. Prima ejus pagella, aut pagellæ potius fragmentum, est enim exesa vetustate magnam partem, illa, inquam, pagella præposita indici capitulorum, hæc habet: *In adbreviatore, qui et vetustus est, quædam reperta sunt, quæ quoniam Nostro deerant, necessario sup-*

plevi. Sequuutur inde adbreviata exempla ; et *Timasithei* primum, quod ipsius tamen *Valerii* verbis explicatum habemus : *Timasitheus Liparensis creteram quam Romani Pythio Apollini miserant, interceptam a piratis, curavit Delphos perferendam. Milesia Ceres,* et quæ leguntur infra pag. 9 et sequentibus, usque ad illa *Dejotaro vero*, pag. 13 : quæ non esse ipsius *Valerii*, quivis facile agnoscat.

Nomen adbreviatoris habet idem codex, in fine, id est, post rapsodiam libri x, ad quam nomen idem et *Pighius* notavit ex suis MSS. Ille autem, ut dixi, *Danielis* sic habet : *Feliciter emendavi, descriptum Rabennæ Rusticius Helpidius Domnulus.* vc.

TITULUS ADBREVIATORIS.

C. Tit. Probi finit epitoma historiarum diversarum exemplorum Romanorum. Sed de hoc quid sentiendum sit, tu nos docebis aliquando.

Vetustum autem fuisse, inde patet quod quæ ex eo adscripta sunt libro *Danielis*, veteri omnino manu scripta sunt : et sunt illa ipsa aliis veteribus manuscriptis inserta, nullo discrimine, tanquam genuina *Valerii.* Vale v. cl.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JOHANNES VORSTIUS.

Quum tot antiqui auctores, Latini Græcique, nostra memoria a viris doctis emendati, multisque partibus meliores redditi sint, solus fere Valerius Maximus ab eisdem quasi derelictus deprehenditur. Nam quod Antonius Thysius et Johannes Minellius notas ei adjecerunt, tantum id egisse videntur, ut legentibus paulo faciliorem intellectu, non ut inspiciendis codicibus MSS. veras ac genuinas lectiones ei redderent; videnturque viri docti nostræ ætatis adeo parum de Valerio laborasse, adeoque securi de eo fuisse, non quod illum contemnerent, aut minoris quam Nepotem, Curtium, Florum, Justinum, aliosque facerent; sed quod Pighii Colerique opera adeo emaculatum nitidumque redditum putarent, ut nihil supra possit addi. Norant quippe ipsum Pighium professum esse, se plus quam DCCC locis Valerium emendasse. Jam Pighium de Valerio bene meritum esse, multasque ei genuinas lectiones reddidisse, negari minime postet, aut debet. Sed rursus tamen neque hoc inficiandum est, doctissimum virum plurima mutasse quæ in Aldina, aliisque antiquioribus editionibus recte se habebant; et multa quæ emendanda merito fuissent, intacta reliquisse. Quod quum et ipse animadvertissem, inque bibliotheca Electorali Brandenburgica duos codices manu in membrana exaratos, ex quibus Valerius Maximus infinitis

locis emendari, atque integritati suæ restitui posse videbatur, offenderem; sumendam hanc operam putavi, ut editiones Valerii vulgares cum codicibus MSS. et antiquioribus typis expressis compararem, quæque manisfesta in illis menda viderentur, tollerem ac melioribus permutarem; in notis vero de singulis rationem redderem. Quod nostrum institutum summi quidam viri critici nec improbarunt, sed de editionibus Valerii antehac factis plane idem sentire se, quod sentio ipse, fassi mihi sunt; idque ipsis illorum verbis quæ paulo post producentur, intelligi licebit. Cæterum dum hanc Valerii Maximi emendandi operam sumpsi, magnorum simul criticorum in eum animadversiones, quas illi in monumentis suis sparsim consignarunt, circumspexi, suisque locis eas recensui; Schotti puta, Lipsii, Rutgersii, Salmasii, Gronovii, et plurium aliorum. Locos porro auctorum veterum parallelos, quos optimo consilio in margine adscripsit Pighius, ego itidem non negligendos putavi, sed et ipse in margine adscribendos curavi, subindeque id genus plures adjeci. Distinctiones denique capitum, itemque inscriptiones et summaria eorumdem, sic fere retinui, uti ea constituit atque informavit Pighius. Quod autem superest, viros doctos, ubicumque terrarum sunt, oro ac obtestor, ut si qua norint quibus utilissimus auctor adhuc nitidior reddi queat, ea mecum communicare dignentur; ut si quas ille maculas adhuc habeat, eæ itidem elui a me, ipseque quam fieri potest emendatissimus legi a juventute deinceps possit. Scripsi Berlini in Marchia Brandenburgensi, mense Martio anni a Christo nato M.DC.LXXII.

DOCTORUM QUORUMDAM VIRORUM
TUM VETERUM, TUM RECENTIORUM
DE VALERIO MAXIMO
TESTIMONIA, AUT JUDICIA.

PLINIUS LIB. I NAT. HIST.

Libro vii continentur gentium mirabiles figuræ, etc. Ex auctoribus Verrio Flacco, Cn. Gellio, Licinio Mutiano, Mutio, Massurio, Agrippina Claudii, M. Cicerone, Asinio Pollione, Messala, Rufo, Corn. Nepote, Virgilio, Livio, Cordo, Melisso, Seboso, Corn. Celso, Maximo Valerio, etc.

PLUTARCHUS MARCELLO.

Annibal cætera nihil curans quum Marcellum cecidisse intelligeret, ipse confestim ad locum cucurrit, et mortuo adstans diu robur corporis et speciem consideravit. Neque vocem misit arrogantiorem, neque vultu lætitiam, ut forsan alius acri ac gravi hoste sublato fecisset, præ se tulit, sed ad insperatam mortem obstupescens annulum quidem detraxit, τὸ δὲ σῶμα κοσμήσας πρέποντι κόσμῳ καὶ περιστείλας ἐντίμως ἔκαυσε. Καὶ τὰ λείψανα συνθεὶς εἰς κάλπην ἀργυρᾶν, καὶ χρυσοῦν ἐμβαλὼν ϛέφανον, ἀπέϛειλε πρὸς τὸν υἱόν. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱϛορήκασι. Corpus vero decenter ornatum, ac honorifice cul-

tum cremavit. Reliquias in argenteam urnam recondens, injecta aurea corona, misit ad filium. Ita Corn. Nepos et Valerius Maximus prodidere.

A. GELLIUS NOCT. ATT. LIB. I, CAP. 7.

SCRIPTA hæc historia (*de femina quæ virum et filium eodem tempore venenis clam datis interfecerat, nec tamen propterea damnata ac punita est*) in libro Valerii Maximi factorum et dictorum memorabilium octavo.

J. ALB. FABRICIUS, BIBLIOTHECA LATINA, LIB. II, CAP. 5.

VALERIUS MAXIMUS, Romanus extremis Tiberii Imperatoris temporibus, post cædem Sejani, scripsit ad eumdem Imperatorem *libros IX dictorum factorumque memorabilium*, digestorum in certas classes; opus jucundum, varium, utile, lectumque Gellio lib. I, cap. 7, Plinio lib. VII, et Plutarcho in Marcello, ut alios juniores prætereamus, præcipueque Saxonem Grammaticum, qui eum plurimis Historiæ suæ Danicæ locis imitatus est.

Publii prænomen Valerio vindicandum non dubitabat Marquardus Gudius, auctoritate codicis Medicei. In codice Leidensi tamen Nostrum *Marci* prænomine insigniri video. *Maximi* cognomen commune apud Romanos Valeriæ genti, et Fabiæ, aliisque.

Quoniam omnium manibus terebatur hic scriptor, ideo corruptus et glossematis interpolatus, ut quum nonnulla ipsius ætate fere indigna irrepserint, quidam viri docti habeant pro epitoma ex majore Valerii opere. Sed tamen epitomen tantum Valerii nobis superesse, non adeo esse certum vel ex Plinio majore, qui plus simplici vice verbis ejus utitur, colligi possit. Imo contrarium dilucide e Plinio apparere ait J. Harduinus, etc.

Consulendus omnino est Fabricius, e cujus opere pleraque ad Valerium pertinentia hauserunt posteriores. Attamen non abs re facturos existimamus, si his addiderimus quædam ex auctoribus gallicis recentioribus excerpta, in primis ex Viri Doctissimi, nec non et Carissimi Magistri Ren. Binet præfatione, quam ante versionem gallicam Valerii ab ipso concinnatam inseruit.

L'ouvrage de Valère-Maxime est un recueil utile, composé d'un nombre considérable de morceaux historiques très-précieux, rangés dans le meilleur ordre. Les récits liés ensemble par des transitions aussi naturelles que variées, sont accompagnés de réflexions judicieuses, de pensées fines, de sentiments nobles et délicats. Sa latinité n'a point la pureté du siècle d'Auguste. Il s'y trouve des termes impropres; des métaphores outrées et incohérentes; des antithèses qui dégénèrent en jeu de mots; des tours obscurs à force d'être recherchés. Cet ouvrage, sans être parfait pour le style ni même pour l'exactitude historique, ne laisse pas d'être infiniment estimable. C'est un cours de morale composé d'exemples choisis, rendus avec beaucoup d'intérêt. Les vertus s'y montrent dans tout leur éclat, et les vices avec toute leur difformité.

Valère-Maxime considéra l'histoire surtout du côté des mœurs, et fit à cet égard ce que Socrate avait fait pour la philosophie. Néanmoins on voudrait qu'en parlant de la religion, qui certainement n'est pas étrangère à la morale, il eût moins insisté sur les pratiques superstitieuses de l'antiquité. Tout son premier livre est rempli de présages, de prodiges, d'oracles et de songes merveilleux, pour lesquels, je ne dis pas un philosophe, mais un historien judicieux devait montrer moins de crédulité. Ce qu'on regrette encore plus de trouver dans un ouvrage, d'ailleurs plein de bon sens et de raison, ce sont les flatteries outrées que l'auteur y prodigue aux tyrans de son pays. Dès qu'il est question des Césars et de tout ce qui appartient à cette famille, ce ne sont plus des actions, mais des miracles; ce ne sont plus des hommes, mais des dieux. En récompense, leurs ennemis sont des monstres vomis par les enfers, et les Cassius n'y sont jamais nommés qu'avec des imprécations si violentes, qu'il y a tout lieu de soupçonner qu'elles

n'étaient pas sincères, non plus que cette profusion de louanges données aux oppresseurs de la liberté. En effet, on sait que telle était la servitude des Romains sous Tibère, et qu'on ne vivait qu'à ce prix, surtout lorsqu'on portait un nom distingué. On est tenté d'excuser Valère-Maxime d'une terreur qu'il partageait avec le sénat romain, dans un temps où l'on faisait des crimes d'état d'un discours, ou d'un écrit qui n'eût point porté cette empreinte de l'esclavage. Ajoutez à cela qu'il écrivait, en quelque sorte, sous les yeux de Tibère, comme ami ou protégé de l'un de ses plus intimes confidents, circonstance qui l'obligea sans doute à lui dédier son ouvrage. Ce fut vers la fin de ce règne qu'il le fit paraître, c'est-à-dire, à l'époque de la plus violente tyrannie.

F. SCHOELL, *Histoire abrégée de la Littérature Romaine, tom. II, pag.* 365.

Valère-Maxime, aux bonnes intentions duquel on doit rendre justice, est toujours sérieux, et ne se permet aucune plaisanterie. Il aime le merveilleux, et choisit dans les faits qui forment la matière de son livre, les exemples qui tiennent du prodige. Soigneux de faire naître l'étonnement dans l'esprit de ses lecteurs, il ne manque jamais de saisir les circonstances fabuleuses qu'une tradition mal examinée avait liées aux événements de l'histoire romaine. Malgré ses défauts, l'ouvrage de Valère-Maxime est intéressant pour l'histoire et l'étude de l'antiquité, parce qu'il nous a conservé une foule de petits faits tirés d'auteurs perdus.

La Harpe, dans son cours de littérature, ne fait que citer Valère-Maxime parmi plusieurs historiens du second rang, sur lesquels il jette, en passant, un jugement très-peu favorable, et non motivé.

ANTONII SCHULTINGII,

JURISCONSULTI ET ANTECESSORIS,

EXERCITATIO

AD

VALERII MAXIMI

LIB. VII, CAPUT VII.

DE TESTAMENTIS RESCISSIS.

OCCASIONEM paulo diligentius cogitandi de iis, quæ hoc capite scripta reliquit Valerius Maximus, præbuit mihi ante annos quatuordecim vir magnæ in republica, dum vixit, dignitatis, ac præclari inter literatos nominis, Gisbertus Cuperus, per epistolam mecum agens de exemplo secundo nonnullisque ex sequentibus, cui quum paulo post meam de illis exposuissem sententiam, ipse eam per omnia approbavit. Adeo tamen procul ab illa tunc fui exspectatione, fore aliquando, ut, quæ scripseram, in publicum prodirent, ut non nisi imperfectum illarum literarum exemplum mihi servaverim. Quum tamen hic loci typis describeretur Valerius Maximus, curante viro doctissimo, Abrahamo Torrenio, qui eumdem plurimorum eruditissimorum virorum et propriis notis atque observationibus luculentissime instruxit; isque, cognito, aliquid mihi ad manum esse quo scriptor hic posset illustrari, me rogaret, ut secum id communicarem, facile recepi non illud

ipsum solummodo, verum etiam me de omnibus, quæ in laudato capite occurrerent ad jurisprudentiam pertinentia, copiosius fore commentaturum. Atque inde tandem hæc prodiit exercitatio.

De testamentis rescissis. Vis quidem testamenti longe est maxima, eousque, ut in privatorum actis nihil eo sit validius; non statim tamen vires hasce exserit, sed tum demum quum primum morte testatoris, ac dein hereditatis ex eo adquisitione, eaque firma atque inconcussa, confirmatum est. Cæterum testamenta ab initio legitime facta, adeoque valida, non una ratione vim suam ex postfacto amittunt, mutata non tantum testatoris voluntate, verum etiam aliquo incidenti, veluti postumi agnatione, vel testatore capite deminuto: idque etiam ipso jure, ac tum dicuntur *infirmari t. t. Inst. quib. mod. testament. infirmant.* nullumque jure civili habent effectum. § 1, *Inst. de exheredation. liberor.* imo et contra manifestam testatoris voluntatem evertuntur post mortem ipsius per sententiam judicis, quod jurisconsulti dicunt *rescindi* l. 8, § 16, *D.* l. 24, *C. de inofficios. testament.* idque evenit quando testamentum pronunciatur inofficiosum, sive factum contra officium pietatis, exheredatis vel præteritis illis, qui non debebant: qualia in hoc capite proponuntur nonnulla.

In antecessum vero meretur notari, controversias de testamentis atque hereditatibus delatas olim fuisse Romæ ad centumviros, sive hastam centumviralem (hastæ judicium vocatur cap. seq. exempl. 4) cui præerat urbanus prætor: docet hoc Cicero *de Orator.* lib. I, cap. 38 et 39; Quinctilianus *de Institutione Orator.* lib. IV, cap. 2; Plinius lib. V, epist. 1; lib. VI, epist. 33: adeoque hereditatis petitio ab imperatore quoque Justiniano vocatur judicium centumvirale l. ult. *C. de petition. hereditat.* idemque de querela inofficiosi testamenti patet non tan-

tum ex l. 13, l. 17, *D. de inofficios. testament.* sed et ex hoc ipso capite Valerii Maximi ex. 1 et 2, et cap. 8, ex. 1, unde in inscriptionibus l. 7, l. 28, l. 31, *D. eod. tit.* scribendum esse *centumviralibus*, non *septemvirali-bus*, jam dudum observarunt viri insignes, interque eos ex professo hoc astruxit V. C. Joh. Fred. Gronovius *Observation.* lib. IV, cap. 11. Proderit legisse, quæ de centumviris scripsere viri præclari Jac. Cujacius *Observation.* lib. X, cap. 20, ac Gerardus Noodt, collega mihi maxime honorandus, *de Jurisdiction. et imper.* lib. I, cap. 12.

Quum vero illa juris remedia, quæ ad impugnandas evertendasque supremas voluntates comparata sunt, non ex juris antiqui rigore, sed moribus usuque fori invaluerint, et quidem sensim, uti fieri amat, mirum videri non debet, si quædam hic occurrant, quæ nec ad normam juris veteris, nec etiam recentioris, quo res hæc accuratius est definita, sese patiantur exigi. Hic, scilicet, illa conspicimus in sua origine, atque adeo rudiora minusque plene efformata. Quin in hoc ipso ac sequenti capite ea quoque inveniuntur, quæ plene ostendant sæpe ex bono et æquo res fuisse terminatas, magisque honestatis atque officii, quam juris rationem habitam fuisse, dum centumviri aliquam quasi censuram in testatorum heredumve mores exercuerint; imo pleraque exempla sequenti capite memorata, secundum posterioris etiam juris, quod in Digestis habemus, dispositionem, nihil habent plane, quod querelæ inofficiosi locum faceret, utcumque illic testamenta merito rescindi potuisse judicet hic auctor, h. cap. pr. et seq. cap. pr. Ut autem ab initio rem repetamus, observandum erit, legem duodecim tabularum patrifamilias dedisse liberrimam legandi, sive verbis imperativis disponendi, licentiam, atque ut quod ille legasset, esset jus, hoc est, tam firmum, ac si ab ipso populo in comi-

tiis foret sancitum. Verba sunt notissima, exstantque apud auctorem ad Herennium lib. I, cap. 13; Ciceronem *de invention.* lib. XI, cap. 50, in l. 120; *D. de verbor. signification.* apud Ulpianum tit. XI, § 14, ad quem nonnulla notavimus. Ac videntur hæc fuisse: *Paterfamilias uti legassit super pecunia tutelave suæ rei* (vel *super pecunia tutelave sua*, vel *pecuniæ*, *rei*, *tutelæve suæ*) *ita jus esto.* Atque hæc libertas diu apud Romanos videtur obtinuisse. At quum, ut fieri adsolet, homines illa abuterentur, res ipsa suasit, ut illa coangustaretur, quod factum est prudentium interpretatione, legumque et jura constituentium auctoritate, d. l. 120, *D. de verbor. signification.* idque accidit quoque in exemplis omnibus hic relatis, primo excepto.

Honorem hereditatis. Sic dicitur honor proprius l. 26 pr. *D. si quis omiss. caus. testament.* etc. et honor ad aliquem pervenire Cicerone *pro Quinct.* cap. 4. Cui opponitur exheredatio, vocaturque injuria Ulpiano l. 8, pr. *D. de inofficios. testament.* Caio l. 4, *D. eod. tit. Justiniano* l. 4, *C. de liber. præterit.* contumelia Cornelio Nepoti *Themistocl.* cap. 1, plenum contumeliæ ludibrium Valerio nostro cap. seq. ex. 9. Plura dabit ante laudatus Joh. Fred. Gronovius *ad Senec. de tranquillitat. anim.* cap. 11.

I. *Aliis heredibus scriptis.* In priori fuerat scriptus filius, sed pater illud mutaverat, ut docet etiam Cicero *de Orator.* lib. I, cap. 28, adeoque per posterius erat sublatum prius, non obstante, quod in secundo esset præteritus filius, de quo mox.

Coactus est in foro togatam ingredi militiam. Ita occurrit hostis togatus cap. seq. ex. 7. Nota est etiam militia advocatorum ab imperatoribus copiose celebrata in l. 14, *C. de advocat. diversor. judicior.* quam nos olim cum armata comparavimus speciali oratione. Illis vero, qui

jurisprudentiam existimant universam simul esse natam ac absolutam, non poterit non mirum videri, qui fieri potuerit, ut huic militi, vel veterano, lites fuerint sequendæ, judicioque contendendum de hereditate sui patris, quum certo fuerit certius etiam florentibus nostris veteribus jurisconsultis, filiofamilias a patre præterito, nullum esse patris testamentum pr. *Inst.de exheredation. liberor.* l. 30, *D. de liber. et postum.* l. 1, *D. de injust. rupt. irrit. fact. testament.* adeoque prius vigorem suum retinuisse; quales causas in judicium vocari non solere notum est, ut apud Ciceronem dicit Antonius *de Oratore* lib. I, cap. 57; multo magis id obscurum iisdem illis erit, quænam Valerium Maximum causa impulerit, ut hujus judicii, ceu singularis, memoriam ad posteros transmittendam esse existimaret, exemplo ipsius Ciceronis *de Orator.* lib. I, cap. 38: adde quod nemini etiam queat esse dubium, quin nihil minus voluerit hic paterfamilias, quam filium proprium ab hereditate sua posteriore testamento excludere; atque hæc voluntas præcipue spectanda esse videatur. At facillime difficultates has superabit, qui observaverit, testamentum non absolvi sola voluntate; sed ejus testatione, ac justa, sive legibus conveniente sententia, seu declaratione; et attenderit ad illa verba duodecim tabularum, *uti legassit*, *ita jus esto*, quæ non id volunt, ut hæsitemus circa probabilem testatoris mentem, unde per se nulli juris effectus possunt consequi, Grot. *de jur. bell. ac pac.* lib. XI, cap. 4, § 3; at verba expressa consideremus, in quibus quando non est ulla ambiguitas, non est admittenda voluntatis quæstio, l. 25, § 1, *D. de legat.* 3: adde quod mancipatione interveniente testamenta olim ordinata sint, § 1, *Inst. de testament. ordinand. Ulpian.* tit. 20, § 2, ac primo quidem testator familiam suam, sive hereditatem ipsi vendiderit heredi, sed postea alii, quum id periculosum videretur testatoribus, notum esse

quemnam habituri forent heredem *Theophil.* ad § 1, *Inst. de testament. ordin.* et § 10, *ib. heredem, qui imaginem d. t.* in mancipationibus vero id quod lingua nuncupasset, jus esse sanxerint duodecim tabulæ, *Cicer. de Offic.* lib. III, cap. 16; *Fest. v. nuncupata*, quod et ad testamenta interpretanda dextre applicat Cicero *de Orator.* lib. I, cap. 57, atque inde postea quoque dicta videtur testamenti nuncupatio, quæ est declaratio voluntatis, quam olim apertis verbis faciebat testator: formulam exhibet Ulpianus tit. 20, § 9: « In testamento, quod per æs et libram fit, duæ res aguntur, familiæ mancipatio, et nuncupatio testamenti. Nuncupatur testamentum in hunc modum. Tabulas testamenti testator tenens ita dicit. Hæc uti in his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor: itaque vos Quirites testimonium præbitote (vel potius *perhibetote*); » ut adeo omnia, quæ essent scripta, pro nuncupatis fuerint habenda, ac secundum scripti rationem expedienda, t. l. 16, *D. de conditionib. et demonstrationibus*, ubi verbum *juris* expungendum esse recte observavit vir egregius, Petrus Faber *Semestr.* lib. III, cap. 15. Quin imo quamvis testator professus fuisset, sese testamentum condere, quia filius suus interiisset, sic etiam causæ in ultima voluntate expressæ falsitas dispositioni, utpote causam non requirenti, nihil officeret § 31, *Inst. de legat.* l. 17, § 2; l. 72, § 6, *D. de conditionibus et demonstrationibus;* unde et heredi in testamento priori scripto contra institutum in posteriori, in quo diserte, sed per errorem professus fuerat testator, se hunc instituere, quia quos voluerat habere non potuerat, opus fuit principi supplicare, qui ei etiam subvenit l. ult. *D. de heredibus instituend.* ubi *modus* accipitur pro *causa.* Hic igitur militi illi vel veterano tantum non contra torrentem natandum et nitendum fuit. Nondum illud contra juris rigorem tunc invaluerat, ut etiam ob præsumptam testa-

toris voluntatem testamentum vi sua privaretur, nisi quum filii postea nati essent testatori sui heredes; illos enim testamentum parentis rupisse, idque jam suo tempore certum fuisse docet Antonius apud Ciceronem *de Orator.* lib. I, cap. 57, ubi postquam dixerat, de causis in jure non dubiis omnino non solere in judicium vocari, quod jam attigimus, hæc subjicit: « Num quis eo testamento (forte *ex test.*), quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus est, hereditatem petit? nemo, quia constat agnascendo rumpi testamentum. » Idem attingit Cicero *pro Cæcin.* cap. 25. Et quis verus et bonus erit pater, qui credi posset velle, ut bonis suis omnibus ad alios delatis, liberi, quos illi naturalis instinctus maximopere commendat, et qui nullius adversus ipsum culpæ rei esse possunt, in spem esuritionis lucem adspiciant? Aliter sese res habet in liberis tempore facti testamenti viventibus, quos sese habere parentes non solent ignorare, quibusque adeo præteritis nihil auxilii adversus testamenta patrum erat proditum, non magis quam exheredatis ab initio est datum, dum pater quos ipsi licebat vel occidere, etiam a suis bonis excludere poterat, l. 11, *D. de liber. et postum.* Paulatim tamen hæc juris durities displicuit, tam prudentum auctoritate, quam centumviralibus judiciis, quibus etiam prætor urbanus præfuit; is vero juris civilis non adjuvandi tantum ac supplendi, sed corrigendi quoque facultatem habuit l. 7, § 1, *D. de justit. et jur.* Pro filio vero in hoc exemplo faciebat voluntas patris inde satis manifesta, quod demum, nuncio de ejus morte accepto, secundum testamentum fecisset, in quo alii erant instituti heredes; nihil occurrebat præterea in filio, quare videretur privandus paterna hereditate: abfuerat quoque reipublicæ causa, et quidem in militia, cui plurimum favoris Romanos indulsisse vulgatissimum est; illic absumptus flos ætatis, labores et pericula tolerata, vulnera quoque

adverso corpore pro patria accepta, quorum cicatrices ostendebat. Hic sane evidentissima æquitas judices coegit universos, ne paterentur jus summum in manifestam iniquitatem degenerare, adeoque ut, rescisso paterno testamento, hereditatem ipsi adjudicarent. Uti autem jura increscere cum tempore solent, initio alicunde sumpto, etiam ex singularibus exemplis, qualia habemus § 1, *Inst. de fideicommissar. hereditatib.* pr. *Inst. de codicill.* l. 1, pr. *D. de ventr. inspiciend.* ita eo usque res processit, ut in jus abiret ordinarium, quod filiusfamilias a patre præteritus per ignorantiam non tantum, sed et sine ulla distinctione testamentum ejus faceret ipso jure nullum; de quo aliquid scripsi ad Ulpianum tit. 22, § 2, et *in Orat. de jurisprudent. M. Tull. Ciceron.* Tandem Justinianus idem esse voluit in omnibus suis heredibus præteritis, sublato, quod antea observatum fuerat, sexus et gradus discrimine, § 5, *Inst. de exheredation. liberor.* l. 4, *C. de liber. præterit. vel exheredat.*

Consiliis. Quatuor fuisse simul in uno loco congregata docet Plinius lib. IV, epist. 24; lib. VI, epist. 33: judicia quatuor vocat Quinctilianus *de Institution. orator.* lib. XII, cap. 5, qui tamen alibi duas hastas iis adscribit, lib. V, cap. 2, et centumviralia judicia duplicia lib. XI, cap. 1: nec ut inter tempora distinguamus, quasi antea duo, postea quatuor, fuerint, sinit Quinctilianus, de suis temporibus ubique loquens, nec Valerius Maximus, qui dum omnium meminit consiliorum, plura fuisse quam duo, clare indicat. Forte utraque hasta ad duo pertinuerit consilia, et hoc voluerit Quinctilianus lib. V, cap. 2, scribens partes centumviralium in duas hastas esse divisas. Evenit vero etiam, ut actores hic pro parte obtinerent, pro parte causa caderent *Plin. d.* lib. VI, epist. 33; l. 76, pr. *D. de legat.* 1.

II. *Item M. Annæus*, etc. In priori specie effectum

est sortita voluntas vera testatoris, insuper habito juris rigore, ipsoque testamento rescisso; in sequentibus contra certam defunctorum mentem, claramque et omni jure validam dispositionem judicatum est : quod sane majorem longe difficultatem habuit, quum neque jurisconsulti, neque prætores cum centumviris possent juri certissimo aperte et directo adversari, nec testamentum, quod legis vim habebat, evertere. Interim nulla æquitatis ratio patiebatur, ut iniquissima etiam parentum adversus liberos judicia nullo prorsus modo hi possent oppugnare. Solent in ejusmodi casibus, ubi tam aperta inter strictum jus atque æquitatem est pugna, jurisconsulti et prætores iniquitatem illam, cui tollendæ pares non sunt, per fictiones et commenta eludere, aliquid, quod fieri quidem potuit, at factum non est, pro facto habentes : quam in rem videri poterunt quæ habet ante laudatus Ger. Noodt *Probabil.* lib. III, cap. ult. et ego aliquid eodem pertinens notavi *ad Ulpian.* tit. XI, p. 592. Adhibitus, scilicet, est color, quasi testator sanæ non fuisset mentis, quando testamentum ordinavit pr. *Inst. de inofficios. testament. ubi vid. Jan. a Costa*, l. 2, l. 5, l. 13, *D. eod. tit.* ac proinde testamenti factionem non habuisset l. 17, § 1, *D. eod. tit.* hereditasque ita ab intestato ad actorem pertineret. Quo circuitu opus non fuisset, si lex ipsa tale prodidisset remedium : unde viri doctissimi recte existimant oriundum id esse ex moribus, sive jure non scripto, uti vocatur a Pomponio l. 2, § 5, *D. de origin. jur.* atque hoc sensu dici esse inductum pr. *Inst. t. t.* Jure novissimo *Novellæ CXV*, quo imperator Justinianus certam huic rei formam præscripsit, qua non servata sola heredis institutio per inofficiosi querelam rescinditur, hæc fictio videtur esse supervacua.

A Suffenate avunculo adoptatus. Illud explicatu difficile est, quo pacto filius in adoptionem datus testamen-

tum patris naturalis, in quo erat præteritus, inofficiosum dicere potuerit: est enim querela nihil aliud, quam quædam hereditatis petitio l. 20, l. 21, § ult. l. 27, § pen. *D.* l. 34; *C. de inofficios. testament.* l. 3, *C. de petition. hereditat.* quod plenius ostendit. vir cl. Arn. Vinnius *Selectar. quæstion.* lib. I, cap. 19, nempe, ab intestato: adeoque qui illam recte movebit, nisi sit suus et ipso jure heres, necesse habet prius hereditatem ab intestato adire, vel bonorum possessionem litis ordinandæ gratia accipere l. 6, § ult. l. 7, l. 8, pr. *v. sequente*, *D.* l. 2, *C. de inofficios. testament.* atque ita adversus testamentum querelam movere, per quam si obtinuerit, tunc demum hereditas bonorumve possessio stabili jure ad ipsum pertinebit l. 8, § 16, *D. d. t.* Quod si quis ab intestato non vocatus egerit, ac per errorem forte adversarii vel judicis victor exstiterit, is aliis leporem, ut ita dicam, excitaverit, successores enim ab intestato, rescisso testamento, rem habebunt, l. 6, § 1, *D. d. t.* Hic viro filius in adoptionem datus naturali patri erat extraneus, § 4, *Inst. de exheredation. liberor.* ac familiam ejus abdicaverat in aliam transeundo, ut scribit Servius *ad Virgil. Æneid.* lib. II, v. 156, *in schedis*: itaque alteri patri jam assignatus l. 17, *D. de bonor. possessionib.* omnem spem in hoc debebat ponere, nec voluntatem ultimam naturalis patris turbare, secundum ea, quæ et imp. Justinianus statuit l. 10, *C. de adoptionib.* querelam prorsus denegans ei, qui in adoptivi patris potestatem transiit (quod olim ordinarium, hodie tunc tantum obtinet, quum quis ab adscendente est adoptatus), probata sententia Papiniani, improbatoque Paulo, qui illam sine effectu relinquebat, ac Marciano, qui distinctione rem temperabat. Sic ergo tanquam filius querelam non habuit M. Annæus a naturali patre præteritus. Sed nec eidem dari potuit bonorum possessio contra tabulas, quam prætor dat liber-

ris emancipatis præteritis, patris judicium rescindens l. 16, § 1, *D. de inoffic. testam.* l. 1, pr. *D. de leg. præst.* etc. non tam ob fictam dementiam, quam ut contra taciturnitatem patris eis succurreret l. 4, *C. de liber. præterit.* præterquam enim quod illud auxilium non ante a prætore indultum fuisse videatur, quam postquam plane constitit, filiumfamilias præteritum patris testamentum jure civili facere nullum; et quidem, rescissa, sive neglecta, quæ illis obstabat, emancipatione l. 6, § 1, *D. de bonor. possessionib.* ut ea ratione, quantum fieri posset, emancipatos suis exæquaret: verum adeo nihil hoc ad datos in adoptionem pertinet, § 10, 12, *Inst. de hereditatib. quæ ab intest. deferunt.* ut etiam emancipatus præteritus, si mortuo patre ante petitam eamdem bonorum possessionem sese adrogandum dederit, illam amittat, l. 3, § 6, *D. de bonor. possession. contr. tabb.* Unus casus est, quo illi bonorum hanc possessionem prætor largitur, quando alii parentis testatoris liberi præteriti sunt, quibus illa conceditur, atque ipse ex minore parte est institutus, ut tunc æqualem habeat cum aliis portionem l. 8, § 11, l. 10, pr. *D. d. t.* (in quarum legum posteriori τὸ *instituti*, vel, ut alii legunt, *institutis* redundat, quum præcesserit *scriptis*): et sic inter liberos quoque quando scripti sunt heredes computatur quod ad exigendas a liberto operas, l. 7, § 8, *D. de oper. libertor.* Extra has species hoc beneficium prorsus cessat. Eadem vero ratione nec dari potuit huic filio bonorum possessio unde liberi, quæ emancipatis ab intestato datur etiam litis de inofficioso ordinandæ gratia, secundum jam præmissa: quaque obtenta, hi exheredati de inofficioso agunt; verum hæc pari passu cum bonorum possessione contra tabulas ambulat, l. 1, § 6, *D. si tabul. testament. null. exstab. unde liber.* Nihilne igitur inveniri posset, quo defendatur centumvirale decretum, nec injuria vel scriptis vel legitimis he-

redibus illata sit? nihil habet Valerius Maximus. Fieri tamen id potuit, si ponamus, secundum jus quod antecessit *Novellam* CXVIII, quodque in Pandectis, Codice et Institutionibus habemus, nullos a naturali patre relictos esse nec liberos alios, nec agnatos: et de liberis id est verisimile, dum nulli non tantum memorentur, sed et soli instituti sint remotiores sanguine juncti. Agnatos quoque adfuisse nihil est quod evincat, nec enim sanguine juncti, quorum hic fit mentio, statim etiam agnati fuerunt ac de familia; ac nulli fuerunt, si fingamus patrem naturalem a patre suo emancipatum fuisse, sic enim omne jus agnationis perit § ult. *Instit. de legitim. agnator. tutel.* In hac specie prætor, naturalem æquitatem sequutus, ab intestato cognatos successive vocat ad bonorum possessionem unde cognati, et quidem hunc filium, ut proximum, primo loco § 13, *Inst. de hereditatib. quæ ab intestato deferunt.* § 2, *Inst. de succession. cognator.* l. 1, § 4, *D. unde cognat.* l. 2, § 9, *D. ad S. C. Tertullian. et Orphitian.* quum minima capitis deminutio jura cognatorum non imminuat § ult. *Inst. de legitim. agnator. tutel.* § 6, *Inst. de capit. deminution.* l. 10, § 2, *v. neque. C. de adoptionib.* Hac vero ipsa bonorum possessione accepta, querela movetur in l. 6, pr. *D. de inofficios. testament.* nec alia bonorum possessio intelligenda in exemplo quinto in hoc capite: plenoque jure et irrevocabili habere eam potuit filius, everso per querelam testamento l. 8, § 16, *D. inofficios. testament.* Nec diversa de hoc loco sententia fuit viri summi, Jacobi Cujacii ad l. 6, pr. et ad l. 30, *D. d. t.* sed paucis expressa. Ita videri posset superata omnis difficultas, dummodo tunc fuerit sublata successio gentilitia ex lege duodecim tabularum, qua, deficiente proximo agnato, vocabantur gentiles, testibus Caio et Ulpiano, quorum verba habet collatio Mosaicarum et Romanarum legum tit. ult. n. 2 et 4, qui-

que docent illud suo tempore in usu non fuisse. At quando hoc judicium agitabatur, illud viguisse ostendunt Cicero *de Orator.* lib. I, cap. 38; Catullus *carmin.* 69, *ad Manlium;* Suetonius *Cæsar.* cap. 1: imo ejus, ceu Trajano imperante usitati, meminit Plinius *Panegyric.* cap. 37: et forte demum illud sublatum est sub Hadriano, ut et alia multa tunc fuerunt mutata, imo et edictum perpetuum conditum l. 2, § 18; l. 3, § 18, *C. de veter. jur. enucleand.* unde et is princeps rempublicam legibus imbuisse dicitur a latino Pacato *Panegyric. ad Theodos.* cap. 11: ita inter nostros jurisconsultos ac hos scriptores optime conveniet: sed nec illi gentiles M. Annæo obstitere, si speciem retineamus, quam posuimus; patre enim ejus emancipato, quod olim fieri non potuit, quin aliquis in imaginariam servitutem deduceretur, l. 3, § 1, *D. de capit. minut.* per illam deminutionem capitis sublatum fuit jus non tantum agnationis, § ult. *Inst. de legitim. agnator. tutel.* sed et gentilitatis, auctore Cicerone *Topic.* cap. 6, uti illud quoque factum est adrogatione, id. *Cicer. pro domo* cap. 11. Tale quid nisi intervenerit, cum juris civilis vel prætorii ratione decretum centumvirorum conciliari nequit.

Rescidit. Quemadmodum accusator dicitur reum damnare, dum efficit, ut is a judice damnetur, apud Quinctilianum *declamation.* 313, 331, 361, aliosque; et condemnare apud Ulpianum l. 2, pr. *D. ad leg. Jul. de adulter.* ita is hic dicitur testamentum rescindere, qui in judicio rescissionem obtinet l. 24, *C. d. inofficios. testament.* l. 16, *C. famil. erciscund.* et liberi per bonorum possessionem contra tabulas judicia parentum rescindere l. 1, pr. *D. de legat. præstand.* quamvis re vera id sit beneficium prætoris.

Ipso quidem Pompeio signatore. Officium signandi testamenti, quod advocatorum muneri et commendationi

candidatorum æquiparat Seneca epist. VIII, etiam summæ dignitatis viros aliis præstitisse, apparet quoque ex Cicerone, qui jam dudum consularis, Cyri architecti testamentum signavit, uti ipse id narrat, *Oration. pro Milon.* cap. 18, quum in eodem esset heres scriptus, quod tunc temporis licitum fuisse docet imperator § 10, *Inst. de testament. ordinand.* ne dicam de Claudio, quem adhuc privatum idem fecisse Suetonius scribit *Claud.* cap. 10: verum illud exemplum minoris est ponderis, quum is multa egerit minus decora

Cum parentis cineribus. Quasi querela inofficiosi mortuorum cineres quietos esse non pateretur; ut loquitur cap. seq. ex. 4, dementiæ enim accusabatur testator. Ne vero quis existimet, ideo adhibitum esse illum prætextum, quia pius filius in patre mentis errorem morbo potius adscriberet ac fato, quam moribus, ut loquar cum Calpurnio Flacco *declamat.* 30: tale enim aliquid allegandum erat, quo testamentum necessario vim amitteret, ad quod vitium morum vel durities non suffecisset.

Paterna bona. Accurate loquitur; nec enim filius hereditatem, quæ jure civili obvenit, sed bonorum possessionem ex edicto prætoris, adeptus est.

Sacramento cum adolescentulo contendere. Sponsione litigator unus alterum solebat provocare, ni vera foret ipsius intentio, de summa pecuniæ, quæ ipsa sacramentum appellabatur, teste Festo *v. sacramentum*, et quidem deponenda erat apud pontifices; unde victor suam recuperabat, victi vero pecunia ad ærarium redibat, *Varr. de ling. latin.* lib. V, p. 42. Plura habent Budæus *ad Pandectas* p. 28; Sigonius *de judic.* lib. I, cap. 21; Brissonius *de formul.* lib. V, p. 369, et *de verbor. signification. h. verb.* Dictum vero esse reum sacramento esse provocatum ab actore, ipsum autem sacramento contendere, quod putat Sigonius, dubito an perpetuo observatum sit;

certe dicitur noluisse contendere is, qui debuisset agere, cap. seq. ex. 2.

Tabulas testamenti. Ante dixerat *testamentum*, inter quæ duo in jure nostro distinctio est notanda: accurate si loquamur, testamentum est verbum juris civilis, vimque habet legis, de quo jam diximus. Tabulæ vero testamenti, quibus verbis uti solet prætor, corpus aliquod et rem factam denotant; quod bene observavit vir cl. Ant. Faber *de errorib. pragmaticor.* decad. 30, err. 8, n. 4: quid vero per tabulas intelligatur, plene docet Ulpianus l. 1, pr. *D. de bonor. possession. secund. tabul.* Eademque ratione prætor non defert hereditatem, quod beneficium est legis, senatus, vel principis, sed bonorum possessionem pr. *Inst. de bonor. possessionib.* quæ verba quoque factum denotant; licet re ipsa prætor in jure reddendo bonorum possessorem per omnia pro herede habeat, *d. pr. Inst.* l. 1, l. 2, l. 3, *D. de bonor. possessionib.* actionesque hereditarias, quamvis jure civili nec illi, nec in illum competant, tamen ei accommodet pr. *Inst. de perpet. tit. temporalib. actionibus*, atque in eum reddat: quas fictitias vocat Ulpianus tit. 28, § 12, ad quem nonnulla notavi. Cæterum scripti heredes quoque potuerunt, imo et debuerunt petere bonorum possessionem secundum tabulas, vel ex testamento hereditatem adire, ut tanquam legitimi contradictores in hoc judicio possent comparere: sed victoria filii illis hæc abstulit.

Et aliquantulum adjuvabat heredes, quod M. Annæus in Suffenatis familiam ac sacra transierat. Loquutio hæc originem habuit a sacris familiæ cuique propriis, ac frequenter in jure sacra patris usurpantur pro potestate patris vid. *Brisson. de verbor. signification. h. v.* Ut autem hæc ratio valuerit, credi debet is moriente naturali patre in Suffenatis familia fuisse; ex ea enim si exiisset, eodem fuisset habendus loco, ac si a naturali patre fuisset

emancipatus, § 4, *Inst. de exheredation. liber.* ac jus naturale filii habuisset, l. 4, fin. *D. si tabul. testament. null. exstab. Unde liber.* Quod autem Festus *v. myrtea* videtur indicare, liberos in adoptionem datos naturali patri mansisse suos, adducta quoque auctoritate Servii Sulpicii. Id non tantum est duriusculum, ut vir doctus scribit, sed falsissimum : ac sunt illic quædam non tam ex schedis Festi, quam supplementis recentiorum, quos hac in parte sequi non possumus. Tangit hoc Guil. Ranchinus *Variar. lection.* lib. I, cap. 1 ; sed nihil extricat.

III. *Divus Augustus*, etc. Dubitatione prorsus carere videbatur, quod filius infans a patre exheredatus adversus ejus testamentum haberet inofficiosi querelam pr. *Inst.* l. 3, l. 4, *D. de inofficios. testament.* Sed hinc quoque colligere licet, non nisi sensim hoc jus plene invaluisse, utpote in fraudem quodammodo legis duodecim tabularum inventum, unde et adhibito furoris colore intentari debuit. Forte hoc ipsum quoque ac sequens exemplum, ob Augusti auctoritatem, aliquod huic rei momentum attulerunt. Cæterum nec tunc temporis, nec diu postea, pro lege sunt habita quæ princeps in causa quadam decrevisset, uti nec rescripta; de quibus plura scripsi in dissertatione *pro rescript. imperator. romanor.* § 4.

In bona paterna ire decreto suo jussit. Fuit hic infans ab intestato patri ipso jure heres, utpote suus, adeoque etiam eo vivo quodammodo dominus, § 2, *Inst. de hered. qualitat. et different.* quales post parentum mortem non tam hereditatem videntur percipere, quam liberam bonorum administrationem consequi, auctore Paulo l. 11, *D. de liber. et postum.* sic ut nec aditio hereditatis jure civili, nec bonorum possessionis adeptio jure prætorio, requiratur ad movendam querelam l. 7, *D. de inofficios. testament.* ipsa tamen corporalis possessio, sive bonorum detentio non ita adquiritur, uti nec aliis heredibus hereditate su-

scepta, nisi naturaliter apprehensa fuerit l. 23, pr. *D. de adquirend. vel amittend. possession.* l. 1, § 15, *D. si is qui testament. liber ess. juss. erit*, etc. Hoc vero vel infans potest agere, modo quod illius judicio deest, suppleatur auctoritate tutoris l. 32, § 2, *D. de adquirend. vel amittend. possession.* Atque etiam per tutorem aut tutores delatam esse ad Augustum querelam credendum est.

IV. *Filiis irata.* Injuste, videlicet; alioquin oggeri illis potuisset, justas irascendi causas matrem habuisse, quomodo sese pronunciasse contra filium a matre exheredatum scribit Plinius lib. V, epist. 1.

Utrumque præteriit. Qualis præteritio matris etiam hodie nihil juris tribuit liberis, quam de inofficioso querendi, § ult. *Inst. de exheredation. liberor.*

A quibus aditus Divus Augustus. Qua ratione? quum liberi ad hereditatem matris, cui nec sui sunt, nec adgnati, demum vocati sint ab intestato per senatusconsultum Orphitianum, imperante Marco Antonino pr. *Inst. de S. C. Orphitian.* l. 9, *D. ad S. C. Tertullian. et Orphitian.* imo ne quidem tunc a prætore admissi sint liberi ad bonorum possessionem, nisi adgnatis et gentilibus deficientibus, tamquam proximi cognati; quibus proinde ne injuria illata esse ab Augusto videatur, ita erit formandus casus, ut Septicia ex familia patris sui, vel pater ejus, vel avus ex familia patris avive per emancipationem exierit, secundum ea, quæ dicere antevertimus; adeoque adgnatum vel gentilem ab intestato successorem non habuerit; quale quid etiam admittendum est in exemplo, cujus meminit Plinius lib. V, epist. 2. Ita licuisset liberis Septiciæ impetrata bonorum possessione, Unde cognati, matris testamentum, seu inofficiosum accusare; ac victoria obtenta, illam cum pleno effecto habere: verum videntur illi recta ad Augustum sese contulisse. Alia forte via quis putet hosce filios uti potuisse, ac hereditatem ab intestato ha-

bere? si credamus Septiciam patri liberorum in manum convenisse, usu, farre, vel coemptione, de quibus late agit vir cl. Petrus Pithœus *ad Collation. mosaicar. et romanar. leg.* tit. 16, nec non viri docti ad Caii Institutiones lib. II, tit. 8. Sic enim liberi erant matri quasi consanguinei, sive fratres et sorores ex eodem patre, auctore Ulpiano in eadem collatione relato d. tit. n. 6, quum mulier ita nubens esset viro tanquam filia, teste Caio *in ead. collat.* d. tit. n. 2. At præterquam quod jus illud fuerit fragile, ac muliere postea in alterius manum conveniente debuerit evanescere, non est verisimile Septiciam alia lege priori viro nupsisse, quam posteriori, cui dotem solummodo dedit: adeoque in patris sui potestate, vel sui juris remansisse videtur; quin nec illa tempestate mulieres opulentiores sese viris tam dura conditione junxisse existimo, ut sese demitterent in sortem filiarumfamilias, bona illarum universa maritus adquireret dotis nomine; quod factum esse docet Cicero *Topic.* cap. 4; adeoque ipsæ nihil habere possent, nisi peculia, secundum notata ad Ulpianum tit. 9, nec testamenta facere; uti ostendi *ad eumd.* tit. 20, § 15. An autem inde quoque inter alia illud ortum sit, ut Tiberio imperante raræ essent confarreatæ nuptiæ, quod indicat Tacitus *Annal.* lib. IV, cap. 16? alii viderint. Dixi de hoc exemplo aliquid ad Ulpianum tit. 26, § 7.

Nuptias mulieris ... improbavit. Eo usque, videlicet, ne vir dotem lucraretur, de quo mox; non ut plane essent nullæ.

Hereditatem. Improprie loquitur; nec enim liberis hereditas jure civili competere poterat, sed tantum bonorum possessio jure prætorio. Hæc tamen hereditatis nomine interdum venit; non modo in edicto Verris relato a Cicerone *in Verr.* lib. I, cap. 45, sed et in l. 138, *D. de verbor. signification.*

Non quærendorum liberorum causa, etc. Pii hujus voti

eorum, qui matrimonio operam dant, mentio in l. 220, § 3, *D. de verbor. signification.* ad quem locum plura congessere viri eruditi, item apud Ulpianum tit. 3, § 3, ad quem nonnulla adjeci.

Virum retinere vetuit. Quod alioquin volebat juris dispositio in dote adventitia, auctore Ulpiano tit. 6, § 5, hoc est, dote, quam ipsa mulier, aut pro illa extraneus dedit, opposita doti profectitiæ, quam pater avusve paternus pro filia vel nepte dat, *Ulpian. de tit.* § 3, l. 5, pr. et §§ seqq. *D. de jur. dot.* Augustum vero, ut ita ex bono et æquo quasi magister morum magis, quam judex, decerneret, movisse videtur rei indignitas. Dixi aliquid *ad Ulpian. d. loco.*

V. *Prætoris urb.* Ita recte scriptum est: prætor enim urbanus solus hastæ centumvirali, apud quam tales controversiæ agitari solebant, præfuit; de quo jam dictum est: atque ita libros veteres habere testatur vir summus, Jacobus Cujacius *Observ.* lib. IV, cap. 15, existimans quoque ut quidem mihi videtur, rectissime, neminem magistratum in Urbe dedisse bonorum possessionem, quæ hic data memoratur, nisi prætorem, hoc saltem tempore (Pighius in margine vult fuisse U. C. annum DCLXXXII), imo et diu postea; nisi quod etiam consules id facere potuisse nolim inficiari, quin et integris verbis *prætoris Urbis* scriptum in libro MS. se invenisse testatur vir cl. Jac. Rævardus *Protribunal.* cap. 17. Quomodo etiam in pluribus aliis reperiri monuit doctissimus Torrenius ad h. l. Itaque stare non potest quod in plerisque libris exstare testatur vir cl. Justus Lipsius *præfecti Urbis*, ac placet etiam viro doctissimo Scipioni Gentili *ad Apulei. Apolog.* n. 45, amboque id quod hic adscribitur C. Pisoni, referre conantur ad L. Pisonem, præfectum Urbi sub Tiberio, cujus meminit Tacitus *Annal.* lib. VI, cap. 10 et 11: verum præter discrimen inter prænomen, cui tamen soli non insisterem, illud notari

meretur, vix ullam illorum, quæ illo tempore acciderint, mentionem fieri a Valerio Maximo; et præfectum Urbi sub Tiberio bonorum possessiones dedisse, unde probabitur. Nimis longe petitum est, quod Apuleius narrat *in Apolog.* p. 274, Lollium Urbicum de aliquo testamento pronunciasse id ratum esse debere; et occurrat in inscriptionibus aliquis Lollius Urbicus præfectus Urbi apud Gruter. p. 38, inscript. 13, quum præterquam quod in eadem inscriptione apud Aldum Manucium *in Orthograph.* p. 46, non legatur PRÆF. sed PRÆT. Unde etiam liquebit eumdem cum priori hunc esse, et præterea, dum præfectus fuit, illud pronunciasse, vel etiam bonorum possessionem dedisse?

Constitutio. Hoc est, decretum. Ita Seneca *de beneficiis* lib. IV, cap. 38, constitutionem vocat quod antea nominaverat decretum, in hisce verbis: *Præbe in facie tua legendum illud decretum, quo cavetur, ne miseros tecto juvare capitale sit. Magis ista constitutio sic erat rata, quam si illam in æs incidissem.*

Terentius ex octo filiis. Vir egregius J. Lipsius mallet *cum octo*: sed sequentia ostendunt reliquos nonnisi septem fuisse, unumque ex octo in adoptionem datum naturalem patrem exheredasse.

Ab uno in adoptionem dato exheredatum se. Liberi primum admissi videntur ad impugnanda parentum testamenta pr. *Inst. de inofficios. testament.* utpote, quibus naturalis ratio, quasi lex quædam tacita, parentium hereditatem addicat, velut ad debitam successionem eos vocando l. 7, pr. *D. de bon. damnator.* Si tamen, turbato mortalitatis ordine, liberi sui juris facti, nec ipsi liberos habentes, parentes excluserint, his quoque idem remedium accommodatum est § 1, *Inst.* l. 15, pr. *D. de inofficios. testament.* quamvis liberi in adoptionem dati fuerint l. 10, pr. *D. d. t.* obtenta tamen prius ab intestato bonorum possessione, Unde cognati, secundum ante a no-

bis tradita : hæc vero ipsa ut sine cujusquam injuria ex edicti ordine obtineri potuerit, opus fuit, ut vel hic filius ab adoptivo patre emancipatus fuerit, adeoque eodem habitus loco, quo fuisset, si a naturali patre fuisset emancipatus, et in totum oblitus adoptivæ familiæ l. 66, § 6, *D. de rit. nuptiar.* contra qualium testamenta dari querelam constat, illaque jus antiquum vocatur l. 1, § ult. *D. si a parent. quis manumiss. sit.* vel ponendum est, adoptivum patrem capite deminutum fuisse, videlicet, a patre suo emancipatum, nullosque liberos alios reliquisse (quos etiam qui habent vel sperant, adoptare non solent); ita nemo illi adgnationis vel gentilitatis jure potuisset succedere.

Querelam. Verbum hoc de illis prædicatur, qui verecunde expostulant apud magistratus de injuriis eorum, contra quos ipso jure actio ipsis non competit, veluti quum servi de dominis queruntur § 2, *Inst.* l. 2, *D. de his qui sui vel alieni jur. sunt*; l. 1, § 8, *D. de offic. præfect. urb.* quod etiam notavit Barn. Brissonius *de verbor. signification. v. querela*, unde et inter accusationem ac querimoniam accurate distinguit imp. Constantinus l. 12, *Cod. Theod. de appellationib.* Atque hæc querela adversus rigorem juris est inducta, primumque concessa est liberis ob injustam exheredationem adversus judicia parentum magistratum implorantibus : quamvis deinceps id quoque ad parentes fratresque et sorores extensum sit. Non vero semper illa subtilis verborum distinctio observatur, sed et dicitur inofficiosi actio l. 12, § ult. *D.* l. 15, § 2, *D.* l. 25, l. 27, *C. de inofficios. testament.* et accusatio l. 6, § ult. l. 17, l. 22, *D. eod.* nec plane verum est quod scribit Desid. Heraldus *de rerum judicatar. auctoritat.* lib 1, cap. 10, n. 2, querelam non vocari accusationem, quum ab eo proficiscitur, qui reverentiam debet ei, de quo illa instituitur.

Heredesque lege agere passus non est. Dederat Piso bonorum possessionem, Unde cognati, Terentio patri defuncti, utpote proximo ab intestato, ut ita esset loco heredis, neglectis plane testamenti tabulis, quibus injuriam exheredationis filius patri intulerat, qui de ea querebatur: ipsam quoque rerum corporalium possessionem, sive detentionem is erat adeptus. Contra, heredes a filio scripti, rationem meri juris pro sese habentes, hereditate ex testamento suscepta, cum Terentio, tanquam injusto rerum possessore ab intestato, quum exstaret testamentum omni jure validum, cujus causa præcedere debebat, voluerunt lege agere, nempe hereditatis petitione ex lege duodecim tabularum, quorum intentio optimo jure niti videbatur l. 1, § 1, *D. de heredita. petition.* Verum quemadmodum sæpissime evenit, ut actiones generaliter consideratæ deberent esse efficaces, at ob circumstantias singulares iniquitatem contineant, ac tunc per exceptionem reis vel possessoribus succurratur, t. t. *Inst. de exceptionib.* ita et hic Terentius illis opposuit, testamentum illud, quasi a demente factum, nihil sibi obstare debere, per modum contradictionis inofficiosi querelam movens, et recte add. l. 8, § 13, *D. de inofficios. testament.* secundum regulam, quod cui damus actionem, illi multo magis demus exceptionem, l. 156, § 1, *D. de regul. jur.* l. 1, § 4, *D. de superficieb.* cujus quando apertum est jus, uti hic erat, repellitur actor a limine judicii, arg. l. 9, pr. *D. de jurejurand.* t. t. *D. quar. rer. act. non det.*

Patria majestas. Non potestas, quæ per dationem in adoptionem erat soluta, sed dignitas, quomodo et verbum *majestas* accipit Cato ad Ciceronem lib. XV *Epistolarum familiar. Ciceron.* epist. 1, et alii. Cæterum neque hæc ratio, neque sequentes de dono vitæ, beneficio educationis, numeroque liberorum, etsi invidiam faciant testamento, decretum Pisonis ab injuria absolvere potuerunt, nisi

res ita sese habuerit, uti nos speciem antea posuimus.

Septem fratres impie exheredatos. Quod ad parentem peccatum esse non negaverim, non tamen idem quod ad fratres; quibus nunquam querela data est, nisi quum illis essent prælatæ personæ turpes § 1, *Inst. de inofficios. testament.* vel extranei, sive non municipes arg. l. pen. § 1, *D. eod. tit.* et quandoque liberti l. 27, *C. eod. tit. vid. Jac. Gothofred.* ad l. 1, *Cod. Theod. d. t.*

VI. *Impetraverat, ut restitui se in bona Næviani juberet*, etc. Nævianus hic Surdini libertus fuisse dicitur in sequentibus: in quo illud miror, quod nomen hoc *Nævianus* plane videatur non hominis libertini, sed ingenui ex gente Nævia per adoptionem in aliam translati, quum tamen liberti nomen habuerint patroni gentilitium una cum proprio nomine, ut Tullius Tiro, Octavius Terminalis, et similia. Plura collegerunt Guil. Fornerius *Selection.* lib. III, cap. 13; Dion. Gothofredus ad l. 108, *D. de conditionib. et demonstrationib.* quale nihil hic apparet. Unde verisimile videtur quod ex libris nonnullis antiquis profert vir egregius, Jacobus Perizonius *ad h. loc.* nempe *Næviana*, ut nomen fuerit *Nævius*, gentile patroni Nævii Surdini, cui tamen additum fuit quoque nomen vetus servile, quod omisit Valerius Maximus. Jam casum formemus secundum narrationem auctoris. Nævianus aut Nævius Surdini libertus in testamento heredem instituerat Genucium, Matris Magnæ gallum; is post Nævii mortem, prolatis testamenti tabulis, impetraverat non tantum bonorum ejus possessionem secundum tabulas a Cn. Oreste prætore urbano, et recte sane, l. 1, § 2, *D. de bonor. possession. secund. tabb.* adeoque jus erat adeptus hereditario simile, secundum jam dicta; sed et ipsam corporalem rerum possessionem, quæ morte alicujus interrupta non adquiritur heredi vel bonorum possessori, nisi apprehensione. Ut vero facile hæc possit obtineri, prætor

quoque bonorum possessori remedium accommodat possessorium, quod appellatur interdictum Quorum bonorum, quo, si quis aliquid ex illis bonis pro herede vel possessore possideat, id jubetur illi restituere (hoc est, tradere), § 3, *Inst. de interdict.* l. 1, *D. quor. bonor.* quod hic dicitur *in bona restitui:* et sic Ulpianus loquitur in l. 15, § ult. *D. locati conduct.* Quid hactenus adversus edicti sui ordinem peccaverit Orestes prætor, prorsus non video. Adde quod eadem bonorum possessio, utpote edictalis, non decretalis, solennitatem quidem requisiverit olim. l. 1, l. 2, *C. commun. de successionib.* quod mutatum postea l. ult. *C. qui admit. ad bonor. possession. poss.* non tamen causæ cognitionem, sed etiam de plano dari potuerit, l. 2, § 1, *D. quis ord. in bonor. possessionib. servetur.* Quinctiam idem erit dicendum, licet ponamus Surdinum testatoris fuisse patronum, ac jam eo tempore patronum contra tabulas testamenti a liberto suo relictas petere potuisse pro parte bonorum possessionem; non enim impedit illa bonorum possessionem secundum tabulas, quemadmodum impedit bonorum possessio contra tabulas, quæ liberis datur præteritis a patre avove paterno, l. 2, pr. *D. de bonor. possessionib. secund. tabb.* quum per priorem quasi dividantur bona inter patronum et scriptos heredes, post hereditatem aditam, aut adquisitam bonorum possessionem secundum tabulas l. 4, pr. *D. de bonor. possession. secund. tabb.* l. 3, § 5, l. 36, *D. de bon. libertor.* nisi scripti heredes neutrum fecerint; tunc enim speciali edicto prætor partis destitutæ possessionem pollicetur patrono l. 6, pr. *D. de bonor. possessionib.* tanquam legitimo l. 23, pr. *D. de bon. libertor.* ut adeo tunc bonorum possessio contra tabulas liberti ex postfacto sine re et effectu relinquatur. Ita Cujacius ad d. l. 4, pr. *D. de bonor. possession. contr. tabb. ad Paul. libb. ad Edict.* Atque hoc modo rem sese habuisse

post edictnm perpetuum uti constat, imo et ante forte esse habuit, adhibita tamcn distinctione una alteraque, vid. tit. *Inst. de bon. libertor.* ita an hoc tempore (secundum Pighium anno DCLXXVI) tale quid notum fuerit, non ita certum est: utque rem ab origine repetamus, licuit liberto lege duodecim tabularum in testamento patronum præterire, pr. *Inst. d. t. Ulpian.* tit. 29, § 1, secundum generalia illius de patrefamilias legante verba: quod postea prætores emendarunt, sed sensim, data patrono partis bonorum possessione vid. l. 1, pr. § 1 et 2, *D. de bon. libertor.* et quidem dimidiæ, quæ nunc est tertia § 1 et 3, *Inst. de succession. libert.* An vero eousque jam tunc perventum fuerit, uti nolim definire, ita patrono libertos partem bonorum relinquere debuisse (saltem si liberos ex se natos mortis tempore non haberent § 1, *Inst. d. t.*) colligi posset ex Cicerone *in Verr.* lib. 1, cap. 48, ubi Verrem perstringit, non tam quod edixisset a liberto sextam partem esse relinquendam patroni filiæ (filiorum mentionem forte fecerat, quo nomine et filia continetur l. 16, pr. *D. de testamentar. tutel.* l. 45, pr. *D. de legat.* 2), sed etiam ad hereditates jam dudum adquisitas id extendisset; longe vero acerbius ipsum culpasset, si ne ipsi quidem patrono aliquid relinquendum fuisset; nunc id solummodo notat, decessorem Verris Sacerdotem edictum tale, quod ad filium pertineret, scilicet, non habuisse; uti illa tempestate edicta prætorum quotannis mutationi crant obnoxia. At quidquid etiam horum sit, nihil hactenus, nisi ex ordine edicti, indulsit Orestes: ac si quid habuisset juris Surdinus contra Genucium jam in possessione constitutum, bonorum possessionem contra tabulas obtinere potuisset, et forte in hac specie in solidum. Parenti certe liberorum manumissori, quem servorum manumissori jura æquiparant § 6, *Inst. quib. mod. jus. p. p. solv.* l. 1, et t. t. *D. si a parent. quis manumiss. sit;*

illa sic datur, si turpes personas emancipatus instituerit, non tam ex edicto tamen, quam prudentium auctoritate, l. 3, pr. *D. d. t.* idque ratione egregia subnixum fuisset, quod libertus patrono, cui ob inæstimabile libertatis beneficium in infinitum esset obstrictus, cujusque persona ipsi semper debebat esse sancta ac venerabilis, l. 9, *D. de obseq: parentib. et patron. præstand.* gravissimam intulisset injuriam, contemptissimum ac spurcum talem hominem virilitatis imminutæ ipsi præferendo. Quo pacto nunc quoque constat fratres a fratribus exclusos simili casu, si, nempe personas turpes levisve notæ macula adspersas instituerit, de inofficioso posse conqueri testamento § 2, *Inst. de inofficios. testament.* l. 27, *C. eod. tit.* Id vero si rogatus a Surdino noluisset largiri prætor Orestes, Surdini appellatio credi potuit suo non carere fundamento. Mirandum vero quod nihil tale attingat Valerius Maximus, quod jus spectet ipsius Surdini, causamque ejus stabiliat.

Appellatus Mamercus a Surdino. Itaque a prætore appellatum est ad consulem, nec mirum, quum etiam a pari ad parem appellatum fuerit, *Cicer. de legib.* lib. III, cap. 3, atque adeo et prætor prætori intercesserit, *Cicer. in Verr.* lib. I, cap. 46, appellatione ad collegam facta *Ascon. Pedian. ad Ciceron. d. l. Cæs. de bell. civil.* lib. III, cap. 20. Sic quoque ab uno decemviro ad alterum appellatum fuit, *Liv.* lib. III, cap. 36. In jure nostro non alium id habet effectum, quam ad impediendum, ne lapsu temporis ab interponenda appellatione excludatur: interim ad illum, qui appellandus fuerat, causa devolvitur l. 1, § 3, *D. appellationib.* multo ergo magis a prætore ad consulem appellari potuit; non quod apud consules quæstiones de inofficioso tractatæ quoque sint, ut Quinctilianus docet *de Institution. orator.* lib. VII, cap. 4, id enim ad posteriora pertinet tempora; verum quia ab initio non

tantum omnem habuere jurisdictionem, sed et major erat illorum potestas, omnesque magistratus illis subjecti, teste Polybio lib. VI, p. 640. In jure nostro a prætore appellatur ad præfectum Urbi l. 38, *D. de minorib.* l. 17, *C. de appellationib.* quod Mæcenatem Augusto, ut constitueret, auctorem fuisse scribit Dion Cassius lib. LXII, pag. 478.

Prætoriam jurisdictionem abrogavit, hoc est, rescidit decretum, quod prætor ex officio jurisdictionis suæ interposuerat: prætor enim quum decernit, quamvis inique, jus tamen dicit, sive reddit, l. pen. *D. justit. et jur.* non dissimili modo dicitur non improbari alicujus jurisdictio, pro eo, quod is ex sua jurisdictione statuit vel decrevit l. 57, v. *cert. D. de re judicata.*

Quod diceret Genucium, etc. Rationes hæ solæ non videntur satis validæ ad evertendum prætoris decretum, magisque ostendere, quid honestum sit vel decorum, quam ad juris normam esse exactæ. Eunuchi in jure nostro nusquam inter incapaces referuntur: quinetiam, quod plus est, ipsi testamentum possunt facere, l. 6, § 1, *D. de liber. et postum.* l. 5, *C. qui testament. facer. poss. Paul. sentent.* lib. III, tit. 4, § 2, nec usquam prodita distinctio, an quis invitus talis sit factus, an sponte sua, uti hicce Genucius, ob religionem, vel veram vel simulatam, certe non prohibitam: adeoque nec dubitavit Orestes pari eum cum aliis civibus jure habere. Non probat quoque hoc exemplum eunuchos jure capiendi ex testamento privatos fuisse, quamvis id ita visum sit Petro Ærodio *Pandect. rer. judicatar.* lib. V, tit. 10, cap. 1. Periculosum est ex solis exemplis judicare; magisque ipsa exempla ad rationem et juris regulas sunt examinanda l. 13, *C. de sentent. et interlocutionib. omn. judic.* videndumque non quid factum sit vel fiat, sed quid fieri debeat, l. 12, *D. de offic. præsid.*

Provisum est, ne obscœna Genucii præsentia, etc. Hæc ad invidiam declamatorio modo dicuntur, quasi homines ejusmodi personam standi in judicio vel jus postulandi habere non debeant, quum tamen pro se postulare etiam possint passi muliebria, capitis damnati, quique operas, ut cum bestiis pugnarent, locaverint, l. 1, § 6, *D. de postuland.*

VII. *Qui Vecilio lenoni bonorum*, etc. Est sane leno publicum damnum *Quinctilian. declamation.* 385, homoque vel maxime turpis, atque ipso jure infamis l. 1, l. 4, § 2, *D. de his qui notant. infam.* nulla tamen juris auctoritate idonea a bonorum possessione secundum tabulas arcebatur. Aliud quidem volunt Petrus Ærodius loc. cit. et Jacobus Menochius *de arbitrar. judic. quæstionib.* lib. II, cap. 534, n. 38, non alio tamen argumento quam hujus ipsius exempli, adeoque parum firmo nixi tibicine: nec quia honeste est vivendum, inde recte eviceris, ea quæ honestati repugnant, jure publico quoque ac certis pœnis in foro coerceri, nisi aliqua juris accesserit sanctio, uti sæpe etiam evenit. Qua de re videri poterunt quæ habet jam plus semel cum laude mihi memoratus Gerardus Noodt *Jul. Paul.* cap. 10 et 11, ut proinde Metellus non tam ex edicto suo, secundum quod is, qui tabulas testamenti septem testium signa habentes ostendere poterat, bonorum possessionem secundum illas recte petebat, quam ex proprio arbitratu jus reddiderit: quod alias quoque a prætore ac centumviris factum in hujusmodi quæstionibus de bonis defunctorum ac supremis judiciis, clarissime docet caput sequens, ubi dicuntur testamenta fuisse rescindenda, quæ rata manserint, nemine conquerente; de quibus tamen jurisconsulti in Digestis, et imperatores in Codice non dubitassent prorsus, quin firma atque inconcussa deberent manere. Ac videtur postea forma quædam nova et certa huic materiæ esse addita, an sub Hadriano, qui heredi-

tatis petitioni modos præscripsit ac limites l. 20, § 6, *D. de hereditat. petition.* an sub alio, viri docti viderint. Illud indubitatum, ne quidem cognatos ultra fratres ullam habere spem obtinendi hac querela, l. 1, *D.* l. 2, *C. de inofficios. testament.* Quantum vero inde abeunt in allegato capite exempla 3, 5, 6, 7, 8, 9? quibus consideratis minus hærebimus in inveniendo colore, quo Cæsar Caligula testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii neque illum, neque se heredem reliquissent, ut ingrata resciderit, auctore Suetonio *Caligul.* cap. 38.

Hac vero in specie, an heredibus aliis simul cum Vecilio scriptis bonorum possessionem secundum tabulas in solidum, an ab intestato legitimis heredibus vel cognatis Metellus dederit, id, tanquam alio pertinens, non exprimit Valerius Maximus.

Jura reddere. Alias quoque hominibus probro vel flagitio pollutis prætores jura reddere noluerunt, absque speciali juris dispositione, solo moti personarum odio. Refert Cicero in *Oration. post redit. in Senat.* cap. 9, L. Cæcilium direptoribus bonorum Ciceronis in jus adeundi potestatem non fecisse; quod tamen ad controversias de bonis ipsius Ciceronis Hotmanus restringit; ne de illis dicam, quæ per nefas patrata sunt a Verre, vel ab aliis in ipsius gratiam, de quibus agit idem orator *in Verr.* lib. II et III. Edicto quoque prætor actionem denegat de damnis et verberibus furtisve, quæ is passus est, in cujus domo alea lusum est, secundum l. 1, *D. de aleatoribus*, imo et infamibus injuriarum actionem non dari auctor est Dion. Chrysostomus *Oration.* LXV, p. 608, 609. Quod forte obtinuit tunc circa injurias leviores, uti nec leviores contumeliæ servis illatæ vindicantur § 3, *Inst.* l. 15, § 44, *D. de injur.* indistincte enim injuriarum illis denegare actionem, periculosi foret exempli; nec quidquam tale de infamibus in jure cautum legimus, etsi

injuria illis facta minoris æstimetur § 7 et 9, *Inst. de injur.* Christiani quoque sub persecutoribus similia et atrocissima experti sunt, ut non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent, *Lactant. de mortib. persecutor.* cap. 13; *Basil. Magn. in martyr. Julittam* tom. I, p. 315, 316. Illud hinc alienum, quod sæpissime justis de causis a magistratu denegentur actiones subtili jure competentes, ita jubente æquitate, de quo consuli poterit vir cl. Barn. Brissonius *de formul.* lib. V, p. 415.

JOANNIS MEURSII

ROMA LUXURIANS

SIVE

DE LUXU ROMANORUM,

LIBER SINGULARIS.

JOANNIS MEURSII

DE

LUXU ROMANORUM

LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

Divitiæ Romanorum, etiam exsulum : eæ restrictæ ab Augusto. Custodiæ nocturnæ. Liber patrimonii. Lex de modo agrorum, et pecuniæ; eaque a Julio revocata. Dio correctus.

Grave, ac fœdum, vitium luxus est; quosque semel invasit populos, gravi ruina afflixit, ac pessumdedit. Exemplum habemus clarissimum in magna illa, et augusta, gentium domina, Roma; quæ, ubi servire huic cœpit, dominatu, ac felicitate publica exuta, tantum non præceps a fastigio devoluta, sufflamen vix ullum habuit, quod sisteret ruentem. Sed veterum seculorum memoriam revocemus, et videamus laborantem graviter Urbem, ut detestemur, et caveamus. Mater hujus morbi divitiæ, quæ ingentes illic, supra modum : atque adeo sub Augusto, post triumphum alexandrinum, tantum rei nummariæ fuit; ut agrorum pretia valde intenderent, et usuræ vix trientali locus esset, quum centesima antea pro levi haberetur. Dio lib. LI : Τοσοῦτον τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων διὰ πάσης ὁμοίως τῆς πόλεως ἐχώρησεν, ὥςε τὰ μὲν κτήματα ἐπιτιμηθῆναι, τὰ δὲ δανείσματα, ἀγαπητῶς ἐπὶ δραχμῇ πρότερον

ὄντα, τότε ἐπὶ τριτημορίῳ αὐτῆς γενέσθαι. Hoc est, quod concise Suetonius in vita ejus, cap. XLI. « Invecta Urbi alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, ut, fœnore deminuto, plurimum agrorum pretiis accesserit. » Et hoc publice quidem : at vero quid privatim? videamus. Apicius habuit millies sestertium, teste Seneca, Consolat. ad Helviam, cap. 10. Hoc autem millies facit quinque milliones Carolinorum. Crispus, municeps Vercellensis, possedit bis millies, ut notat interpres vetus Juvenalis, Sat. IV. Eædem divitiæ M. Crassi perhibentur. Senecam ter millies possedisse, testatur Tacitus. Et suntne hæ immensæ opes? sunt profecto. Tamen, apud eundem Tacitum, extenuans has Nero inquit : « Plerique haudquaquam artibus tuis pares plura tenuerunt. » De Narcisso memorat Dio, lib. LX, et de Cn. Lentulo augure Seneca, de Benefic. lib. II, cap. 27, quater millies possedisse. Nondum obstupescis? Ecce, in ima plebe Isidorus aliquis servorum quatuor millia centum sedecim, juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, sestertium sexcenties, id est, tres milliones in numerato reliquit : et hic ipse multa adhuc perdiderat bello civili Julii et Pompeii. Audiamus Plinium, libr. XXXIII, cap. 10 : « C. Asinio Gallo, C. Marco Censorino, consulibus, ad VI Kal. Febr. C. Cæcilius Claudius Isidorus testamento suo edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia centum sedecim, juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in numerato sestertium sexcenties. » Et hic sub Augusto. Erant qui totas provincias possiderent. Seneca de Ira lib. I, cap. ultimo : « Acervis auri argentique incubat, et provinciarum nominibus agros colit, et sub singulis villicis latiores habet fines, quam quos consules sortiebantur. » Salvianus ad Eccles. cathol. libr. I : « Non deni-

que fundos interminabiles, et notitiam possessoris sui excedentes.» Plinius auctor est, sub Nerone sex dominos possedisse Africæ semissem. Ad has igitur opes necessarii erant ingentes libri, quibus rationes complecterentur, quot agrorum jugera haberent, et per quos colenda; quantum pecorum, et ubi pascentium; quantum servorum, quantum ædium, et qui hinc reditus annuus: et habebant etiam, vocabantque libros patrimoniorum. Seneca de Benefic. lib. VII, cap. 10: «O miserum! si quem delectat sui patrimonii liber magnus; et vasta spatia terrarum, colenda per vinctos; et immensi greges pecorum, per provincias, ac regna pascendi; et familia bellicosis nationibus major; et ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia. Locus insignis, et in quo singula lectorem abripiunt ad stuporem: adeoque exsules ipsi immensas quoque opes habebant. Seneca, Consolat. ad Helviam, cap. 12: «Eo temporum prolapsa luxuria est, ut majus viaticum exsulum sit, quam olim patrimonium principum.» Inhibuerat Augustus, et frenum injecerat, edicto, ne quis eorum servos, aut libertos, supra viginti haberet; neu plus quingentis millibus nummum, id est, viginti quinque millibus Carolinorum. Auctor Dion libr. LVI. Obstupescendas certe divitias! eo magis, quod tantam paupertatem sint sequutæ. Sub Romulo enim duo jugera divitiæ erant, neque ultra quisquam habuit. Plinius lib. XVIII, cap. 2: «Bina tunc jugera pop. rom. satis erant, nullique majorem modum attribuit.» Et constitit quam diutissime modus hic istorum opibus. Anno Urbis CCXCII L. Quinctius Cincinnatus, dictator, quatuor jugera habuit: anno CCCCXCVIII Attilius Regulus septem. Vis tempora non longe ab imperio remota? M. Scaurus, princeps senatus, habuit sola sex mancipia, totusque ejus census fuit triginta quinque millia nummum; id est, mille septingenti quinquaginta Carolini. Jam matrimonia quoque, et dotes

inspiciamus. «Tatia, Cæsonis filia, ait Valer. Max. maximam dotem ad virum, decem millia æris, attulisse visa.» Hi sunt ducenti Carolini. Senatus Scipionis filias elocavit, deditque ex ærario dotem undecim millia æris, sive Carolinos ducentos viginti. Megullia, quia cum centum millibus æris, id est, mille florenis, mariti domum intravit, Dotatæ cognomen accepit. At quantum excrevit postea, crescentibus divitiis! Juven. Sat. X, de Messalina, 333:

> .... dudum sedet illa parato
> Flammeolo, tyriusque palam genialis in hortis
> Sternitur, et ritu decies centena dabuntur
> Antiquo.....

Vides augmentum? decies centena sunt quinquaginta millia florenorum: atque ea tunc frequens dos. Martialis lib. II, epigr. 65, v. 4:

> Illa, illa dives, mortua est Secundilla,.
> Centena decies quæ tibi dedit dotis?

Tacitus Annal. II: « Posthabitam decies sestertii dote solatus est.» Sed an nullæ leges, quæ immodicas istas, sæpe etiam injustas, opes coercerent? ita. Agrorum modum quingenta jugera statuit C. Licinius consul, anno ab Urbe CCCLXXXVI: auctores Livius lib. VII, et Plutarchus in Camillo. Pecuniæ quoque ne supra sexaginta sestertia, sive tria millia Carolinorum, possidere liceret, lege cautum fuit, quam revocavit Julius Cæsar. Dion lib. XLI: Ἐπειδή τε συχνοὶ πολλὰ χρήματά τε ἔχειν, καὶ πάντα αὐτὰ ἀποκρύπτειν ἐλέγοντο, ἀπηγόρευσε, μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ, ἢ καὶ χρυσίῳ, κεκτῆσθαι· οὐχ ὡς καὶ αὐτὸς τὸν νόμον τοῦτον τιθεὶς, ἀλλ' ὡς καὶ πρότερον ποτὲ εἰσηνεχθέντα ἀνανεούμενος. Sed mendosus locus sine dubio, et scribendum πενταχοσιακισχιλίων· ea erunt trecenta millia: atque hæc justior ratio. Nam quid

obsecro, licitum fuerit paupertina adhuc Roma agrorum habere jugera quingenta; ea autem opibus jam abundantissima pecuniæ tantum florenos tres mille? nulla est ratio, aut proportio. At vero hic modus servatus non fuit, et silentium legi validior luxus imposuit; quippe sub Augusto aliquis ex ima plebe reliquit in numerato sestertium sexcenties, ut paulo ante commemoravi. Ad ædes autem, et quæ in iis opes, servandas adhibebantur custodiæ nocturnæ servorum, quæ adversus vim, aut incendia, excubarent, Juvenalis Sat. XIV, v. 304 sqq.

> .... misera est magni custodia census.
> Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
> Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
> Electro, signisque suis, phrygiaque columna,
> Atque ebore, et lata testudine.....

CAPUT II.

Luxus, et prodigalitas Romanorum in genere. Martialis emendatus.

Opes tam immensas, quas vidimus, ut solet plerumque, sequutus est luxus, et prodigalitas, in vestibus, supellectile, ædibus, conviviis, comessationibus. Tigellius quinque diebus prodigere poterat florenorum quinquaginta millia: eam enim summam faciunt decies centena. Horatius de eo testatur, Sat. I, 3, v. 25 sqq.

> .... decies centena dedisses
> Huic parco paucis contento, quinque diebus
> Nil erat in loculis.....

Curio filius conflaverat æris alieni sestertium sexcenties, sive tres milliones. Valer. Max. queritur lib. IX, cap. 1: « Consimilis mutatio in domo Curionum exstitit: siquidem

forum nostrum et patris gravissimum supercilium, et filii sexcenties sestertium æris alieni adspexit. » Cinnam quemdam irridet Martialis, quod anno non toto decoxisset sestertium octuagies, id est, florenorum quadringenta millia. Hoc epigramma est lib. IX, 83, v. 5:

Bis quartum decies non toto tabuit anno;
Dic mihi, non est hoc, Cinna, perire cito?

Milo, teste Plinio, lib. XXXVI, cap. 15, præter amplissimum patrimonium consumptum, debuit æris alieni sestertium septingenties, sive tres milliones cum semisse. De Apicio memorat Seneca, eum dissipasse sestertium nongenties: isti sunt milliones quatuor cum semisse. Vis audire? sic inquit, Consolat. ad Helviam, cap. 10: « Quum sestertium millies in culinam congessisset, quum tot congiaria principum, et ingens Capitolii vectigal, singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit. Superfuturum sibi sestertium centies computavit, et, velut in ultima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. » Illudit Martialis lib. III, epigr. 22:

Dederas, Apici, bis trecenties ventri,
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu gravatus, ut famem et sitim ferre,
Summa venenum potione duxisti.
Nil est, Apici, tibi gulosius factum.

Sed tu corrige, *ter trecenties.* Orta menda est ex confusione notarum 2 et 3. Et attende sodes; præter nongenties istud, quod culina hauserat, tot congiaria principum, et ingens Capitolii vectigal, singulis comessationibus perdiderat. Cæsar dictator, ut Appianus auctor, opus sibi esse dicebat sestertio bis millies quingenties, sive duodecim millionibus cum semisse, ut nihil haberet; id est,

ut creditoribus æs alienum persolveret. Ille ipse, narrat Plinius lib. XXXVI, cap. 15, « solum tantum foro exstruendo sestertio millies emit. » Hui! solum ergo fori constitit quinque millionibus? ita. Et audi aliud, quod vix quisquam credat. Caligula, anno non toto, prodegit sestertium tricies ac ter millies: id est, centum sexaginta quinque milliones. At qui potuit? Suetonius distincte narrat, cap. 37: « Nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit: commentus novum balnearum usum, portentosissima genera ciborum, atque cœnarum, ut calidis frigidisque unguentis lavaretur: pretiosissimas margaritas, aceto liquefactas, sorberet: convivis ex auro panes et obsonia apponeret; aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem. Quin et nummos non mediocris summæ e fastigio basilicæ juliæ per aliquot dies sparsit in plebem. Fabricavit et de cedris liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis; magna thermarum, et porticuum, et tricliniorum laxitate; magnaque etiam vitium, et pomiferarum arborum varietate; quibus discumbens de die inter choros, ac symphonias, litora Campaniæ peragraret. In exstructionibus prætoriorum, atque villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. Et jactæ itaque moles infesto ac profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, et campi montibus aggere æquati, et complanata fossuris montium juga, incredibili quidem celeritate, quum moræ culpa capite lueretur. » Vides ingenium in luxum intentum, et tot perdendarum opum modos. At necdum se omnes enumerare Suetonius testatur. Obstupesco: et nemo hoc poterat, nisi qui imperator romanus. Sed et civium splendidorum multi in hoc ludo regnabant: age, videamus: ordinem præit Seneca, epist. CXIV: hunc sequemur. Verba ista sunt: « Ubi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit; deinde su-

pellectili laboratur; deinde in ipsas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor: deinde ad cœnas lautitia transfertur, et illic commendatio ex novitate, et soliti ordinis commutatione, captatur; ut ea, quæ claudere cœnam solent, prima ponantur; ut, quæ advenientibus dabantur, exeuntibus dentur.» In his ergo tribus omnis luxus versatur; in cultu primo corporis, deinde ædium, postremo conviviorum. Inspiciemus singillatim.

CAPUT III.

Corpus levigatum, item facies: ea quoque fucata. In levigatione usus panis madidi. Coma fracta in gradus, et unguentis delibuta. Officinæ odorariorum. Gressus suspensus, et ejus rei scholæ.

Initium est in corporum cultu, atque in hoc considerandum primo ipsum corpus; deinde, quæ circa illud, vestes. In corpore ipso, captata levitas, facies fucata, gressus mollis ac suspensus, et quidem a viris, quod gravius opprobrium. Seneca objurgat, et detestatur, Nat. Quæst. lib. VII, cap. 31: « Adhuc quicquid est boni moris exstinguimus levitate et politura corporum. Muliebres munditias antecessimus; colores meretricios, matronis quidem non invidendos, viri sumimus. Tenero et molli ingressu suspendimus gradum, non ambulamus. » Corporis levitatem non uno epigrammate perstringit Martialis; et de ipso Julio narrat Suetonius cap. 45: « Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed velleretur etiam; ut quidam exprobraverunt. » Comam frangebant in gradus. Idem Suetonius de Nerone, cap. 51: « Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam,

semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit. » Quintilianus lib. I, cap. 6 : « Velli, et comam in gradus frangere, et in balneis perpotare, quamlibet hæc invaserint civitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione. » Seneca, Rhet. Controvers. 1 : « Capillum frangere, et ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, et immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est. » Et hæc delibuta unguento. Irridet sæpe Martialis. Horatius lib. II, od. 11, v. 13 :

> Cur non sub alta vel platano, vel hac
> Pinu, jacentes sic temere, et rosa
> Canos odorati capillos,
> Dum licet, assyriaque nardo
> Potamus uncti?

Juvenalis Sat. IV, v. 108 :

> Et matutino sudans Crispinus amomo,
> Quantum vix redolent duo funera.....

Et frequens apud Ovidium, Catullum, Tibullum, Propertium. Itaque officinæ erant eorum, qui odores coquerent. Seneca epist. xc : « Hinc fabrorum officinæ sint, hinc odores coquentium. » Faciem quod attinet, eam quam maxime nitentem cupiebant, itaque levigabant, et pane linebant. Juvenalis Sat. VI, v. 471 :

> Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur
> Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
> Accipit et madidæ, facies dicetur, an ulcus?

Suetonius de Othone, cap. 12 : « Faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum : idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset. » Ingressum plane suspendebant, ut cœpi dicere ex Seneca : et huic rei docto-

res etiam. Ipse Seneca, epist. xc: «Hinc (officinæ) molles corporis motus docentium, et infractos.

CAPUT IV.

Vestes pressæ, ut niterent. Earum magnus numerus, isque ostensus, quum in convivio, tum balneo. Pretium lacernarum, et tricliniarium. Lex Julii, de conchyliatis; Tiberii, de sericis. Holosericæ quando cœperint. Luxus muliebris.

In vestibus ipsis artificiosa luxuria: domi eas sub prelis habebant, ut in publico niterent. Ammianus lib. XXVIII: « Solutis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat. » Seneca, de Tranquill. cap. 1: « Non ex arcula prolata vestis; non ponderibus, aut tormentis splendere cogentibus, pressa; sed domestica, et vilis. Martialis lib. II, epigr. 46, v. 3:

Sic tua suppositis perlucent prela lacernis.

Et magno has numero habebant. Plutarchus, in Lucullo: Στρατηγοῦ δέ ποτε φιλοτιμουμένου περὶ θέας, καὶ χορῷ τινὶ κόσμον αἰτουμένου πορφυρᾶς χλαμύδας, ἀπεκρίνατο, σκεψάμενος, ἂν ἔχῃ, δώσειν· εἶτα μεθ' ἡμέραν ἠρώτησεν αὐτὸν, ὁπόσων δέοιτο· τοῦ δὲ, ἑκατὸν ἀρκέσει, φήσαντος, ἐκέλευσε λαβεῖν δὶς τοσαύτας. *Prætori cuidam, qui, spectaculum edere quam splendidissime cupiens, ad eum venerat petitum chlamydas purpureas aliquot, quibus chorum exornaret, inspecturum respondet, an habeat; et, si habeat, daturum: postridie ex eo quæsivit, quotnam cuperet, centumque satis esse respondentem, ducentas accipere jussit.* Martialis loco citato, de quodam, v. 3 sqq.

Sic micat innumeris arcula synthesibus;
Atque unam vestire tribum tua candida possint,
Apula non uno quæ grege terra tulit.

Itaque sæpissime mutabant in uno convivio, ad ostentationem. Idem lib. V, epigr. 79:

> Undecies una surrexti, Zoile, cœna:
> Et mutata tibi est synthesis undecies.

Et, ad balnea abeuntes, plurimas secum portabant. Irridet Ammianus, loco jam citato: « Quum a Silvani lavacro vel Mammeæ aquis ventitant sospitalibus, ut quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, solutis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorant, quæ una portantur, ad juvandos homines undecim. » Pretium autem iis sane immensum; itaque lacernas erant qui emere auderent decem millibus nummum, id est, quingentis Carolinis. Martialis, lib. IV, epigr. 61, v. 4:

> .... millibus decem dixti
> Emptas lacernas munus esse Pompillæ.

Item, lib. VIII, epigr. 10:

> Emit lacernas millibus decem Bassus.

Capitoni objecit Metellus Scipio, quod tricliniaria babylonica vendidisset octingentis millibus, sive Carolinis quater millibus: ea autem Nero postea emit sestertio quadragies, id est, Carolinorum ducentis millibus. Fidem res exsuperat, sed eam meretur Plinius. Ille tradit lib. VIII, cap. 48: « Metellus Scipio tricliniaria babylonica sestertium octingentis millibus venisse jam tunc posuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni principi quadragies sestertio nuper stetere. » Pretium excandefaciebant duo; color, et materia: ille conchyliatus, hæc serica. Quod ad colorem, de ejus pretio sic Plinius, lib. IX, cap. 35: « Conchylia, et purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pæne etiam margaritis pretia fecit. » Et libra ejus, quum emeretur prius denariis centum, sive florenis viginti, mox exagi-

tante luxu, supra mille denarios, id est, ducentos florenos ascendit. Idem Plinius, libro citato, cap. 39 : « Nepos Cornelius, qui Divi Augusti principatu obiit, me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat; nec multo post rubra tarentina : huic successit dibapha tyria, quæ in libras denariis mille emi non poterat. » Ac vestibus quidem ea tinctis, et, quæ circa illas, luxuriæ frenum injecit suo tempore Cæsar Julius; neque permisit usum, nisi certis ætatibus, personis, diebus. Suetonius cap. 43 : « Lecticarum usum, item conchyliatæ vestis, et margaritarum, nisi certis personis, et ætatibus, perque certos dies, ademit. » Sericæ, eæque tenuissimæ, feminis maxime usitatæ. Seneca queritur, de Benefic. lib. VII, cap. 9 : « Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor, possit : quibus sumptis mulier, parum liquido se nudam non esse, jurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronæ quidem nostræ, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant. » Tamen viri utebantur, donec Tiberius edixit. Dio, lib. LVII : Στατιλίου δὲ Ταύρου μετὰ Λουκίου Λίβωνος ὑπατεύσαντος, ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι. *Statilio Tauro, L. Libone Coss. Tiberius edixit, ne quis vir serica veste uteretur.* Atque hæc quidem subserica intelligenda est; nam holosericæ usus primus initium cœpit ab Heliogabalo. Lampridius de eo : « Primus Romanorum holoserica veste usus fertur, quum jam subserica in usu esset. » Sed de pretio, quis non obstupescat, ad octingenta illa millia Capitonis? quis non ad quadragies sestertium Neronis ? Et profecto maxime hic modum excessit sequior sexus. Itaque passim erat eum videre indutum vestibus, quibus impensi toti census. Audi Propertium Eleg. lib. III, 13, v. 11 :

Matrona incedit census induta nepotum.

Adeoque de Lollia Paullina narrat Plinius lib. IX, cap. 15 visam a se, « ne serio quidem ac solenni cæremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque, quæ summam quadringenties sestertium colligebant, ipsa confestim parata mancupationum tabulis comprobare. » Quis hic stupor est? quadringenties illud sestertium efficit duos milliones: nec tamen hic vestium adhuc sumptus censetur: solæ gemmæ tanti constiterunt, quibus illa passim totum corpus ornaverat. Quid? solane? non certe: quasi certatim faciebant omnes matronæ. Manilius:

Perque caput ducti lapides, per colla, manusque.

Plinius lib. XXXIII, cap. 3: « Habeant feminæ in armillis, digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenæ circa latera, et inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in summo quoque unionum conscientia adsit.

CAPUT V.

Julii Cæsaris edictum de margaritis. Luxus in inauribus, monilibus, lineis, armillis, annulis, calceis, umbraculis, ac flabellis. Severus moderatus est in parte, et uxor Heliogabali. Speculorum magnitudo, et pretium.

Sed Lolliæ Paulinæ ornatum adhuc ruminor; et an bona fide Plinius? omnino. Examinemus per partes, et incipiamus a capite. Ornabant in eo crines, spiras, aures, auro, et gemmis pretiosissimis, quæque quam multos census æquabant. Hieronymus, in epist. ad Lætam: « Nec

collum auro, et margaritis premas; nec caput gemmis oneres.» Gaudentius, tract. XIII: «Quædam feminæ onerant auro, et margaritis vel sua, vel filiarum, membra.» Occurrere voluit Julius Cæsar, margaritarum abusum moderatus. Suetonius cap. 43: «Usum margaritarum, nisi certis personis, et ætatibus, perque certos dies, ademit.» Clarius Eusebius, in Chronico: «Prohibitum est lecticis, margaritisque, uti, quæ nec viros, nec liberos, haberent, et minores essent annis quadraginta quinque.» sed non obtinuit. Imprimis vero magnus luxus aurium. Seneca, de beata vita, cap. 17: «Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?» Hui, quæ isthæc res? in auribus solis locupletis domus censum? ita est; nihil mentitur. Nunquid Serviliæ margaritam Julius emit sexagies sestertio, sive trecentis millibus florenorum? Suetonius cap. 50: «Ante alias dilexit M. Bruti matrem Serviliam, cui et proximo suo consulatu sexagies sestertio margaritam mercatus est.» De Cleopatræ unione numquid certum est, supra centies sestertium, sive quingenta millia florenorum valuisse? sed hæc regina, inquies, et quidem Ægypti. Quid tum postea? nihil huic concedebant matronæ romanæ. Tertullianus, de Hab. Mul. «Graciles aurium cutes calendarium expendunt.» Et quasi in quodam luxus certamine, conjungebant uniones duos, tres, quatuor; atque ita gestabant, et quidem ex singulis auribus. Plinius lib. IX, cap. 35, de unionibus loquens: «Hos digitis suspendere, et binos, ac ternos, auribus, feminarum gloria est. Subeunt luxuriæ ejus nomina, et tædia, exquisita perdito nepotatu: siquidem quum id fecere, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, et collisu ipso margaritarum.» Seneca, de Benefic. lib. XII, cap. 9: «Video uniones, non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt: junguntur inter se, et insuper aliis binis superpo-

nuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina, ac terna patrimonia auribus pependissent. » Viden? bina, ac terna, patrimonia; pro numero videlicet unionum. Hinc illud, de Tranquill. lib. II, cap. 14: « Quid refert, quantum (mulier) habeat; quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam? » Et ostentatio erat, in gemmarum varietate. In L. pediculis, 32; D. de auro, arg. mundo, leg. « Inaures, in quibus duæ margaritæ, elenchi, et smaragdi duo. » Veniamus ad collum, ac latera: hic conspiciebantur monilia, lineæ, ac catenæ. Plinius: « Discurrant catenæ circa latera, et inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in summo quoque unionum conscientia adsit. » Et vis linearum sumptum? Hieronymus, in vita Pauli Eremitæ: « Uno filo villarum insunt pretia. » Tertullianus, de Hab. mul. « Uno lino decies sestertium inseritur »: hoc est, quinquaginta millia florenorum. Et de monilibus, ille ipse, ibidem: « Saltus, et insulas, tenera cervix fert », id est, pretia saltuum, et insularum. Erant et mamillarum ornamenta. In l. pediculis citata: « Ornamenta mamillarum ex cylindris triginta quatuor, et tympaniis margaritis triginta quatuor. » In brachiis, et digitis, armillæ erant; sive brachialia, annulique; et ibi quoque magnæ impensæ. De brachialibus, Tertullianus, loco citato: « Circulos ex auro, quibus brachia artantur. » Sed annulorum luxus viris communis cum matronis: gestabant autem in omnibus digitis. Martialis lib. V, epigr. 61, v. 5:

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Quid digitos dico? in omnibus articulis debebam. Seneca, Nat. quæst. lib. VII, cap. 31: « Exornamus annulis digitos, et in omni articulo gemma disponitur. » Et hoc adhuc parum: in singulis articulis plures; Martialis, lib. V, epigr. 11.

Sardonicas, smaragdos, adamantas, iaspidas, uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.

At quantum hic censes insumptum, in tanto annulorum numero, et gemmarum? nonne centena aliquot millia florenorum? non potest aliter. Tertullianus, de Hab. mul. «In sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit.» At quantum in saccis, sive loculis, habebant? idem auctor paulo ante dicit: «Brevissimis loculis patrimonium grande profertur.» Ergo in singulis annulis expensa singula patrimonia, quod de inauribus supra Seneca. Et ecce tibi Nonius senator, proscriptus ab Antonio, unum secum abstulit, cujus pretium æquabat viginti mille sestertia, id est, decies centena millia florenorum. Plinius memorat, lib. XXXVII, cap. 7: «Ab Antonio proscriptus Nonius senator fugiens, e fortunis suis omnibus annulum abstulit secum, quem certum est sestertiis vigiuti millibus æstimatum.» In baltheis, et vaginis, idem luxus. Tertullianus: «Latent in cingulis smaragdi, et cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit.» Adeatur cod. lib. XI, tit. 11. Videamus pedes: neque hic luxus minor. Crepidarum atque socculorum vincula erant aurea. Manilius:

Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.

Habebant et gemmas. Tertullianus, loco citato: «Et in peronibus uniones emergere de luto cupiunt.» Lampridius, de Heliogabalo: «Habuit in calceamentis gemmas, et quidem sculptas, quod risum omnibus movit; quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærerent.» Neque margaritæ, aut uniones, in iis tantum, sed etiam sub iis. Et Plinius scribit: «Non crepidarum tantum obstragulis, sed et totis socculis addi: neque enim gestare jam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est.» Severus moderatus

est luxum, ut tradit in vita ejus Lampridius. Heliogabali etiam uxor, et matronarum habito delectu, nisi quibusdam, non permisit. Lampridius auctor est. « Semiramica facta sunt senatusconsulta ridicula, de legibus matronarum : quæ quo vestitu incederent; quæ aurum, vel gemmas, in calceamentis haberent. » Quid de umbraculis, ac flabellis, dicemus? an non et hæc composita ad luxum? quis dubitet? Clare Ammianus, lib. XXVIII: « Si inter aurata flabella laciniis sericis insederint muscæ, vel per foramen umbraculi pensilis radiolus irruperit solis, queruntur, quod non sint apud Cimmerios nati. » Horum omnium pretia computemus, facile de Lollia ista credemus, ornatum ejus quadringenties sestertio constitisse. Finiam autem feminarum hunc luxum in speculis : ea magna erant, et ad corporis totius instar, in auro, argento cælato, gemmato; itaque magnum etiam pretium. Attendamus Senecam, Nat. quæst. lib. I, cap. 17 : « Rerum jam potiente luxuria, specula, totis paria corporibus, auro argentoque cælata sunt, denique gemmis adornata : et pluris unum ex his feminæ constitit, quam antiquarum dos fuit. » Et mox: « Jam libertinorum virgunculis in unum speculum non sufficit illa dos, quam dedit senatus pro Scipione. » At dos illa fuit undecim millia æris, sive ducenti et viginti Carolini, ut supra diximus. Tanti emerunt filiæ libertinorum; quid jam honestissimorum civium, quid equitum, quid senatorum fecisse censebimus? Sine dubio excesserunt multum, pro ratione et modo dignitatis.

CAPUT VI.

Comitatus virorum, et matronarum. Ejus multitudo, ornatus, ordo. Instituebant hunc præfecti familiæ, quorum insignia virgæ.

Proxime vestes, comitatum dabimus : nam et in hoc luxus fuit. Itaque prodituri in publicum, saltem decem, aut octo servos comites trahebant. Juven. Sat. VII, 139:

Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit hæc primum, qui litigat; an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes.....

Sed hic numerus erat causidicorum; et exiguus adhuc, præ quam aliorum. Ammianus libr. XXVIII: « Ubi, comitantibus singulos quinquaginta ministris, tholos introierint balnearum, etc. » Idem libr. XIV: « Familiarium agmina, tanquam prædatorios globos, post terga trahentes; ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto. » Et de Tigellio narrat Horatius, lib. I, sat. 3, habuisse sæpe ducentos : multi millenos aliquot. Athenæus lib. VI: Μυρίους, καὶ δισμυρίους (οἰκέτας), καὶ ἔτι πλείους δὲ, πάμπολλοι κέκτηνται· οὐκ ἐπὶ προσόδοις δὲ, ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας· ἀλλ' οἱ πλείους τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχουσι τοὺς πλείστους. *Decem, immo viginti mille, et plures quoque servos habent, non quæstus causa, ut ille Græcorum ditissimus Nicias, sed plerosque in publico comitantes.* Neque numerus hic duntaxat ostentabatur, sed et vestium ornatus; qui magnificus valde, licet in servis. Seneca, de Tranquill. cap. 1: «Præstringit animum apparatus alicujus pædagogii, diligentius, quam intra privatum larem, vestita, et auro culta, mancipia, et agmen servorum nitentium.» Et, soli ne viri processerunt comitati? non; immo etiam matronæ, quæ hic viros excessere. Nam, tanquam agmen aliquod ducerent, in ordinem cogebant; idque munus præfectorum familiæ, qui insignia virgarum manu dextera gestabant. Omnem luxum nobis egregie describit Marcellinus, lib. XIV: « Quo comitatu matronæ complures, opertis capitibus, et basternis, per latera civitatis cuncta discurrunt. Utque præliorum periti rectores primo catervas densas opponunt, et fortes, deinde leves armaturas, post jaculatores, ultimasque subsidiales acies,

si fors adegerit, invasuras: ita, præpositis urbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicite, quos insignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut tessera data castrensi, juxta vehiculi frontem omne incedit textrinum; huic atratum coquinæ adjungitur ministerium; deinde totum promiscue servitium, cum otiosis plebeiis de vicinitate conjunctis, postrema multitudo spadonum, a senibus in pueros desinens, coloris obluridi, distortaque lineamentorum compage deformis.» Hinc Hieronymus, in epistola ad Furiam: «Noli ad publicum subinde procedere, et, spadonum exercitu præeunte, viduarum circumferri libertate.» Animadverte: exercitum spadonum dicit: et vides causam ex Ammiano. Inter hos quoque moriones, empti ingentibus sæpe pretiis: nam, quum alios servos emerent plerumque sex millibus nummum, sive trecentis florenis, ut ostendo infra, cap. 16, hos emebant longe pluris: et aliquando viginti millibus nummum, sive florenis mille. Martialis irridens, lib. VIII, epigr. 13.

> Morio dictus erat: viginti millibus emi.
> Redde mihi nummos, Gargiliane, sapit.

CAPUT VII.

Vasa coquinaria, ac mensalia argentea. Lancium ingentia pondera; postea auro illigari cæpta: mox etiam ex eo solido facta. Tiberii edictum. Universum mensæ ministerium æstimatum.

Sequitur supellex, in qua similes sui fuerunt isti luxuriantes. Ac vis scire? in exigua sæpe dispendebant opes non sane exiguas. Martialis in Quinctum lib. III, ep. 62, v. 3:

> ... constat decies tibi non spatiosa supellex.

Vides impensam quinquaginta millium Carolinorum. Atque adeo una securicula empta est nummum quadringen-

tis millibus, sive Carolinorum viginti millibus. Martialis, lib. XIV, lemmate xxxv, quod est securicula:

> Quum fieret tristis solvendis auctio nummis,
> Hæc quadringentis millibus empta fuit.

Ostendemus magis, et incipiemus a vasis coquinariis, quæ illi argentea habuerunt. Plinius lib. XXXIII, cap. 3: «Vasa coquinaria ex argento Calvus orator fieri queritur? at nos carrucas ex argento cælare invenimus.» Ulpianus in l. quum aurum 19, § si cui escarium. D. de auro, arg. mundo leg. «Cacabos argenteos habebat, vel miliarium argenteum, vel sartaginem, vel aliud vas ad coquendum.» Sed ad cacabos quod attinet, argenteos illos ante Heliogabalum habuit nemo. Lampridius de eo: «Primus mensas argenteas habuit, primus etiam cacabos.» Nemo igitur hæc mirabitur; nemo mensalia, nisi quanta: quippe magnitudo, et pondus, hoc merentur. Juvenalis Sat. III, v. 141—142:

> .... quot pascit servos, quot possidet agri
> Jugera; quam multa magnaque paropside cœnat.

De Heliogabalo narrat Lampridius, habuisse eum vasa centenaria argentea sculpta. Ecce vasa centum librarum Heliogabali; quæ tamen ille solus non habuit, sed cum eo, et ante eum, plures: at hoc parum est. Imperante Claudio, Drusillanus quidam, servus, dispensator Hispaniæ citerioris, habuit lances quingentarum. Tertullianus, de Pallio: «Vereor sane, ne parva sit ista trutina; quum Drusillanus, et quidem servus Claudii, quingenariam promulsidem ædificat.» Et hoc parum: e comitibus ejus nonnulli octingentarum, et supra. Audiamus narrantem bona fide Plinium, lib. XXXIII, cap. 11: «Lances e centenis libris argenti tunc super quingentas numero Romæ fuisse constat; multosque ob eas proscriptos, dolo concupiscen-

tium.» Et mox addit: «Claudii principatu, servus ejus Drusillanus, nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ citerioris, quingenariam lancem habuit; cui fabricandæ prius officina exædificata fuerat: et comites ejus, octingentarum octo quinquaginta librarum: quæso, ut quam multi eas conservi ejus inferrent, aut quibus cænantibus?» Sed magnitudo hæc profecto nimia et rara: modestiores alii fuerunt, qui modum excedere justum noluerunt. Pretium vero omnino magnum; impendebant enim multa millia, in singulas libras. Narrat de L. Crasso oratore Plinius, libro citato: «Constat eundem sex millibus sestertiis (id est, trecentis Carolinis) in singulas libras vasa empta habuisse.» Martialis de Quincto lib. III, 62, v. 4:

> Libra quod argenti millia quinque rapit.

Fuerunt autem non semper ex solo argento: quin mox aurum illigari cœptum est. Martialis, libr. II, epigr. 43:

> Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli,
> Concolor in nostra, cammare, lance rubes.

Iterum epigr. 53, vers. 3:

> Si ridere potes miseri chrysendeta Cinnæ.

Paulus in l. pediculis, XXXII, D. de auro, arg. etc. «Auro facto adnumerantur gemmæ, annulis inclusæ (quippe annulorum sunt), cymbia argentea, crustis aureis illigata.» Et Ulpianus, l. quum aurum, XIX, D. h. t. «Aurea emblemata, quæ in absidibus argenteis.» Postea etiam ex auro fecerunt, tam pudendo luxu, ut ventris quoque onera istis exciperent. Tertullianus, de Hab. mul. «Etiam ad spurca instrumenta auri, et argenti, demens copia deservit.» Exprobrat Bassæ Martialis, lib. I, epigr. 37:

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,
Bassa.....

Tamen hæc frugaliores etiam ex argento habebant. Ulpianus, in l. Q. Mutius XXVII, D. Tit. jam toties citato: «Argento legato non puto ventris causa habita scaphia contineri.» Modum statuit in suo principatu Tiberius; vetuitque, ne quis vasis aureis uteretur, nisi ad rem sacram. Dio, lib. LVII: Στατιλίου δὲ Ταύρου μετὰ Λουκίου Λίβωνος ὑπατεύσαντος, ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι, ἀπεῖπε δὲ καὶ χρυσῷ σκεύει μηδένα, πλὴν πρὸς τὰ ἱερὰ, νομίζειν. *Sisenna Statilio Tauro, L. Libone coss. edixit, ne quis vir serica veste uteretur, neu quis aurea vasa, nisi ad rem sacram, haberet.* Vidisti per partes, at quanti nunc censes universum mensæ ministerium? Plinius ostendit, lib. XXXIII, cap. 11, ubi de Scipione Africano: «Quum de Pœnis triumpharet, quatuor millia quadringenta septuaginta tria pondo transtulit. Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum imperii æmula, quod nunc in mensarum est apparatu.» Jam, si, calculo pliniano, in libras singulas trecentos Carolinos computemus, ea summa effectura est tredecies centena ac viginti septem millia, et nongentos Carolinos.

CAPUT VIII.

Pocula e concha, onyche, argento, auroque; et eo cælato, gemmato. Custodes his appositi. Magnitudo, pretium. Hoc in myrrhinis quoque et crystallinis indicatum, item candelabris.

Poculorum ut luxus magnus, ita pretium: et varia illa fuere; siquidem bibebant ex onyche. Plinius lib. XXXVII, cap. 7: «Onychem etiam tum in Arabiæ montibus, nec usquam alibi, nasci putavere nostri veteres: Sudines

in Germania; potoriis primum vasis inde factis; dein pedibus lectorum, sellisque. Cornelius Nepos tradit fuisse magno miraculo, quum P. Lentulus Spinter amphoras ex eo, chiorum magnitudine cadorum, ostendisset. » Vel ex concha etiam. Juvenalis, Sat. VI, v. 303:

> Quum perfusa mero spumant unguenta falerno,
> Quum bibitur concha.....

Vel ex auro, argentove, vario opere cælato. Juvenalis Sat. I, v. 73:

> Argentum vetus, et stantem extra pocula caprum.

Martialis Epigramm. lib. VIII, 51, v. 9, 10:

> Stat caper in phiala, thebani vellere Phryxi
> Cultus; ab hoc mallet vecta fuisse soror.

Vel gemmis etiam ornata. Plinius, in prooemio lib. XXXIII: «Turba gemmarum potamus, et smaragdis teximus calices: ac temulentiæ causa tenere Indiam juvat; et aurum jam accessio est.» Capitolinus, in Vero: «Data etiam aurea, atque argentea, pocula gemmata.» Itaque appositi in conviviis custodes, qui observarent, ne quis aliquas ex iis avelleret. Juvenalis, Sat. V, v. 34 sqq:

> .... ipse capaces
> Heliadum crustas, et inæquales beryllos,
> Virro tenet phialas; tibi non committitur aurum.
> Vel, si quando datur, custos affixus ibidem,
> Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos.

Nec ornata tantum gemmis, sed et facta ex iis habebant. Pacatus, in Panegyrico: «Parum se lautos putabant, nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem falerno fregissent.» Cicero, Verr. VI: «Erat etiam vas vinarium, ex una gemma pergrandi trulla excavata, cum manubrio aureo.»

In horum autem magnitudine ostentatio erat, et pompa. Et observa apud Juvenalis Interpretem, Sat. IX: « Fabricius censor collegam suum notavit in senatu, quia supra decem libras argenti unam phialam invenit. » Computemus hujus pretium per libras; fuerit hæc phiala trium millium Carolinorum. Ejusdem pretii scyphos duos habuit L. Crassus, orator. Plinius, lib. XXXIII, cap. 11: « L. Crassus orator duos scyphos, Mentoris artificis manu cælatos, sestertiis centum millibus emptos, habuit. » Longe argentum, aurumve, excedunt myrrhina, quæ constiterunt Carolinis quater millibus: adeoque T. Petronius, moriens, trullam myrrhinam, emptam trecentis sestertiis, id est, quindecim millibus, confregit, ne ea Nero potiretur. Plinius, lib. XXXVII, cap. 2: « Crescit in dies ejus rei luxus, murrhino octoginta sestertiis empto, capaci plane ad sextarios tres calice. » Et mox: « T. Petronius consularis, moriturus, invidia Neronis principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam, trecentis emptam sestertiis, fregit. » Sunt et, qui trullam crystallinam emerint Carolinis septem millibus quingentis. Idem Plinius: « Alius hic furor, HS. centum quinquaginta millibus trullam (crystallinam) unam non ante multos annos mercatam a matrefamilias nec divite. » Et attende, quæso; tanti emerat materfamilias, eaque non dives: quid jam divites fecisse censes! Sed a poculis ad candelabra, et lucernas, transibo, et ita finem capiti imponam. Quem vero hic luxum fuisse putamus? ex argento erant. Ulpianus, in citata l. quum aurum: « Nec candelabra, nec lucernæ argenteæ. » Itaque tam grande pretium. Discamus a Plinio, lib. XXXIV, cap. 3: « Privatim Ægina candelabrorum superficiem duntaxat elaboravit, sicut Tarentum scapos: in his ergo juncta commendatio officinarum est. Nec pudet tribunorum militarium salariis emere, quum ipsum nomen a candelarum lumine impositum ap-

pareat.» Atque tribunorum istorum salarium erant sestertia quinquaginta, sive bis mille quingenti Carolini. Et vel solis certe illis divites censeri poterant. Asterius, Hom. in Avar. Τῷ μὲν, ἔλαιον ἐνδεῖ, πρὸς τὸ λύχνον ἀνάψαι· καὶ ἄλλος, μόναις ταῖς λυχνίαις πλουτεῖ. *Huic quidem, oleum deest, quo lychnum accendat: alius vero, solis candelabris dives est.*

CAPUT IX.

Mensæ rotundæ, ac latæ; etiam antiquæ. Pedes eburni, formam animalium referentes. Ipsæ citreæ primum, e ligno nodoso: et earum pretium. Mox aureæ, inde argenteæ. Earum origo, circuli gemmis ornati.

Mensas habebant rotundas, ac latas. Seneca, Consolat. ad Helviam cap. 11: «Lapides, aurum, et argentum, et magni levatique mensarum orbes, terrena sunt pondera.» Cicero, Verr. VI: «Maximam et pulcherrimam mensam citream a L. Lutadio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sylla civis romanus factus est, omnibus scientibus, Lilybæi abstulisti.» Juvenalis, Sat. I, v. 137:

> Nam de tot pulchris, et latis, orbibus, et tam
> Antiquis, una comedunt patrimonia mensa.

Et observa illic antiquos orbes: hoc enim quoque jactabant, longa majorum successione ad se pervenisse. Seneca, de Tranquill. cap. 1: «Mensa, non varietate macularum conspicua, nec per multas elegantium dominorum successiones, civitati nota, sed in usum posita, quæ nullius convivæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat invidia.» Et habebant magno numero, sæpe centenas aliquot. Martialis, lib. VII, epigr. 48, vs. 1, 2:

> Quum mensas habeat fere trecentas,
> Pro mensis habet Annius ministros.

Pedes mensarum erant eburni. Mart. lib. II, ep. 43, v. 9:

> Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes:
> Fulcitur testa fagina mensa mihi.

Juvenalis, Sat. XI, vs. 121 sqq.

> Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur
> Unguenta, atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
> Grande ebur, et magno sublimis pardus hiatu,
> Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
> Et Mauri celeres, et Mauro obscurior Indus,
> Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu
> Jam nimios, capitique graves.....

Erant autem formati in species animalium: itaque in citatis verbis satyrici observandum est:

> .... latos nisi sustinet orbes
> Grande ebur, et magno sublimis pardus hiatu.

Ipsæ mensæ, e ligno primum citreo: vidimus paulo ante, in verbis Ciceronis; et Petronius, Satyrico c. 119, v. 27:

> .... ecce Afris eruta terris
> Citrea mensa.....

Et quidem maxime nodoso, idque pretium augebat, quod par aliquando censui senatoris, id est, decies sestertio, sive quinquaginta millibus florenorum. Clare Seneca, de Benefic. lib. VII, cap. 9: «Video istic mensas, et æstimatum lignum censu senatoris, eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit.» Tertullianus, de Pallio: «Adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus non unum orbem citri emit, qua bis tantum Asinius Gallus pro mensa ejusdem Mauritaniæ numerat. Hem, quantis facultatibus æstimavere ligneas maculas?»

Mox etiam ex auro fecerunt. Ecce apud Martialem lib. III, epigr. 31, vs. 3 et 4:

> Et servit dominæ numerosus debitor arcæ,
> Sustentatque tuas aurea mensa dapes.

Sed pretium tamen citreis majus manebat, ut discimus ex eodem, lib. XIV, epigr. 89. Deinde etiam ex argento. Alphinus, in l. quum ex argent. 28, D. de auro, arg. leg. « An et si quas mensas argenteas, et ejus generis argentum haberet, quo ipse non temere uteretur, sed commodare ad ludos, et cæteras apparationes, solerct. » Asterius Hom. in Avar. Ὁ πένης ἐπὶ ξυλίνης τραπέζης ἄρτον ἀπορεῖ διαθρύψαι· καὶ ὁ τρυφῶν, ἀργυρὴν τράπεζαν ἐλάσας ἐς πλάτος, τῷ ςίλβοντι ψυχαγωγεῖται τῆς ὕλης. Sed ante Heliogabalum nemo: ille enim præivit ad hunc luxum. Lampridius memorat: « Primus mensas et capsas argenteas habuit: primus etiam caeabos. » Harum coronæ, sive ambitus, gemmis ornabantur. Ulpianus, in l. quum aurum 19, D. tit. citato: « In coronis mensarum gemmæ coronis cedunt, ut hæ mensis. »

CAPUT X.

Lecti magni: eorumque pedes ex onyche. Ipsi primum argento inducti, mox ex eo solido; et quis auctor. Deinde etiam aurei. Toralia purpurea, odorata, aurea.

In lectis magnitudo erat ad ostentationem comparata. Juvenalis, Sat. II, vs. 60:

> Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.

Et quidem, pedes ex onyche factos, discimus ex Plinio, lib. XXXVII, cap. 7. Ipsi autem argento primum inducti. Plinius idem, lib. XXXIII, cap. 11: « Lectos vero mulierum jam pridem totos operiri argento, et triclinia quædam,

quibus argentum addidisse primus traditur Carvilius Pollio, eques romanus; non ut operiret, aut Deliaca specie faeeret, sed Punicana. Idem et aureos fecit. » Suetonius, in Caligula, cap. 32: « Servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit. » Adde sphæras, et catenas argenteas, loco funium. Asterius Hom. in Avar. Ὁ μάτην πλουτῶν, τῷ κόσμῳ τῆς κλίνης περιαστράπτεται, ἀγγυρᾶς σφαίρας ἐχούσης, καὶ ἁλύσεις, ἀντὶ τῶν σχοίνων. Mox ex solido argento fieri cœperunt. Ulpianus, in citata l. quum aurum: « Lectum plane argenteum, vel si quæ alia supellex argentea sit, argenti appellatione non continetur. » Lampridius, in Heliogabalo: « Solido argento factos habuit lectos et tricliniares et cubiculares. » Etiam aureos fecerunt, ejusque rei primus auctor Carvilius Pollio, eques romanus, ille, qui trieliniis quoque primus argentum addidisse traditur. Locum Plinii jam citavimus, quo id doeemur. Et de Julio narrat Suetonius, cap. 49: « In aureo lecto veste purpurea decubuisse. » Vestes vero in iis stragulæ, pro ratione leetorum, etam pretiosissimæ. Et observa purpuream in istis verbis Suetonii. Quin odoribus quoque inficiebant. Martialis lib. I, epigr. 16, vs. 3:

Quid thorus a Nilo, quid sindone tectus olenti?
Ostendit stultas quid nisi morbus opes?

Ac vide, quo postea luxus pervenerit: ex auro habuerunt. Primus Heliogabalus, privatus quidem adhuc; nam jam antea imperatores fecerant. Lampridius, in vita ejus: « Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit, quia tunc ex Antonini Marci auctoritate id fieri licebat, qui omnem apparatum imperatorium publice vendiderat. »

CAPUT XI.

Vehicula ærata, eborata, argentata, argentea. Hæc Severus coercuit, et senatoribus tantum permisit. Aurata etiam, et altiora. Juncturæ. Vehiculorum pretia, ut et mulorum.

Vehicula habuerunt varia; nos sub uno generali nomine comprehendemus. Vide tamen apud Lampridium, in Heliogabalo: « Semiramica facta sunt senatusconsulta ridicula, de legibus matronalibus : quæ quo vestitu incederet, quæ cui cederet, quæ ad cujus osculum veniret, quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur : quæ carpento mulari, quæ boum; quæ sella veheretur, et utrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata. » Erantque primitus ærata, mox eborata effecit crescens luxus. Plautus Aulul. Act. II, Sc. 1, *Velim te:* v. 46 :

Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram.

Deinde argentata habuerunt. Plin. lib. XXXIII, cap. 3 : « Nos carrucas ex argento cælare invenimus. » Et tanta quidem horum frequentia, ut coercere Severus necesse putaverit, eorum jure solis senatoribus relicto. Lampridius, in ejus vita : « Carrucas Romæ, et rhedas, senatoribus omnibus, ut argentatas haberent, permisit : interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ urbis senatores veetarentur. » Postea argentea quoque fuerunt; primusque ea dedit Aurelianus, teste Vopisco. Aurata etiam, et gemmata. Lampridius, de Heliogabalo : « Habuit gemmata vehicula, et aurata, contemptis argentatis, et eboratis, et æratis. » De auratis, capiendus item Martialis, lib. III, epigr. 62, vs. 6 :

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.

Et volebant esse altiora. Ammianus lib. XXVIII : « Sum-

mum decus in carrucis solito altioribus, et ambitioso vestium cultu ponentes. » Huc accedebant juncturæ pretiosissimæ. Capitolinus, in Vero : « Data et vehicula, cum mulabus, ac mulionibus, cum juncturis aureis. » Gaudentius, tract. XIII : « Brutis quoque animalibus, equis, ac mulis, ex argento, et auro, sublimia ornamenta componunt. » Videatur Codicis lib. XI, tit. 11. Quantas igitur hic impensas credis? nonne ingentes? de fundi pretio clare Martialis, loco citato :

.... fundi pretio carruca paratur.

Jam in ipsis jumentis, quæ trahebant, quem luxum putamus? Juncturæ sæpe aureæ : et exemplum habemus in Capitolino, quod produximus. Soleæ eorum argenteæ. Suetonius de Nerone, cap. 30 : « Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus. » Et aureas fecit ejus conjux Poppea. Plinius, lib. XXXIII, cap. 3 : « Nostraque ætate Poppea, conjux Neronis principis, delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat. » Et quis dubitet, quin magna quoque istorum pretia luxus fecerit? Certe supra equos muli, mulæve, valebant. Diserte Plautus, Aulul. Act. III, Sc. 5, *Narravi:* v. 20 et 21 :

Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sint viliores gallicis cantheriis.

Quid equos dico? parum hoc est : ipsas mox etiam domos superarunt, puta tenuiorum civium. Martialis mihi testis est, lib. III, epigr. 62, vs. 6 :

... pluris mula est, quam domus, empta tibi.

At domorum pretia jam videbimus.

CAPUT XII.

Ædium admiranda limina, et quis ea primus marmorea habuerit. Postes, pavimenta, parietes. Illi quando primum marmore incrustati. Laquearia etiam inaurata, et unde origo. Idem factum capitibus columnarum. Earum longitudo, multitudo, pretium: et de eo emendatus Varro. Trabes auratæ. Fontes in singulis cubiculis. Universim amplitudo, et altitudo: eaque mox coercita. In fastigiis horti, et arboraria: ac arbusculæ ex iis æstimatæ: item totæ ædes. Valerius, ac Varro, correcti. Neronis Aurea.

Examinabimus per partes, atque inde ad totas progrediemur, ubique nihil non magnum deprehensuri. Incipiemus ab ipso limine, quod marmoreum. Cujus rei initium a M. Lepido. Plinius, lib. XXXVI, cap. 6. « M. Lepidus, Catuli in consulatu collega, primus omnium limina ex numidico marmore posuit. » Et tales quoque postes. Statius, in Tiburtino Manlii Vopisci, vs. 35 sqq.

.... an Mauros undique postes
An picturata lucentia marmora vena
Mirer.....

Immo deaurati. Hieronymus, in Epist. ad Marcellam: « Ut visitantibus reddamus vices, ad superbas fores pergimus. Inter linguas rodentium ministrorum postes ingredimur deauratos. » Ingressis stuporem injiciebant pavimenta, parietes, columnæ, laquearia, trabes. Fabianus Papyrius, apud Senecam Rhetorem, lib. II, controvers. 1: « In hos igitur exitus varius ille secatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat: quam vinctus severe in hoc pavimentum levatum. » Ipse Seneca, de Tranquill. cap. 1: « Domus etiam qua calcatur pretiosa, et divitiis per omnes angulos dissipatis. » Statius in Tiburtino Vopisci, v. 52:

Dum vagor adspectu, vultusque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes: nam splendor ab alto
Defluus, et nitidum referentes aera testæ,
Monstravere solum; varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superantque novis asarota figuris.

Parietes, et laquearia, marmore induta. De parietibus, Papyrius, loco citato: « Varius ille secatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat. » Primus id fecit Mamurra, præfectus fabrum C. Cæsaris. Plinius, lib. XXXVI, cap. 6: « Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cælio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia. » Etiam inaurari cœperunt, ut et laquearia: ejusque rei origo a Capitolio. Plinius, lib. XXXIII, cap. 3: « Laquearia, quæ nunc et in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, censura L. Mummii. Inde transiere in cameras, in parietes quoque, qui jam et ipsi, tamquam vasa, inaurantur. » Et huc spectat illud Petronii, c. 119, vs. 27:

Ædificant auro.

Hieronymus, in Epistola ad Gaudentium: « Vivimus, quasi altera die morituri; et ædificamus, quasi semper in hoc seculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum. » Item ad Marcellam: « Ubi sunt latæ porticus? ubi aurata laquearia? ubi instar palatii privatorum exstructæ basilicæ? » Ad aurum adjunctæ quoque gemmæ. Statius, in Tiburtino, v. 47 sqq:

Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla
Viva modis; labor est auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.

Vestiebant quoque pretiosissimis aulæis, ac tapetibus. Ter-

tullianus, de Hab. Mul. « Parietes tyriis, et hyacinthinis, et illis regiis velis, quæ vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur. » Vis columnas scire? harum capita aurata, ut ex loco Hieronymi jam vidimus: ipsæ vero marmoreæ. Juvenalis Sat. VII, v. 182, 183:

> Parte alia longis Numidarum fulta columnis
> Surgat, et algentem rapiat cœnatio solem.

Et observa illic *longas*, nam tales erant profecto. Ammianus, lib. XXVIII: « Columnarum constructiones, alta fronte suspensas, mirando, atque parietes, lapidum circumspectis coloribus nitidos, ultrà mortalitatem nobiles viros extendunt. » Plinius, lib, XXXVI, cap. 2: « Tacuerunt maximas earum (columnarum), atque duodequadragenum pedum, lucullei marmoris, in atrio Scauri collocari. » Habebantque has magno numero. Statius, Silv. in Epithalamio Stellæ, v. 152:

> Pendent innumeris fastigia nixa columnis.

Adeoque nonnulli ad centenas excurrebant. Martialis, lib. V, epigr. 13, v. 5 et 6:

> At tua centenis incumbunt tecta columnis,
> Et libertinas arca flagellat opes.

In villa Gordianorum unum peristylon habuit ducentas. Capitolinus, in Gordiano III: « Domus Gordianorum etiam nunc exstat, quam iste Gordianus pulcherrime exornavit: et villa eorum, via Prænestina, ducentas columnas uno peristylo habens, quarum quinquaginta Carysteæ, quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades, pari mensura sunt. » Libet pretium earum scire, id quod magnum, ut omnia in luxu isto romano. Docet Val. Maximus, lib IX, cap. 1: illic se Crassus ait decem emisse centum millibus nummum; ergo singulas quingentis flo-

renis. Hæc ejus verba sunt : « Decem columnas centum millibus nummum emi. » Neque trabes hic omittendæ, quæ sæpe auratæ. Statius Silv. in Tiburt. v. 35:

> Auratasne trabes, an Mauros undique postes
> Mirer?....

Præter hæc omnia, erant, qui in singulis cubiculis haberent fontes: haurio ex istis Statii in Tiburtino, v. 36 et 37:

> An picturata lucentia marmora vena
> Mirer, an emissas per cuncta cubilia lymphas?

Atque ista quidem intrinsecus; extrinsecus duo luxuriabantur; amplitudo, et altitudo: utraque stupenda. Age, videamus. Occurrunt primo verba Valerii, valde opportuna, lib. IV, cap. 4: narrat de L. Quinctio Cincinnato: « Ei, quatuor jugera aranti, non solum dignitas patrisfamiliæ constitit, sed etiam dictatura delata est. Anguste se habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt. » Viden? angustæ illæ ædes, quæ quatuor jugera caperent! Et fidesne verbis est? omnino: nam quis deroget scriptori tam fido, et probato? Tamen stabiliamus, quando hoc non agimus. Sub Nerone servi quidam ejus piscinas habuere duobus jugeribus majores; nonnulli etiam culinas. Plinius ecce, lib. XVIII, cap. 2: « Bina tunc jugera pop. romano satis erant, nullique majorem modum attribuit: quo servos paulo ante principis Neronis, contemptis hujus spatii viridariis, piscinas juvat habere majores; gratumque si non aliquem et culinas. » Quorumdam cellaria etiam longe excesserunt. Plinius idem, lib. XXXVI, cap. 15: « Sic non habitarunt illi, qui hoc imperium fecere, tantas ad vincendas gentes, referendosque triumphos, ab aratro, aut foco, exeuntes; quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam istorum cellaria. » Loquitur illic de Cincinnato, et Fabricio; quo-

rum iste septem tantum jugera possedit. At ecce, postea cellaria hoc spatium superarunt. Æstima nunc reliquam amplitudinem justa proportione. Certe oportet ad urbes accesserit, et quidem magnas. Sallustius, in Catilina, luculentus auctor: « Domos, atque villas, cognoveris in urbium modum exædificatas. » Asterius, Hom. in Avar. Οἱ μὲν ὑπ' ὀρόφοις χρυσοπάστοις κατάκεινται, καὶ ὡς μικρὰς πόλεις οἰκοῦσι τὰς οἰκίας. *Hi quidem sub tectis auratis jacent; et domos habitant, parvis urbibus similes.* Immo vincebat: Seneca, de Benefic. lib. VII, cap. 10: « Ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia. » Salvianus, ad Eccles. Cathol. « Superbas, ac præminentes excelsis urbibus, domos. » Et apud Tacitum, Annal. III, leges: « Villarum infinita spatia. » Quod magis mirere: necdum hæ unæ sufficiebant, conjungebant binas, ternas, ut laxius magnificentiusque habitarent. Sic Catilina, apud Sallustium, in Oratione ad milites suos, exprobrat hostibus: « Illos binas, aut amplius, domos continuare. » Et capiendus hinc Martialis, lib. IV, epigr. 39, v. 2:

> Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Jam altitudinem aspiciamus, quæ cælo pæne imminebat. Petronius, Sat. c. 120, Carm. de Bel. Civil. v. 27:

> Ædificant auro, sedesque ad sidera mittunt.

Sed hæc poetica ὑπερβολή, et intra veri limites maneamus, vel sic tamen verum non dicere videbimur. Sunt qui templorum altitudinem superaverint, inter quos Cetronius et Posides: quorum ille ædem Herculis, et Fortunæ; hic Capitolium transcendit. Juvenalis, Sat. XIV, v. 86:

> Ædificator erat Cetronius, et modo curvo
> Litore Caietæ, summa nunc Tiburis arce,
> Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat

Culmina villarum, Græcis, longeque petitis,
Marmoribus, vincens Fortunæ, atque Herculis, ædem;
Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.

Seneca, Consolat. ad Helviam, cap. 9: « Hoc cogitandum est, ista bonis viris per falsa, et prave credita, obstare: quo longiores porticus expedierint, quo altius turres sustulerint, quo depressius æstivos specus foderint, quo majori mole fastigia cœnationum subduxerint, hoc plus erit quod illis cælum abscondat. » Salvianus ad Eccles. Cathol. lib. I: « Non superbas, ac præminentes excelsis urbibus, domos, non supra humanos visus elata culmina, nec inserta nubibus aerio habitatore fastigia... » Porro, quod non minus mirere; in his ipsis fastigiis pomaria, ac nemora. Seneca, epist. CXXII: « Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt; quorum silvæ in tectis domorum, ac fastigiis, nutant; inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent. » Fabianus Papirius, apud Senecam Rhetorem, lib. II, controvers. 1: « Quin etiam montes, silvæque, in domibus marcidis, umbra, fumoque viridibus. » Et in his arboribus, ut scias, magnus luxus: itaque summi eas pretii censuerunt. Et una pomus referebat domino duo millia nummum annua, sive florenos centum. Plinius, lib. XVII, cap. 1: « Nec minus miraculum in pomo est, multarum circa suburbana fructu annuo addicto binis millibus nummum, majore singularum reditu, quam erat apud antiquos prædiorum. » Atque hujusmodi quidem arborum, ut vulgarium, parva adhuc ratio erat; major longe aliarum, quas ad delicias habebant, et ostentationem. Adeoque Cn. Domitius L. Crasso solas decem tales æstimavit tricies sestertio, sive centies et quinquagies mille florenis. Valer. Maximus, lib. IX, cap. 1: « Cn. Domitius L. Crasso collegæ suo, altercatione orta, objecit, quod columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem continuo Crassus, quanti ipse domum suam

æstimaret, interrogavit : atque ut respondit sexagies sestertio : Quanto erga eam, inquit, minoris fore æstimas, si decem arbusculas inde succidero ? Ipso tricies sestertio, ait Domitius. » Hui ! quis hæc credere ausit ? Si ad nostrum seculum æstimamus, nunquam fidem invenient, ut profecto neque pleraque hæc romana. Et quæ fuerunt illæ arbores, tam pretiosæ ? Plinius narrat, lib. XVII, cap. 1 : « Loti patula ramorum opacitate lascivæ. » Sed fastigia illa, ut eo redeam, nemo fuit qui coerceret ? Ita. Augustus fecit, et modum præscripsit pedes septuaginta. Strabo, lib. V : Πρὸς δὲ συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. Et renovasse videtur Nero, post incendium illud. Tacitus, Annal. XV : « Urbis quæ domus supererant, non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ ; sed dimensis vicorum ordinibus, et latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine. » Trajanus mox ad 60 reduxit. Aurelius victor, in Epitome : « Trajanus per exquisita remedia opitulatus est ; statuens, ne domorum altitudo sexaginta superaret pedes, ob ruinas faciles, et sumptus, si quando talia contingerent, exitiosos. » Sed quod pretium ædium ? non credendum facile. De Clodio narrat Plinius, lib. XXXVI, cap. 15 : « P. Clodius, quem Milo occidit, sestertium centies et quadragies octies domo empta habitavit » : id est, undecies centum et quatuor millibus florenorum. Sed hæc domus sine dubio arborarium in fastigio non habebat ; nam longe majus tunc pretium fuisset, quum solas decem arbusculas, ut jam vidimus, æstimarit Domitius tricies sestertio, sive centum quinquaginta millibus florenorum. Itaque necessario mendum est in istis Valerii verbis, quibus Crasso interroganti respondet Domitius, æstimare se domum sestertio sexagies. Ut quid enim ? decem arbusculæ æstimabuntur tricies sestertio ; et reliquum arborarium omne cum tota

domo tantum sexagies? nulla est proportio : nulla ratio. Scribendum : respondit sexcenties sestertiò : id est, tricies centum millibus florenorum. Firmat conjecturam nostram Plinius, lib. XVII, cap. 1, qui auget etiam, et de sestertio millies narrat. Hirrius ex ædificiis circum piscinas suas capiebat annua sestertia duodena millia, sive florenorum sexcenta millia : auctor est Varro, de Re rust. lib. III, cap. 17. Ejusdem una villa vendita est sestertio quadringenties, id est, vicies centum mille florenis : hoc idem Varro testatur, sed locus corruptus est, et quadragies editur : vide correctionis nostræ rationem infra, cap. 14. Et hæc quidem pretia stante adhuc rep. luxu nec dum tam effreni. Cave censeas idem sub imperatoribus mansisse : affirmo tibi, in immensum crevisse. Æstima ab isto Plinii loco, proxime citato libro : « M. Lepido, Q. Catulo coss. (id est, annis XXIX ante Julii imperium) ut constat inter diligentissimos auctores, domus pulchrior non fuit Romæ, quam Lepidi ipsius. At hercule intra annos XXXV, eadem centesimum locum non obtinuit. Computet in hac æstimatione, qui volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, et cum pulcherrima laudatissimaque certantes centum domos, posteaque eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas. » Desinam in duabus ædibus duorum imperatorum. Ille ipse Plinius subjungit : « Sed eas omnes duæ domus vicerunt. Bis vidimus totam Urbem cingi domibus principum, Caii et Neronis, et hujus quidem, ne quid deesset, aurea. » Et auream istam ecce describit Suetonius, cap. 31 : « Domum a Palatio Esquilias usque fecit, quam primo Transitoriam, mox incendio absumptam, restitutamque, Auream nominavit. De cujus spatio, atque cultu, suffecerit hoc retulisse. Vestibulum ejus fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret, ipsius effigie : tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet : item stagnum, maris instar, circum-

septum ædificiis, ad urbium speciem. Rura insuper, arvis, atque vinetis, et pascuis, silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum. In cæteris partibus, cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis, erant. Cœnationes laqueatæ, tabulis eburneis versatilibus, ut flores fistulis, et unguenta, desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda; quæ perpetuo diebus, ac noctibus, vice mundi, circumageretur: balineæ, marinis et albulis fluentes aquis. Ejusmodi domum quum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret, QUASI HOMINEM TANDEM HABITARE COEPISSE. » Quis hæc leget, quis audiet sine stupore? Nemo poterit.

CAPUT XIII.

Conviviorum apparatus, et in eo ostentatio. Ministrorum multitudo, et ordo. Impensæ. Cœnæ Aditiales. Ferculorum numerus. Coquorum pretium. Plinius emendatus.

Veniamus ad convivia, in quibus summopere se luxus exercuit. Struebantur ea magno cum apparatu, et ostentatione; magno ministrantium item numero, qui in ordine omnes, et per certas classes distincti. Seneca, epist. xcv: «Quam celebres culinæ sunt? quanta nepotum focos juventus premit? Transeo puerorum infelicium greges, quos, post transacta convivia, aliæ cubiculi contumeliæ exspectant. Transeo agmina exoletorum, per nationes coloresque descripta, ut eadem omnibus levitas sit, eadem primæ mensura lanuginis, eadem species capillorum, ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur. Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur. Dii boni! quantum hominum unius venter exercet. » Et sumptus videamus. De Lucullo auctor est Plutarchus, eum, in foro

oppressum a Cicerone, et Pompeio, cœnam extemporaneam iis exhibuisse, cui impensæ essent quinquaginta mille drachmæ, sive decem mille floreni. Suetonius de Vitellio memorat, cap. 13: « Indicebat (convivium) aliud alii eadem die: nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummum constiterunt. » Facit hæc summa florenorum viginti millia. Adeoque viri frugales sine reprehensione cœna aditiali consumpserunt tricies sestertium, sive centum quinquaginta millia florenorum. Seneca auctor est, quem nemo refutet, epist. XCV: « Tricies sestertio aditiales cœnæ frugalissimis viris constiterunt. » Verus alterum tantum impendit. Capitolinus: « Omne convivium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus sestertiorum. » Lampridius de Heliogabalo: « Nunquam minus centies sestertio cœnavit. Aliquando autem triginta millibus sestertiis cœnavit, omnibus supputatis, quæ impendit. » Ita sane legi illum locum jubet rei proportio; non tribus millibus. Ergo, o stupor! monstrum illud nunquam minus prodegerit quinquies centenis millibus florenorum? aliquando vero etiam quindecies? horror est animo frugali. Et tamen fuerunt inter istos nequissimos imperatores, quorum unum ferculum mille sestertiis, sive quinquaginta mille florenis constaret. Latinus in Panegyrico: « Nonne cognovimus cujusdam retro principis non prandia sæpe, sed fercula, sestertiis mille (ita recte corrigunt viri magni) æstimata, patrimoniorum equestrium pretia traxisse? Nec principes tantum, sed et alii. Juvenalis, Sat. I, v. 138:

.... una comedunt patrimonia mensa.

Fercula autem dabant initio duo tantum. Servius, ad Æneid. I: « Ut supra diximus, tangit morem romanum; nam, ut ait Cato, et in atrio, et duobus ferculis, epulabantur antiqui. » Mox ea luxus auxit, usque ad septem. Juvenalis, loco citato, v. 94:

Quis totidem erexit villas? quis fercula septem
Secreto cœnavit avus?....

Monstrum illud Heliogabalus etiam viginti duo habuit. Lampridius: « Exhibuit aliquando et tale convivium, ut haberet viginti duo fercula ingentium epularum. » Pudet citare; et magis reliqua, quæ sequuntur. Sed quid fercula singula dico? Una patina Æsopi histrionis constitit sestertiis sexcentis, id est, triginta millibus florenorum. Plinius, lib. X, cap. 51: « Maxime tamen insignis est in hac memoria Clodii Æsopi tragici histrionis patina sexcentis sestertiis taxata. » Iterum, lib. XXXV, cap. 12: « Quum unam (patinam) Æsopi tragœdiarum histrionis in natura avium diceremus sexcentis sestertiis stetisse, non dubito indignatos legentes. » Itaque corrigendus est Tertullianus de Pallio, scribendumque sexcentum millium non centum: locum statim adscribemus. Sed quid obsecro in hac patina? aviculæ cantrices, magno emptæ. Valerius, lib. IX, cap. 1: « Constat (Æsopum) cantu commendabiles aviculas, immanibus emptas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere solitum. » Atque immania hæc pretia singularum nummi sex mille, sive floreni trecenti. Tertullianus, loco citato: « Qua Asinius Celer mulli unius obsonium sex millibus sestertium detulit; qua Æsopus histrio, ex avibus ejusdem pretiositatis, ut canoris, et loquacibus quibusque, sexcentum (ita corrigendum, jam monui, pro centum) millium patinam confiscavit. Plinius, lib. X, cap. 51, subnectit verbis, quæ citavi: « In qua posuit aves cantu aliquo, aut humano sermone, vocales, millibus sexcentis singulas coemptas. » At Vitellii patina constitit decies sestertio, sive florenorum quinquaginta millibus. Plinius, lib. XXXV, cap. 12: « Vitellius in principatu suo decies sestertio condiit patinam (ita recte corrigunt viri illi, quos dixi) cui faciendæ fornax in campis ædificata erat. » Et videamus hujus sumptuosissimæ patinæ condimentum: ac-

cipimus ex Suetonio, in vita ejus, cap. 13: « In hac scarorum jocinora, phasianorum et pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarum lactes, a Carpathio usque fretoque Hispaniæ, per navarchos ac triremes petitarum, commiscuit.» Itaque præ his cœnis frugalis est illa celeberrima Luculli, de qua initio dixi. Immo tantum impendit provincialis aliquis, ut semel interesset cœnæ Caligulæ. Narrat Suetonius, cap. 39: « Compererat provincialem locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur; nec tulerat moleste, tam magno æstimari honorem cœnæ suæ.» Jam in conviviorum hoc sumptu, quanta çensemus ipsorum coquorum pretia, qui hæc apparabant? Equis comparat, immo supra hos etiam ponit, Plinius, lib. IX, cap. 17: locus est insignis, sed cum insigni mendo, quod tollemus. « Asinius Celer e consularibus hoc pisce (loquitur de mullo) prodigus, Caio principe unum mercatus octo millibus nummum: quæ reputatio aufert transversum animum ad contemplationem eorum, qui, in conquestione luxus, coquos emi singulos pluris, quam equos, quiritabant. At nunc coci triumphorum pretiis parantur, et coquorum pisces. Nullusque prope jam mortalis æstimatur pluris, quam qui peritissime censum domini mergit.» Sed quæ hæc ratio est? an coqui, equis prius pares, postea ad triumphorum pretia ascenderint? apage: nunquam factum, neque Plinius scripsit. Corrigo, nunc coci trium horum pretiis parantur. Querebantur, inquit, olim de luxu; coquos singulos emi pretio singulorum equorum: at nunc ad trium pretia ascenderunt. Hæc sine dubio Plinii mens est, et vera lectio.

CAPUT XIV.

Deliciæ piscium, et maxime mullorum, qui a pondere æstimabantur, quod pensabant in ipso convivio, adstantibus excipientibusque notariis. Ludus item convivarum, in iis occidendis. Pretia eorum. Acipenser a coronatis inferebatur, cum cantu tibiæ. Ostrea, et echini: quorum capturam dijudicabant ex sapore. Ostrea aperiebant in ipsa mensa. Lupus Tiberinus. Reditus piscinarum, et impensæ quoque. Villa Hirrii. Varro correctus, et Columella. Nomina piscibus imposita, et inquisitores iis fugitivis constituti.

At vero quid in his conviviis, circa quod tanti sumptus? dicam sigillatim: vidimus quædam in patina ista Vitellii apud Suetonium. Promiscue autem appositi pisces cum avibus, et quidem magno numero, ut necesse erat in magno convivio. De Vitellii fratre narrat Suetonius: « Famosissima super cæteras fuit cœna ei data adventitia a fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium, apposita traduntur. » C. Cæsar dictator, triumphalem cœnam apparaturus, sex millia murænarum ab Hirrio ad pondus accepit. Auctores Macrobius, Saturnal. lib. II, cap. 11, et Plinius, lib. IX, cap. 55. Sed quid? ad pondus? Ita: ab hoc æstimabantur pisces. Martialis, lib. III, epigr. 45, v. 5:

> Nolo mihi ponas rhombum mullumve bilibrem.

Horat. lib. II, sat. 2, v. 34 et 35:

> .... laudas insane trilibrem
> Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.

Juvenalis, Sat. IV, v. 15 et 16:

> .... mullum sex millibus emit,
> Æquantem sane paribus sestertia libris.

Adeoque in ipsis conviviis ponderabant, adstantibus notariis multis, qui ponderis scilicet miraculum in pugillares referrent. Ammianus, lib. XXVIII: « Poscuntur etiam in conviviis aliquoties trutinæ, ut adpositi pisces, et volucres, ponderentur, et glires. Quorum magnitudo sæpius delicata, non sine tædio præsentium, ut antehac inusitata, laudatur assidue. Maxime, quum hæc eadem numerantes notarii prope triginta adsistant, cum thecis, et pugillaribus. » Quando autem in mulli mentionem incidimus, producamus de eo sermonem. Magnæ, immo maximæ, deliciæ in hoc pisce. Piget meis verbis rem referre, utar Senecæ, quæ exstant Nat. quæst. lib. III, cap. 17: « Quanto incredibiliora sunt opera luxuriæ, quoties naturam aut mentitur, aut vincit. In cubili natant pisces, et sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur in mensam. Vitreis ollis inclusi offeruntur, et observatur morientium color, quem in multas mutationes mors, luctante spiritu, vertit: alios necant in garo, et condiunt vivos. Et sunt, qui fabulas putant, piscem vivere posse sub terra, et effodi, non capi. Quam incredibile illis videretur, si audirent, natare in garo piscem: et cœnæ causa occisum esse super cœnam, quum multum in deliciis fuit, et oculos ante, quam gulam, pavit. Permitte mihi, quæstione seposita, castigare luxuriam. Nihil est, inquis, mullo exspirante formosius. Illa colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pallor suffunditur: quam æque variatur, et incerta facies inter vitam et mortem coloris est. Vacatio longa somniculosæ inertisque luxuriæ. Quam sero experrecta circumscribi se, et fraudari tanto bono, sensit. Hoc adhuc tanto spectaculo, et tam pulchro, piscatores fruebantur, qui coctum piscem in ipso ferculo etiam experirentur. Mirabatur tantum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi eodem die captum, piscem; qui, ut aiunt, saperet ipsum mare. Ideo cursu advehebatur,

ideo gerulis cum anhelitu et clamore properantibus dabatur via. Quo pervenere deliciæ? Is pro putrido jam piscis adfertur, qui non hodie eductus, hodie occisus est. Nescio de re magna tibi credere. Ipse oportet mihi credam: huc afferatur, coram me animam agat. Ad hunc fastum pervenit venter delicatorum, ut gustare non possint piscem, nisi, quem in ipso convivio natantem, palpitantemque viderint. » Brevius Plinius, lib. IX, cap. 17: « Mullum exspirantem versicolori quadam, et numerosa, varietate spectari, proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem, utique si vitro spectetur inclusus. » Quæ, malum, hæ deliciæ? vix credamus, nisi ab iis auctoribus haberemus, quibus fidem hic negare sit piaculum. Et petebant a longinquis regionibus. Juvenalis, Sat. V, v. 92, 4:

> Mullus erit domini, quem misit Corsica, vel quem
> Tauromenitanæ rupes; quando omne peractum est,
> Et jam defecit nostrum mare.....

De muræna ille ipse ibidem, v. 99 et 100:

> Virroni muræna datur, quæ maxima venit
> Gurgite de Siculo.....

De scaro Petronius, Sat. c. 119, Carm. de Bel. Civ. v. 33:

> Ingeniosa gula est, Siculo scarus æquore mersus
> Ad mensam vivus perducitur.....

Sed adhuc mihi in animo mullus est, cujus nondum pretium dixi, quod plane magnum. Quippe Octavius emit quinque millibus sestertium, sive ducentis quinquaginta florenis. Seneca narrat, epistola XCV: Alius quis sex millibus, sive florenis trecentis. Juvenalis, Sat. IV, v. 15 et 16:

> .... mullum sex millibus emit,
> Æquantem sane paribus sestertia libris.

Asinius Celer septem millibus, id est, trecentis quinquaginta florenis. Macrobius, Sat. libr. II, cap. 12. « Asinius Celer, vir consularis, ut idem Sammonicus refert, mullum unum septem millibus nummum mercatus est. » Sed Tertullianus, de Pallio, sex tantum millia narrat. « Asinius Celer mulli unius obsonium VI HS detulit. » Plinius octo, lib. IX, cap. 17. « Asinius Celer hoc pisce prodigus, Caio principe, unum mercatus octo millibus nummum. » Fuerunt qui emerent decem millibus, sive florenis quingentis. Suetonius in Tiberio, cap. 34 : « Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse, tresque mullos triginta millibus nummum venisse, graviter conquestus, etc. » Immane est, quod narrat Varro, de Re rust. lib. III, cap. 17 : « Celerius voluntate Hortensii ex equili educeres rhedarias, ut tibi haberes mulas, quam e piscina barbatum mullum. » At scis mularum pretium? supra exposui, extremo cap. 11. Compara jam cum his mullum, æstimatione illa Hortensiana. Quid acipenser? nonne tanti eum fieri deliciæ jusserunt, ut in mensam inferrent coronati, cum cantu tibiæ? factitatum id, Severi temporibus, ut testimonium perhibet Sammonicus, ejus ævi scriptor. Jam murænarum pretium hæc res ostendit, quod L. Crassus, vir censorius, murænam in piscina domus suæ mortuam atratus luxerit. Hæc nota sunt, neque testimoniis opus habent. Quid echinos, quid ostrea commemorabo? Hæc delicatuli isti primo morsu deprehendebant, ubi capta essent; illos ex adspectu judicabant. Juv. Sat. IV, v. 140 :

.... Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo,
Ostrea, callebat primo deprendere morsu :
Et semel adspecti litus dicebat echini.

Et ostrea quidem, maxime amabant grandia. Juvenalis, Sat. VI, v. 302 :

Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet.

Eaque Lucrina. Petronius, Satirico, c. 119, v. 34:

.... inde Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas.

Martialis, lib. III, epigr. 60, v. 3:

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.

Atque aperiebant in ipsa mensa. Discimus ex Seneca, epistola LXXXVIII. « O infelicem ægrum! quare? Quia non ostrea illi Lucrina in ipsa mensa aperiuntur. » Primus his primas tribuit Sergius Orata. Macrobius, Sat. lib. II, cap. 11: « Sergius Orata, qui primus balneas pensiles habuit, primus ostrearia in Baiano locavit, primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit. » Habebat etiam Tiberis, quo se commendabat luxuriosis, lupum, eumque inter duos pontes captum. Titius, in Orat. qua legem Fanniam suasit: « Edimus turdum pinguem, bonumque piscem lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit. » Et Lucilius:

Illum sumina ducebant, atque altilium lanx:
Hunc pontes tiberinos duo inter captus catillo.

Dignoscebant quoque ex sapore, quod de ostreis jam narravi. Observes ex Horatio, lib. II, sat. 2, v. 31 et 32:

Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet: pontesne inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci?....

At in pretio hoc piscium, quam magni reditus annui dominis? Sane immensi: facile putari ratio potest. Unum mullum vendebant eo pretio, quo dixi. Non credimus quidem omnes tam care emptos, apage: tamen centum pas-

sim, et præter propter, Carolinis venierunt. Atque horum aliquot millia alebant in piscinis. Adde tot murænas, tot scaros, et cæteri generis; quorum etsi pretia non tam magna, quam mullorum, tamen etiam satis magna. An non immensas igitur opes acceperunt isti piscinarii? Nemo dubitabit, milliones sæpe aliquot excessisse : et hac de causa caræ piscinæ, et propter eas villæ : adeoque Hirrius suam vendidit quadringenties sestertio, id est, vicies centum mille florenis. Narrat de eo Varro, lib. III, cap. 17: « Memini hunc Cæsari duo (Plinius et Macrobius sex) millia muræenarum mutua dedisse in pondus, et propter piscium multitudinem quadringenties sestertio villam venisse. » Hodie editur, quadragies sestertio : at corrigendum esse supra monui. Et exiguum hoc est. Superavit Lucullus, cujus sola piscina tanti vendita. Idem Varro, libro citato, cap. 2 : « M. Cato nuper, quum Luculli accepit tutelam, e piscinis ejus quadraginta millibus sestertiis vendidit pisces. » Columella etiam amplius tradidit, lib. VIII, cap. 16 : « Attamen iisdem temporibus, quibus hanc memorabat Varro luxuriem, maxime laudabatur severitas Catonis, qui nihilominus et ipse, tutor Luculli, grandi ære sestertium quadringentorum millium piscinas pupilli sui venditabat. » Sed exorbitavit librarius : rescribe, sestertium quadraginta millium. Et habebant eas plures conjunctas. Varro : « Quis nostrum non una contentus est hac piscina ? quis contra maritimas non ex piscinis singulis plures conjunctas habet ? » Ut vero reditus magni, ita etiam impensæ. Varro ait, « ædificantur magno, implentur magno, aluntur magno ». Atque ad postremum quod attinet; ille ipse Hirrius, de quo jam dixi, consumebat quotannis sestertia duodena millia, sive florenos sexcenties mille. Varro loco citato : « Hirrius circum piscinas suas ex ædificiis duodena millia sestertia capiebat. Eam omnem mercedem escis, quas dabat piscibus, consume-

bat.» Atque hactenus sumptuosæ deliciæ : dabimus jam ridiculas etiam. Nomina piscibus nonnulli imponebant. Plinius, lib. X, cap. 70 : « Spectatur et in piscinis Cæsaris, genera piscium ad nomen venire, quosdamque singulos.» Martialis, lib. IV, epigr. 30, vs. 3 sqq.

> Sacris piscibus hæ natantur undæ,
> Qui norunt dominum, manumque lambunt
> Illam, qua nihil est in orbe majus.
> Quid, quod nomen habent, et ad magistri
> Vocem quisque sui venit citatus?

Item lib. X, epigr. 30, vs. 21 sqq.

> Piscina rhombum pascit, et lupos vernas.
> Natat ad magistrum delicata muræna:
> Nomenculator mugilem citat notum;
> Et adesse jussi prodeunt senes mulli.

Item constituti inquisitores fugitivorum. Juven. Sat. IV, vs. 45 sqq. clare indicat:

> Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister
> Pontifici summo: quis enim proponere talem,
> Aut emere, auderet, quum plena et litora multo
> Delatore forent? dispersi protinus algæ
> Inquisitores agerent cum remige nudo,
> Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,
> Depastumque diu vivaria Cæsaris; inde
> Elapsum, veterem ad dominum debere reverti.

CAPUT XV.

Selectæ avium partes ad delicias. Turdorum prima gloria. Eorum pretium, ut et pavonum, et columbarum. Aviariorum magnitudo. Etiam aucupum, et venatorum, in provinciis cohortes.

Hactenus de piscibus : atqui et aves in deliciis, et ex iis selectæ quædam partes : videamus. Suetonius, cap. 8,

narrat in patina Vitellii fuisse phasianorum et pavonum cerebella, linguas phœnicopterorum. De phœnicopteris, testis etiam Martialis, lib. XIII, epigr. 71:

> Dat mihi penna rubens nomen; sed lingua gulosis
> Nostra sapit: quid si garrula lingua foret?

Primas tenebant turdi. Horatius, lib. I, epist. xv, v. 41:

> Nil melius turdo.....

Martialis, libro citato, epigr. 92:

> Inter aves turdus; si quid me judice certum est:
> Inter quadrupedes, mattea prima lepus.

Itaque alebant hos magno numero, et vendebant pretio satis magno. Utrumque accipe ex loco Varronis, de Re rust. lib. III, cap. 2: « In hac villa qui est ornithon, ex eo uno quinque millia scio venisse turdorum denariis ternis, ut sexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villæ. » Reddiderint ergo quinque mille turdi tria millia florenorum. Major reditus Aufidio Lurconi ex pavonibus. Varro, libro citato, cap. 6: « De pavonibus nostra memoria greges haberi cœpti, et venire magno. Ex iis M. Aufidius supra sexagena millia nummum in anno dicitur capere. » Et venibant singuli quinquaginta denariis, sive decem florenis; ova eorum quinque, sive floreno uno. Primus posuit Hortensius, augurali aditiali cœna. Varro: « Primus hos Q. Hortensius augurali aditiali cœna posuisse dicitur; quod protinus factum tam luxuriosi, quam severi boni viri, laudabant. Quem cito sequuti multi extulerunt eorum pretia, ita ut ova eorum denariis veneant quinis, ipsi facile quinquagenis. » Tertullianus, de Pallio: « Præcidam gulam, qua Hortensius orator primus pavum, cibi causa, potuit occidere. » Sequuntur columbæ; quarum paria vulgo vendebant ducenis nummis, id est, decem florenis; et exi-

mia si quæ essent, singulis millibus, id est, quinquaginta. Adeoque L. Axius noluit minoris quadringentis denariis, id est, florenis octoginta. Varro ibidem, cap. 7: « Paria singula (columbarum) vulgo veneunt ducenis nummis, nec non eximia singulis millibus nummum; quas nuper quum mercator tanti emere vellet a L. Axio, equite romano, minoris quadringentis denariis daturum negavit. » Et hæc quidem severiore adhuc ætate Varronis. Postea autem quatuor millibus nummum, id est, ducentis florenis, neque vendere, neque emere puduit. Columella, lib. VIII, cap. 8: « Pretiis eorum domini complent arcam, sicut eximius auctor M. Varro nobis affirmat; qui prodidit, etiam illis severioribus suis temporibus paria singula (columbarum) millibus singulis sestertiorum solita venire. Nam nostri pudet seculi, si credere volumus, inveniri, qui quaternis millibus nummum binas aves mercantur. » Sed in tanto luxu, tantum consumente, quomodo aves suffecerunt? Alebant eas maximo numero, adeoque aviaria habuerunt majora, quam olim villas. Varro clare, de Re rust. lib. III, cap. 3: « Nunc aviaria sunt, nomine mutato, quod vocantur ornithones, quæ palatum suave domini paravit, ut tecta majora habeant, quam tum habebant totas villas, in quibus stabulentur turdi, ac pavones. » Verum neque hæc sufficiebant, itaque et ab exteris petere necesse fuit; apud quos aucupum, et venatorum, totæ cohortes. Latinus Pacatus, in Panegyrico: « Ut taceam, infami sæpe delectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes, militasse conviviis. »

CAPUT XVI.

Sumptus funebres. Muuera gladiatoria; et servorum manumissio: pretiumque eorum item inquisitum. Lex Fusia Caninia, quæ postea sublata. C. Curionis theatrum ingeniosum. Claudii Isidori testamentum. Anterotis legatum, ad epulum annuum. Suetonius emendatus. Lex Syllæ, mox ab ipso violata. C. Figuli sepulcrum.

Hactenus vivorum luxum; nunc et mortuorum nobis proponamus. Dixi pridem, libro proprio De Funere: sed non præter rem facturum me putavi, si in fine quoque hujus operis repræsentarem. Ac antiqua quidem Roma non tantopere modum excessit. De Menenio Agrippa tradit Valerius Maximus, lib. IV, cap. 4: « Nisi a populo, collatis in capita sextantibus, funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, ut sepulturæ honore caruisset. » Incertum, quot illo ævo capita in populo; sed, non injusta temporum subsequutorum ratione animadversa, detractis, quæ per ea fieri potuerunt, incrementis, et consideratis illis, quos continua bella hauserunt, centum millia fuisse, aut præterpropter, non injuria statuemus; idque cum suffragio eorum, qui romanæ rei periti. Contulerit ergo hæc multitudo in sextantibus circiter sexcentos florenos. Eadem fere tempestate, id est, decennio ante, decessit etiam in ingenti paupertate Valerius Publicola: populusque eum publico funere efferendum esse statuit, collato a singulis quadrante. Plutarchus, in ejus vita: Ὁ δὲ δῆμος, ὥσπερ οὐδὲν εἰς ζῶντα τῶν ἀξίων πεποιηκὼς, ἀλλὰ πᾶσαν ὀφείλων χάριν, ἐψηφίσατο δημοσίᾳ ταφῆναι τὸ σῶμα, καὶ τεταρτημόριον ἕκαστος ἐπὶ τιμῇ συνεισήνεγκεν. *Populus vero, tanquam vivo nihil eorum, quæ meritus fuerat, persolvisset, sed omnem adhuc deberet gratiam, decrevit, ut publico funere efferretur, quadrantem singulis conferentibus.* Ecce

autem quadrantem unusquisque tribuit; id est, circiter octingentos quinquaginta Carolinos universi. Tantum impendit paupertina illa Roma, et in ferrea ætate plane aurea. At deinde, ut imperium urbis crevit, ita civium quoque opes, et cum iis item luxus: adeoque in Syllæ rogum feretra aromatum ducenta decem sunt injecta; tum ipsius quoque statua, et lictoris, ambæ justa magnitudine, ex thure, et cinnamomo. Vide Plutarchum, qui in vita ejus dicit. Statius, de Priscillæ funere, Sylv. lib. V, carm. 1:

> .... quis carmine digno
> Exsequias, aut dona malæ feralia pompæ,
> Perlegat? omne illic stipatum examine longo
> Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
> Indorumque arsura seges, præreptaque templis
> Thura, Palæstini simul Hebræique liquores,
> Coryciæque comæ, Cinyreaque germina; et altis
> Ipsa thoris Serum tyrioque umbrata recumbit
> Tegmine.....

Nero, in funere Poppeæ, plus cinnamomi et casiæ combussit, quam toto anno Arabia universa ferret. Plinius, lib. XII, cap. 18: «Beatam Arabiam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps novissimo Poppeæ suæ die concremaverit.» Quantum igitur impendium in aromatibus solis fuisse censes? Audi Plinium computantem, eodem loco: «Æstimentur singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadaverum, quæ diis per singulas micas dantur. Minima computatione millies centum millia sestertium annis omnibus India, et Seres, peninsulaque illa, imperio nostro adimunt: tanti nobis deliciæ, et feminæ, constant.» Ecce facit illa summa milliones quinque. At feminas quoque in partem trahit: et scimus, magnum quoque illarum luxum fuisse. Sed tamen vix ter-

tiam partem vindicare sibi poterunt. Jam quanti sumptus censes ipsam rogi struem, tantum pretiosissimarum vestium, tantum auri, argentique, tantum gemmarum, quæ in rogum injiciebantur? quanti epulum, populo datum? ludos funebres, munera gladiatoria, magnas moles sepulcrorum? anne excedere multa millia florenorum? immo sæpe aliquot centena millia? immo etiam milliones? Examinemus, quæso, in parte: et, proportione justa, totum inde æstimemus. Servorum gladiatorum multi centum paria dabant. Persius, Sat. VI, vs. 41, 49:

> .... at tu, meus hæres,
> Quisquis es, a turba paullum seductior, audi.....
> Dis igitur genioque ducis centum paria, ob res
> Egregie gestas.....

Et Horatius Sat. II, 3, vs. 85, 86:

> .... gladiatorum dare centum
> Damnati populo paria.....

Adde jam centenos multos, etiam in pompam sæpe manumissos: qua in re tam prodigi erant, ut lex Fusia Caninia ire obviam debuerit, quæ excedere centenarium numerum prohiberet. Testis Caius, Institut. cap. 3, et Julius Paulus, Recept. sentent. lib. IV, cap. 14. Et obtinuit ad Justiniani tempora: a quo rursum, velut invida libertati, abrogata est. Nunc a pretio servorum rationem ineamus: quod cujusmodi exstiterit, ostendemus. Plutarchus de Catone majore, in vita ejus tradit: Οὐδένα δὲ πώποτε πρίασθαι δοῦλον ὑπὲρ τὰς χιλίας δραχμὰς, καὶ πεντακοσίας. *Nullum vero servum pluris unquam emisse, quam mille et quingentis drachmis.* Mille autem quingentæ drachmæ valent sex millia nummum. Columella, de servo vinitore, lib. III, cap. 3: « Vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium comparari posse putat; sed ego, plu-

rimorum opinioni dissentiens, pretiosum vinitorem imprimis censeo: isque licet sit emptus sex, vel potius sestertiis octo millibus.» Plinius, lib. X, cap. 29: «Servorum illis pretia sunt, et quidem ampliora, quam quibus olim armigeri parabantur. Scio sestertiis sex, candidam alioquin, quod est prope inusitatum, venisse, quæ Agrippinæ, Claudii principis conjugi, dono daretur.» Et Juvenalis, de mullo sex millibus empto, Sat. IV, v. 25, 26:

> .... potuit fortasse minoris
> Piscator, quam piscis, emi....

Scio etiam majori pretio aliquando venditos: nam Calvisius Sabinus centenis millibus nummum emit, apud Senecam, epist. XXVII. Et Martialis, lib. XI, epigr. 71, exprobrat Tuccæ:

> Vendere, Tucca, potes centenis millibus emptos.

Alii, etiam longe pluris: apud Plinium, lib. VII, cap. 39. Sed Catonem nunc sequamur, rerum optimum censorem; et sex millibus nummorum servos singulos æstimemus: ergo impenderint in ducentis sexaginta mille florenos. Atque hæc non referebant illi quidem in rationes, sic magnificentiam exsequiarum fieri illustriorem sine aliquo suo sumptu existimantes: quum plerumque non emptitios, verum vernas, atque domi suæ natos, sive etiam ex hereditate, haberent. Illud tantum numerabant, quod expendere opus foret. Quin interdum, ut majores sumptus fierent, munera exhibituri, sive ludos, argenteo nonnulli arenæ apparatu, et argenteis quoque hastis, utebantur. Primus illud fecit Julius, et ab illo deinde alii. Plinius, lib. XXXIII, cap. 3: «Cæsar, qui postea dictator fuit, primus in ædilitate, munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo usus est: ferasque argenteis hastis

incessere, tum primum visum. » Quidam etiam, non contenti publicis theatris, temporaria exstruebant, iterum mox destruenda. Plin. de Curione quodam ingerit, lib. XXXVI, cap. 15 : « C. Curio, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, funebri patris munere, quum opibus, apparatuque, non posset superare Scaurum, (unde enim illi vitricus Sylla, et Metella mater, proscriptionum sectrix ?) quum jam ne ipse quidem Scaurus comparari sibi posset, quando hoc certe incendii illius præmium habuit, convectis ex orbe terrarum rebus, ut nemo postea par esset insaniæ illi. Ingenio ergo utendum fuit : operæ pretium est scire, quid invenerit, et gaudere moribus nostris, ac nostro modo nos vocare majores. Theatra duo juxta fecit, ex ligno cardinum duorum versatili suspensa libramento ; in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenæ ; et repente circumactis, ut contra starent, postremo jam die discedentibus tabulis, et cornibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat. » Admirandum opus, et magnæ impensæ : quanti æstimas reliquum funus? Idem Plinius, lib. XXXIII, cap. 10, tradit, sub Augusto, consulibus Lucio Asinio Gallo et Caio Marcio Censorino, quendam Caium Cæcilium Claudium Isidorum jussisse se funerari undecim millibus sestertium : id est, quingentis quinquaginta millibus florenorum. Accipe verba : « C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino consulibus, ad VI kal. februarias, C. Cæcilius Claudius Isidorus funerari se jussit sestertiis undecim millibus. » Obstupesco, et indignor. Ergo olim civi, et quandoque homini e plebe etiam, funus factum, quale hodie nulli regum, principumve? Accipe aliud, quod et magis admireris. Q. Minutius Anteros, homo libertus, verum sevir Augustalis, præter sumptus funerales, legavit seviris collegis decem millia sestertium ; id est, quingenta millia

florenorum : e quorum reditu quotannis, natali suo, epulum agerent. Id ostendit Lapis vetus:

Q. MINVCIVS. Q. L. ANTEROS. VI.
VIR. AVGVSTAL. HIC. SEVIRIS. AV
GVSTAL. ALETRINAT. LEGAVIT
HS. ccIↃↃ. QVOIVS. EX. REDITV
QVOD. ANNIS. NATALI. SVO. VI.
ID. FEB. VESCERENTVR.

Jam hos reditus computemus, semiunciario fenore : erunt amplius viginti mille floreni. Sed ad ipsos imperatores veniamus. Quantæ hic impensæ erunt? Suetonius, de Vespasiano, cap. 19 : « Interrogatis palam procuratoribus, quanti funus, et pompa, constaret, ut audiit, sestertium C, exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent. » Sed non potest, quin sit mendum. Quid enim? homo aliquis plebeius, ut ex Plinio jam retuli, quingenta sibi et quinquaginta destinavit : rescribendum itaque puto : sestertium ∞, id est, millies. Ac, me recte emendasse, ipse adeo Suetonius fidem faciet : qui et de Nerone narrat, cap. 50 : « Funeratus est impensa ducentorum millium », id est, decem millionum : et omnino hæc est justior proportio. Sed abominor luxum vestrum hunc, Romani; qui ingentes adeo opes etiam mortui prodegistis, ad opprobrium naturæ tanto gravius. Nec hæredum tamen semper hæc ambitio, sed ipsorum aliquando morientium, qui jubebant testamento. Seneca, de Brevitate vitæ, cap. 20 : « Quidam disponunt etiam illa, quæ ultra vitam sunt; moles magnas sepulcrorum, et operum publicorum dedicationes, et ad rogum munera, et ambitiosas exsequias. » Et exempla jam produxi, Isidori et Anterotis. Ac centuriæ optio quidam, sepulcro suo faciendo, sestertium bis mille legavit. Lapis vetus ecce testimonium perhibet :

OPTIO. IN
CENTVRIA. HOC. FIERI. JVSSIT
HONORIS. PIETATISQVE. CAV
SA. SIBI. C. LVCILIO. SECVNDO
PATRI. ET LVCILIÆ. SVÆ. AVIÆ
EX. HS. ∞ ∞. PRÆLEGATIS

Sed, an nemo est conatus coercere? Perdifficile illud ea tempestate, qua luxuriæ quasi ergastulum Roma universa erat. Fecit tamen, ante imperatorum tempora, L. Sulla: et legem tulit, sed quam ipse, in Metellæ uxoris funere, est transgressus. Plutarchus, in vita ejus: Τὸν δὲ τῆς ταφῆς ὁρίζοντα τὴν δαπάνην νόμον, αὐτὸς παρεισενηνοχὼς, παρέβαινε, μηδενὸς ἀναλώματος φεισάμενος. *Legem vero, quam de sumptu funerali ipse tulerat, est transgressus, nullis impensis parcens.* At lex ista qualis fuit? vellem ejus non tam obiter meminisset, neque nunc ignoraremus. Unum scimus, pœnam transgressori dictam, ut tantundem populo daret, quantum monumento suo, supra quod lex concedebat, impendisset. Accipio ex Cicerone, ad Atticum, lib. XII, epist. xxxv: « Nunquam mihi venit in mentem, quum plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse. »

Habes tibi luxum Romanorum, lector, pariter in vita et morte usitatum. Damno, damno; et in hac sententia finio.

PRAEMONITIO AD LECTOREM.

Astrampsycho, cujus iambi onirocritici hoc folio *verso* ac deinceps leguntur, complura alia tribuuntur scripta passim in Bibliothecis exstantia, quorum ex numero præcipue tria sunt græce inedita: 1°. *Astrologia*, inscripta in hunc modum: Βασιλεῖ Πτολεμαίῳ Ἀστράμψυχος, ἱερεὺς καὶ βίβλων ἐπισφραγιστής, ἰδίῳ δεσπότῃ χαίρειν· inc. Ὅτι μηδὲν ὠφελεῖ σε τῶν καλῶν λανθάνειν· extatque in codd. tribus Regiis, 2421 (olim in ead. Bibliotheca 2732,3, et in bibl. Colbertina 1240), 2422 (olim Colbertino 2202, quo numero laudatur in Harles. Biblioth. græc. Vol. IV, pag. 152. A.), et 2424 (olim 559 et 2732). 2.° *Siderum theoria*, inscripta: Ὅταν συντρέχωσιν οἱ ἀστέρες εἰς ἓν σχῆμα, τί ἀποτελοῦσιν· servata in iisdem codd. Regg. 2421, 2422 et 2424. 3.° *Cælum Pythagoricum*, sive *Laxeuterium*, quod tamen alii ei abjudicant: inscribitur sic in codd. Regg. 2421 et 2424: Ἀρχὴ σὺν Θεῷ τοῦ Πυθαγορικοῦ λαξευτηρίου ἤτοι τοῦ ῥαβολίου, οὕτω πως λεγομένου περσιστί. Suntque sine ulla dubitatione opuscula illa recentiora multo quam ex ementita ad Ptolemæum regem inscriptione possis colligere, vocibusque non labentis et inclinatæ, sed prostratæ prorsus perditæque græcitatis abundant. Habent tamen, inter vana atque inepta multa, alia quædam ad mores Græcorum medii ævi pertinentia, nec fortasse penitus contemnenda.

De Nicephoro patriarcha constantinopolitano, somnia interpretante versibus iambicis, et de Zoroastri magicis oraculis, breviter egimus in præfatiuncula, huic volumini præfixa.

ΑΣΤΡΑΜΨΥΧΟΥ

ὈΝΕΙΡΟΚΡΙΤΙΚΌΝ.

ΑΝΘΡΑΞΙ βαίνειν, ἐχθρικὴν δηλοῖ βλάβην.
Ἆπιν κρατῶν τις, ἀςοχεῖ τῶν ἐλπίδων.
Ἀργῶς κινεῖσθαι, δυςυχεῖς ποιεῖ τρίβους.
Ἀρθεὶς νόον, γίνωσκε γῆν ναίειν ξένην.
Ἄςρα βλέπειν, κάλλιςον ἀνθρώποις πέλει.
Βαίνων δέ κεράμοις δυσμενῶν βλάβην φύγοις.
Βόας θεωρεῖν, εἰς κακὴν πρᾶξιν φέρει.
Βότρυς κατέσθειν, ὀμβρικὴν δηλοῖ κλύσιν.
Βρονταὶ καθ' ὕπνους ἀγγέλων εἰσὶ λόγοι.
Βρῶσις σύκων δείκνυσι φληνάφους λόγους.
Γάλα γαληνῶν πρόξενον πέλει τρόπων.
Γάλα σκεδάζει δυσμενῶν συμβουλίας.
Γελῶν καθ' ὕπνους, δυσφόρους ἕξεις τρόπους.
Γέροντα σαυτὸν εἰ βλέπεις, ἕξεις γέρας.
Γυμνὸς καθεσθεὶς, σῶν ὑπεκςῇς πραγμάτων.
Δυσωδίαν νόμιζε τὴν ἀηδίαν.
Εἰ θυμιᾷ σέ τις, πικρὸν τὄναρ τόδε.
Ἔκδηλός ἐςι βόρβορος ψυχῆς ῥύπος.
Ἐχθροῖς συνέσθειν, εἰς συναλλαγὰς φέρει.
Εὔχρηςον ἀνδρὶ συμπλακῆναι φιλτάτῳ.
Ἐκκλησίαις ἑςῶσιν ἔγκλησιν φέρει.
Ζώνη κοπεῖσα τὴν ὁδὸν λύει ταχύ.
Ἥλους κρατῶν τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν βλέπεις.
Θάλατταν εἰδεῖν μειδιῶσαν, εὔθετον.
Θανὼν καθ' ὕπνους, δυσφόρους ἕξεις τρόπους.
Θρίδακας ἔσθειν, σωμάτων δηλοῖ νόσον.

ASTRAMPSYCHUS
DE SOMNIORUM JUDICIIS.

Per prunas incedere, damnum ab inimicis significat.
Apem habens aliquis frustratur spe sua.
Segniter moveri, calamitosa efficit itinera.
Elatus animo, statue peregrinam terram tibi esse incolendam.
Astrorum conspectus optimus hominibus est.
Incedens per testas, inimicorum damnum fugias.
Boves in somnis videre significat malum.
Uvas comedere, imbris significat inundationem.
Tonitrua in somnis sunt angelorum sermones.
Esus ficuum significat futiles sermones.
Lac tranquillorum index est morum.
Lac dissipat inimicorum consilia.
Ridens in somnis, difficiles habebis mores.
Senem te esse si vides, habebis honorem.
Nudus sedens, tuis cedes bonis.
Graveolentiam existimato molestiam.
Si quis suffitum tibi facit, acerbum id somnium est.
Lutum manifestas animi sordes notat.
Cum inimicis edere, ad reconciliationem confert.
Perutile est virum complecti carissimum.
In concione stare crimen adfert.
Cingulum dissectum iter cito dissolvit.
Clavos tenens, stimulos inimicorum cave.
Mare videre placidum, opportunum est.
Mortuus in somnis, curarum eris expers.
Lactucis vesci, corporis denotat morbum.

Ἰλὺν πεπλευκὼς τοῦ νοὸς νόει βλάβην.
Ἵππους μελαίνας οὐ καλὸν πάντως βλέπειν.
Ἵππων δὲ λευκῶν ὄψις ἀγγέλων φράσις.
Καλὸν πέτεσθαι, πράξεως καλῆς τόδε.
Κερδοῖ συνὼν τὴν κερδοσύνην προσδόκα.
Κίρκους κατασχὼν, οὗ θέλοις πάντως τύχοις.
Κλαίων καθ' ὕπνους παγχαρὴς πάντως ἔσῃ.
Κλασθεῖσα ῥάβδος οὐ καλὸν φέρει πέρας.
Κλεῖδας κρατεῖν δὲ, σύνθεσιν δηλοῖ τρόπων.
Κλῆμα κρατήσας, ἐγκαλεῖσθαι προσδόκα.
Κόπρῳ καθεσθεὶς, ζημίας ἕξεις τρόπους.
Κρημνοῦ πεσόντα, δυστυχῆ δηλοῖ τύχην.
Κυνῶν ὑλαγμὸς ἐχθρικὴν δηλοῖ βλάβην.
Λάκκῳ καθεῖναι σαυτὸν, οὐ καλόν τόδε.
Λαλεῖν καθ' ὕπνους νητρεκὲς τοὔναρ τόδε.
Λέοντας εἰδεῖν, δυσμενῶν δηλοῖ μάχην.
Λευκὰς ὁρᾷν τὰς σάρκας, εὔθετον λίαν.
Λευκὴν στολὴν κάλλιστον εἰν ὕπνῳ φέρειν.
Λύκος κεχηνὼς φληνάφους δηλοῖ λόγους.
Μάχην μάχαιρα ζωγραφεῖ κρατουμένη.
Μητρὶ πλακῆναι, καλὸν ἔστ' ὄναρ τόδε.
Μῦς δ' αὖ φανεὶς, ἔνδηλος ἐν τρόποις πέλει.
Νεκροὶ βόες, δηλοῦσι τοὺς λιμοῦ χρόνους.
Νεκροὺς ὁρῶν, νέκρωσιν ἕξεις πραγμάτων.
Νενησμένα κρατῶν δὲ, προσδόκα λύπας.
Νῆξις θαλάσσης, ἀγρίας δηλοῖ λύπας.
Νῆξις θαλάσσης ἡμέρας, ὄναρ καλόν.
Ξηρῶν φανέντων δενδρέων, κενοὶ κόποι.
Οἱ μάργαροι δηλοῦσι δακρύων ῥόον.
Οἶνος κενωθεὶς ἀγγέων, παύει λύπας.
Οἶνος ῥυπώδης ἐκτρανοῖ πολλὰς λύπας.
Οἴνου μεταστὼν, προσδόκα δεινὰς μάχας.
Ὄλμον καθαίρειν, φροντίδων δηλοῖ λύσιν.
Ὄρει προσέρπειν, πραγμάτων δηλοῖ βίον.

Si in limo navigaveris, mentis conjice noxam.
Equas nigras videre, omnino non est bonum.
Equorum vero alborum visio, angelorum apparitio est.
Bonum est volare, actionis probæ hoc signum est.
Cum lucro versans exspecta emolumentum.
Accipitres si cepisti, quod voles consequeris.
Plorans in somnis, lætissimus omnino eris.
Fracta virga non fert bonum exitum.
At claves tenere, mores compositos declarat.
Palmitem si tenueris, criminationes exspecta.
In fimo si sederis, noxios habebis mores.
Præcipitio lapsum esse, calamitosam sortem significat.
Canum latratus hostile designat damnum.
Lacui immittere sese, non bonum hoc.
In somnis loqui, verum somnium hoc est.
Leones videre, hostium indicat pugnas.
Albas videre carnes, valde commodum est.
Vestem albam in somnis ferre, optimum est.
Lupus hians ineptos significat sermones.
Pugnam gladius designat arreptus.
Matrem amplecti, bonum est somnium.
Mus vero conspectus benignos mores arguit.
Mortui boves significant famis tempora.
Mortuos videns, exitium rerum habebis.
Fila tenens, exspecta molesta.
Natatio marina sævos indicat dolores.
Natatio marina interdiu bonum somnium est.
Quum aridæ apparuerint arbores, inanes labores erunt.
Margaritæ significant lacrymarum flumen.
Vinum effusum e vasis sedat molestias.
Vinum mucidum declarat multas molestias.
Vinum si hauseris, exspecta graves pugnas.
Truncum corporis purgare, solutionem curarum significat.
Ad montem arrepere, negotiorum significat difficultatem.

Ὀρῶν ἔλαιον, ἐκφύγῃς πᾶσαν βλάβην.
Ὄφεις πατεῖν, τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν λύει.
Πᾶσαι δὲ μίξεις πρόξενοι μακρῶν πόνων.
Πέδας κρατῶν, κίνδυνον ἐλθεῖν προσδόκα.
Περιστερὰς βλέπειν δὲ, προξενεῖ βλάβας.
Πέτρᾳ καθεσθεὶς, ἐλπίδας χρηστὰς ἔχε.
Πηγὴ διαυγὴς, τὰς νοὸς λύει λύπας.
Πόδας καθαίρειν φροντίδων δηλοῖ λύσιν.
Πόδας πλατεῖς ἔχοντα, σημαίνει λύπας.
Ποδῶν κοπέντων, μηδ' ὅλως ἄρχου τρίβου.
Πρήθων τὸ σῶμα, δυσκλεὴς ἔσῃ λίαν.
Πῶλον βλέπειν τρέχοντα, μυστικὸν τόδε.
Σάρκας μελαίνειν, οὐ καλὸν παισὶν τόδε.
Στολὴν φορεῖν μέλαιναν, οὐ καλὴ θέα.
Στολὴν δ' ἀλουργὸν, εἰς μακρὰν νόσον φέρει.
Στολὴν δ' ἐρυθρὰν, εἰς καλὴν πρᾶξιν φέρει.
Στολὴν φορεῖν ἄνακτος, ἐλπίδων λύσις.
Στρουθὸν κρατῶν φεύγοντα, προσδόκα βλάβην.
Στύλον κρατῶν, ἔλπιζε τὴν θείαν χάριν.
Σαυθλᾶν μάχαιραν, δυσμενῶν δηλοῖ θλάσιν.
Σφῆκες φανέντες δυσμενῶν εἰσὶ βλάβαι.
Τείχει καθεσθεὶς, εὐτυχὴς πέλειν δόκει.
Τρέχειν καθ' ὕπνους, εὐσθενεῖς ποιεῖ τύχας.
Τρίχας καρῆναι, πραγμάτων δηλοῖ βλάβην.
Τρίχας πεσεῖν δὲ, κίνδυνον φέρει μέγαν.
Τρώγων γλυκεῖα, πικρίας ἕξεις τρόπους.
Τυφλὸν γενέσθαι, παγκαλὸν λίαν ἔφυ.
Ὕδωρ βλύον κάτωθεν, ἐχθροὺς μηνύει.
Ὕδωρ διαυγὲς, μηνύει χρηστὸν τόδε.
Ὕδωρ πίνων πηλῶδες, ἐν λύπαις ἔσῃ.
Φανεὶς λαγωὸς δυστυχεῖς ποιεῖ τρίβους.
Φιλεῖν, ἐγείρει δυσμενῶς μακρὰς μάχας.
Φλοῖσβος θαλάσσης, πραγμάτων δηλοῖ κλόνον.
Φωστῆρας εἰδεῖν, πραγμάτων δηλοῖ φάος.

Videns oleum, omnem effugies noxam.
Serpentes calcare, aculeos inimicorum solvit.
Omnes congressus longos labores conciliant.
Pedicas tenens, periculum venturum exspecta.
Columbas videre, denuntiat detrimentum.
Saxo insidens, spem bonam concipe.
Fons limpidus animi pellit molestias.
Pedes purgare, curarum solutionis signum est.
Pedes latos habere, notat molestias.
Pedibus amputatis, nullo modo iter suscipe.
Urens corpus, admodum infamis eris.
Pullum equinum currentem videre, arcanum est.
Carnes nigrescere, non bonum hoc est pueris.
Vestem ferre nigram, non pulchrum est spectaculum;
At vestem purpuream, in longum morbum conjicit.
Vestem rubram, honestæ actioni confert.
Vestem ferre regis, spei solutio est.
Passerem tenens fugientem, exspecta noxam.
Columnam tenens, spera divinam gratiam.
Gladium confringere, inimicorum significat contritionem.
Crabrones visi inimicorum sunt documenta.
Mœnibus insidere, fortunatum te fore putato.
Currere in somnis, firmas facit fortunas.
Capillos resecari, negotiorum notat damnum;
At capillos defluere, periculum affert magnum.
Edens dulcia, acerbis præditus eris moribus.
Cæcum videri, omnium optimum est.
Aqua scaturiens inferne inimicos indicat.
Aquam limpidam ebibere, utile hoc est.
Aquam bibens lutosam, corporis prædicit morbum.
Conspectus lepus, infelix facit iter.
Osculari, vel amare, excitat hostium diuturnas pugnas.
Sonitus maris, negotiorum significat concussionem.
Luminaria videre, rerum significat lucem.

Χεῖρας καθαίρειν, φροντίδων δηλοῖ λύσιν.
Χειρὸς πετασθεὶς κίρκος, ἄρχουσι βλάβη.
Χιτὼν ῥαγεὶς ἔῤῥηξε φροντίδων βάρος.
Χιὼν φανεῖσα, δυσμενῶν ἔχθρας φέρει.
Χρυσὸν κρατῶν, ἄπρακτος ὢν θέλεις ἔσῃ.
Χύσις ποταμία δυσμενῶν λύει χαράν.
Ὠὰ κρατεῖν, ἔσθειν τε, σημαίνει λύπας.

ΤΕΛΟΣ ΑΣΤΡΑΜΨΥΧΟΥ.

Manus lavare, curarum solutionem denotat.
Manu elapsus accipiter, imperantibus noxa est.
Tunica disrupta rumpit curarum onus.
Nix in somnis visa, hostium inimicitias adfert.
Aurum si tenueris, infecta erunt quæ vis.
Effusio fluvii, inimicorum solvit gaudium.
Ova tenere, et edere, denotat molestias.

FINIS ASTRAMPSYCHI.

ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ

ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ

ΟΝΕΙΡΟΚΡΙΤΙΚΟΝ

ΚΑΤΑ ΑΛΦΑΒΗΤΟΝ ΔΙΑ ΣΤΙΧΩΝ ΙΑΜΒΕΙΩΝ.

Αρχε πρὸ πάντων καὶ παθῶν καὶ κοιλίας,
Καὶ δάκρυα ςέναζον ἐκ τῶν ὀμμάτων,
Εὐχὰς προπέμπων ἐξ ὅλης τῆς καρδίας,
Καὶ χεῖρας αἴρων τῷ Θεῷ καὶ δεσπότῃ,
Ὅτε πρὸς ὕπνον ὡς βροτὸς νεῦσαι θέλῃς.
Οὕτω γὰρ ὄψῃ καὶ σαφῶς καὶ συντόμως
Τὰς τῶν ὀνείρων τὰς σκιώδεις ἐμφάσεις.
Ψευδεῖς ὀνείρους κοιλίας δηλοῖ γόμος,
Πολλὴ πόσις τε καὶ κάρωσις ἀκράτου,
Καὶ φροντίδων ζόφωσις καὶ φρενῶν γνόφος.
Ἀετὸν ἰδὼν ἄγγελον Θεοῦ νόει.
Ἀληθές ἐς' ὄναρ τὸ ἀλεκτρυόνος.
Ἄρτους ζέοντας ἐσθίειν δηλοῖ νόσον.
Ἄπιν κρατῶν τις ἀςοχεῖ τῶν ἐλπίδων.
Ἀργῶς κινεῖσθαι δυστυχεῖς ποιεῖ τρίβους.
Ἄνακτι προσλαλῶν τις ἄπρακτος μένει.
Ἀνδρὶ πλακεὶς φιλοῦντι εὔθετον νόει.
Ἄνθρακας βλέπειν ἐχθρικὴν δηλοῖ βλάβην.
Ἀρθεὶς νόον, γίγνωσκε τὴν γαῖαν ξένην.
Βίβλον κρατῶν, νόμιζε τιμὴν λαμβάνειν.
Βρονταὶ καθ' ὕπνον ἀγγέλων εἰσὶ λόγοι.
Βαίνων καθ' ὕπνους, δυσμενῶν κλίσεις νόει.

NICEPHORI
PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI
INTERPRETAMENTA SOMNIORUM
SECUNDUM ORDINEM ALPHABETI VERSIBUS IAMBICIS.

Impera imprimis et affectibus et ventri,
Et lacrymas exprime ex oculis,
Preces fundens ex toto corde tuo,
Manusque tollens ad Deum Dominum,
Quando te quieti secundùm humanitàtis leges tradere voles.
Sic enim videbis dilucide et expedite
Insomniorum umbrosas imagines.
Falsa insomnia ventris parit saburra,
Et crapula ex nimio meri potu,
Et curarum caligo et mentium nebulæ.
   Aquilam videns, nuntium Dei videre puta.
Verum est somnium galli gallinacei.
Panes ferventes edere, significat morbum.
Apin tenens quis, excidit spe sua.
Lente moveri, improsperas facit vias.
Cum rege colloquens, otiosus manet.
Viro applicitus amanti, opportunitatem puta.
Carbones videre, hostile significat damnum.
Mente elevatus, scito significari terram extraneam.
   Librum tenens, existima te honore affici.
Tonitrua in somnis audita, nuntiorum sunt sermones.
Incedere te somnians, inimicorum declinationes esse puta.

26[3]

Βότρους ἐσθίειν ὀμβρικὴν δηλοῖ κλύσιν.
Βρίθων τὸ σῶμα δυσκλεὴς ἔσῃ λίαν.
Βαίνων κεράμους, δυσμενῶν φύγοις βλάβην.
Βυθῷ κρατεῖσθαι, δεινὸν εἰς ἅπαν πέλει.
Βασιλέως φίλημα τιμὴν σημαίνει.
Γέροντα σαυτὸν εἰ βλέπεις, ἕξεις γέρας.
Γάλα σκεδάζει δυσμενῶν δυσβουλίας.
Γλυκεῖα βρῶσις πικρίαν σοι μηνύει.
Γελῶν ἐν ὕπνῳ, δυσφορήσεις ἐξ ὕπνου.
Γυναῖκα γήμας, τοῦ βίου τροπὴν νόει.
Γρήγορσις ὑπνώττουσα νητρεκὴς πέλει.
Δώρων μετασχὼν οὐ μακρὰν κέρδους ἔσῃ.
Δηλοῦσι κλήσεις τῶν ὁρωμένων τρόπους.
Δηγμὸς κυνὸς δείκνυσιν ἐχθίστην βλάβην.
Δόμου πεσὼν, νόμιζε τούτου ζημίαν.
Δυσωδίαν νόμιζε τὴν ἀηδίαν.
Δαμάσκηνα βρωθέντα μηνύει νόσον.
Δεξάμενος γράμματα κόκκινα, τάχει
Δεξιὰν εὑρεῖν ἢ θάνατον προσδόκα.
Ἐχθροῖς συνέσθειν πρὸς καταλλαγὴν φέρει.
Ἔκδηλός ἐστι βόρβορος ψυχῆς ῥύπος.
Ἐκκλησίαις ἑστώς τις, ἐκκλήσεις ἔχει.
Εὐνοῦχον ἰδεῖν κατ' ὄναρ χρηστὸν πάνυ.
Ἔχις φυγοῦσα δυσμενῶν δηλοῖ βλάβην.
Εἰ θυμιᾷ τις, πικρόν ἐστιν εἰς ὄναρ.
Ἐσθὼν ῥοιὰς, νόμιζε παλαίειν νόσῳ.
Ἔχειν μεγάλους ὦπας, εἰς κέρδος φέρει.
Ζώνη κοπεῖσα τὴν ὁδὸν λύει ταχύ.
Ἥλους κρατῶν, τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν νόει.
Θρὶξ τῆς κεφαλῆς εἰ κομᾷ τιμὴν νόει.
Θανὼν καθ' ὕπνους, φροντίδων ἔσῃ δίχα.
Θεώμενος βοῦς εἰς κακὴν πρᾶξιν φέρει.
Θάλατταν ἰδεῖν μειδιῶσαν, εὖ ἔχει.
Θρίδακας ἔσθειν, σώματος δηλοῖ νόσον.

Racemos edere, imbrium arguit fluxum.
Onere prægravatus, valde ignobilis eris.
Incedens per testas fractas, hostium damna effugies.
In profundo detineri, grave omnino est.
Regis osculum honorem significat.
Senem teipsum si intueris, obtinebis honorarium.
Lac dissipat malevolorum mala consilia.
Dulcis cibus amaritudinem tibi indicat.
Ridens in somnis, moleste afficieris ex somno.
Uxorem ducens, vitæ mutationem puta.
Evigilatio somnolenta vera est.
Dona accipiens haud longe a lucro aberis.
Nomina eorum quæ in somnis videntur ostendunt mores.
Morsus canis significat hostilem injuriam.
Domo cadente, puta significari illius detrimentum.
Graveolentiam puta esse tristitiam.
Damascena comesta indicant morbum.
Si acceperis litteras coccineas, brevi
Honorem te adepturum aut mortem spera.
Cum inimicis edere, ad reconciliationem ducit.
Clare indicat lutum animi sordes.
In concione stans, in accusationem incidet.
Eunuchum videre per somnium, bonum omnino.
Vipera fugiens, inimicorum indicat perniciem.
Si thura incendat quis, grave est insomnium.
Comedens mala punica, existima luctari cum morbo.
Habere magnos oculos, lucrum portendit.
Zona recisa solvit celeriter viam.
Clavos tenens, stimulos inimicorum esse puta.
Capillus capitis si comptus est, honorem spera.
Mortuus in somnis, curarum expers eris.
Conspectus bos in malam actionem defert.
Mare videre tranquillum, bene habet.
Lactucas edere, corporis significat morbum.

Θλασθεῖσα ῥάβδος, οὐ καλὸν φέρει πέρας.
Θυρῶν πεσουσῶν, τοῖς ἔχουσιν ἡ βλάβη.
Ἰχθύας ἔσθειν, οὐκ εὐηθές σοι τόδε.
Ἵππους μελανοὺς οὐ καλὸν πάντως βλέπειν.
Ἵππου πεσὼν καθ' ὕπνους, εἰς πτῶσιν ἵξῃς.
Ἰλὺν ὑποδὺς, τῆς ψυχῆς βλάβην νόει.
Ἰσμαηλίταις συσχεθεὶς, καλὸν νόει.
Καρποὺς ἐλαιῶν εἰσορᾷν, καλὸν τόδε.
Κλεῖδας κατέχειν σύνθεσιν ἔχει τόπων.
Κλῆμα κρατήσας, ἐγκαλεῖσθαι προσδόκα.
Κυνῶν ὑλαγμὸς, ἐχθρικὸν δηλοῖ κρότον.
Κόπρῳ καθεσθεὶς, ζημίαν προσεκδέχου.
Κόρακας ἰδὼν, δαίμονας τούτους νόει.
Κηροὺς κρατεῖν ἅπτοντας, εὔχρηστον τόδε.
Κάρα κενωθὲν ἔλαιον, χρηστὸν νόει.
Κρέα βιβρώσκειν, οὐ καλὸν πᾶσι τόδε.
Κλοιὸν φορῶν τις οὐ μακρὰν τοῦ κινδύνου.
Κοπέντα δένδρα πτῶσιν ἀνδρῶν σημαίνει.
Κρατεῖν ῥομφαίαν, πᾶσι καλὸν τυγχάνει.
Λύκος κεχηνὼς, φληνάφων δηλοῖ λόγους.
Λευκὰς ὁρῶν τὰς σάρκας, εὔθετον νόει.
Λέοντα ἰδὼν, δυσμενῶν δηλοῖ ξίφη.
Λευκαὶ τρίχες, δηλοῦσι πράξεις εὐθέτους.
Μῦς ἀναφανεὶς, δῆλον ἐμποιεῖ τρόπον.
Μητρὶ πλακεὶς, κάλλιστον εἰς ὄναρ νόει.
Μάχην μάχαιρα ζωγραφεῖ κρατουμένη.
Μαργαρῖται δηλοῦσι δακρύων ῥόον.
Μέλας πρόσωπον εἰς μακρὰς λύπας φέρει.
Μέγας φανείς τις, ἄγγελος πέλει νόσου.
Μῆλα κρατῶν ἔρωτι συνεῖναι δόκει.
Νεκροὺς ὁρῶν, νέκρωσιν ἕξεις πραγμάτων.
Ξηρῶν φανέντων δένδρων, ἐν κενοῖς πόνοι.
Ξηροὶ δρύες φανέντες εὔχρηστον τόδε.
Ὁρῶν ἔλαιον ἐκφύγῃς πᾶσαν βλάβην.

Confracta virga non bonum indicat eventum.
Januis cadentibus, his qui aliquid habent damnum imminet.
Pisces edere, minime bonum tibi illud est.
Equos nigros videre nunquam bonum est.
Equo lapsus in somnis, in casum aliquem venies.
Limum calcans, animæ damnum esse puta.
Ab Ismaelitis cohibitus, bonum existima.
Fructus olearum intueri, bonum.
Claves tenere, cohibitionem significat locorum.
Palmitem tenens, te accusatum iri puta.
Canum latratus hostilem indicat strepitum.
Stercori hærens, damnum significari puta.
Corvos intuens, dæmones esse puta.
Cereos tenere accensos, omnino bonum est.
Caput fundens oleum, bonum esse puta.
Carnes edere, non bonum omnibus.
Boiam ferens quis, non longe abest a periculo.
Concisæ arbores cladem virorum significant.
Tenere frameam, omnibus bonum est.
Lupus hians nugatorum indicat sermones.
Candidas videns carnes, commodum puta.
Leonem videns, hostium indicat turmas.
Candidi pili portendunt actiones commodas.
Mus conspectus perspicuos facit mores.
Matri adhærens, pulcherrimum insomnium esse puta.
Ensis in manibus pugnæ indicium est.
Margaritæ ostendunt lacrymarum fluxum.
Nigra facies longas tristitias adfert.
Niger quis conspectus nuntius est morbi.
Poma tenens, amoribus tuis frui te puta.
Mortuos videns, occisæ res erunt tuæ.
Aridæ conspectæ arbores, inanes indicant labores.
Aridæ quercus conspectæ, bonum insomnium.
Videns olivum, effugies omne damnum.

Ὄφεις ἀναιρῶν, τοὺς ἐναντίους νόει.
Ὄφις θεαθεὶς ἐν κλίναις εὐπραγία.
Οἴνου μετασχὼν σχεῖν θορύβους προσδόκα.
Ὄρη βατῶν πράγμασι σημαίνει βίαν.
Ὄνῳ καθῆσθαι δυσπραγεῖς δηλοῖ τρόπους.
Οἶκον θεωρεῖν πυρπολούμενον, καλόν·
Οἶκον δὲ καπνίζοντα, τὸν μὴ βλέπειν θέλε.
Ὀδόντας ἐκριφέντας οὐ καλὸν βλέπειν.
Ὀδόντα ῥίψαι, καὶ πάλιν ἄλλον φῦναι
Κέρδος παριστᾷ καὶ χαρὰν παρ' ἐλπίδα.
Ὄναρ ὀνείρους νητρεκὲς πέλει λέγειν.
Ὁρωμένη πορφύρα σημαίνει νόσον.
Ὀμιχλοειδὴς ὄψις ἐμποιεῖ ζάλην.

Ποδῶν κοπέντων, μηδαμῶς ἄρχε βίου.
Πόδες πλατεῖς, δηλοῦσι λύπας ἀθρόας.
Περιστερὰν βλέπων τις, χαρὰν μηνύει.
Πηγὴ διαυγὴς, ψυχικὰς λύει λύπας.
Πέδας φέρων, νόμιζε κινδύνους ἔχειν.
Πέτρᾳ καθεσθεὶς, ἐλπίδας χρηστὰς ἔχε.
Πύργος πεσὼν, δείκνυσιν ἀρχόντων μόρον.
Πίπτων οὐρανὸς, οὐκ ἀγαθὰ μηνύει.
Πετᾶν καθ' ὕπνον μηνυτικὸν ἀξίας.
Πέρδικα κρατῶν, θῆλυ κατέχων νόει.
Πρᾶσα δὲ καὶ κρόμμυα δηλοῦσι λύπας.

Ῥαφὴ πρὸς οἶκον φαρμάκων δηλοῖ δόσιν.

Στολὴν φορῶν μέλαιναν οὐ καλὴ θέα.
Στολὴ δὲ λευκὴ πρὸς καλὸν πέρας φέρει.
Στολὴ δ' ἁλουργὶς εἰς μακρὰν δηλοῖ νόσον.
Στρουθοὺς κρατῶν φεύγοντας, ἐκδέχου βλάβην.
Στύλον κρατῶν πᾶς ἐκδέχου θείαν χάριν.
Συνθλᾶν μαχαίρας, δυσμενῶν δηλοῖ θλάσιν.
Σῦκα βιβρώσκων φληνάφους δηλοῖ λόγους.
Σφῆκες φανεῖσαι δυσμενῶν εἰσὶ βλάβαι.
Σκώληκες ἱστοροῦσιν ἐχθρικὴν βλάβην.

Serpentes interficiens, adversarios esse puta.
Serpens conspectus in cubili felicitas.
Vinum hauriens, tumultus spera fore.
Montem ascendens, vim in negotiis significat.
Asino insidere, difficiles indicat mores.
Domum videre incendio correptam, bonum,
Domum vero fumo infestatam, minime optandum somnium.
Dentes ejectos videre, malum.
Dentem ejicere et rursus alium adnasci,
Lucrum præbet et gaudium præter spem.
Somnium est in somnis verum loqui.
Conspecta purpura significat morbum.
Caliginosum visum, fluctuantem animum facit.
Pedibus recisis, neutiquam aggredere viam.
Pedes lati significant tristitias confusas.
Columbam cernens quis, gaudium indicat.
Fons limpidus mentis solvit mœstitias.
Pedicas ferens, puta te in periculis versari.
Saxo incidens, spem bonam inde concipe.
Turris concidens ostendit magistratuum interitum.
Concidens cælum infausta portendit.
Volare in somnis signum est dignitatis.
Perdicem tenens feminam tenere te puta.
Porri et cæpe significant luctum.
Sutura in domo venenorum propinationem indicat.
Vestem ferens nigram, infaustum somnium.
Vestis autem alba ad bonum fert finem.
Vestis purpurea longum ostendit morbum.
Passeres tenens, fugaces, exspecta malum.
Columnam tenens spera divinam gratiam.
Confringere gladios, hostium cladem indicat.
Ficum edens, nugatorum indicat sermones.
Vespæ conspectæ hostilia sunt damna.
Vermes nuntiant hostilia incommoda.

Σηπίαν ἔσθειν εἰς νόσον μακρὰν φέρει.
Σεισμὸς, ταραχῆς ἄγγελος πᾶσι πέλει.
Σαυτὸν βλέπων πλούσιον, ὑπάρξεις πένης.
Τρίχας καρῆναι δυσφορωτάτη θέα.
Τριχῶν πεσουσῶν, κίνδυνον μέγαν νόει.
Τυφλὸν φέρεσθαι πάγκαλον τοὔναρ νόει.
Ὕμνους ἀκούων, γειτόνων μάχας νόει.
Φανεὶς λαγωὸς, δυςυχεῖς δηλοῖ τρόπους.
Φωςῆρας ἰδεῖν πραγμάτων δηλοῖ φάος.
Φλοῖσβος θαλάσσης πραγμάτων δηλοῖ κλόνον.
Φθεῖρας φέρειν συνοῦσι δηλοῖ τὸν τρόπον.
Φωνὰς ἀκούειν, πιςὸν ὄναρ τυγχάνει.
Χιὼν φανεῖσα δυσμενῶν ἔχθρας φέρει.
Χεῖρας καθαίρειν φροντίδων δηλοῖ λύσιν.
Χιτὼν ῥαγεὶς ἔῤῥηξε φροντίδων βάρος.
Χιτὼν μέλας ἔδειξεν αἰσχύνης τρόπον.
Ψευδεῖς ὀνείρους φροντίδων ποιεῖ σκότος.
Ψύλλας θεωρεῖν δυσμενεῖς ὁρᾷν δόκει.
Ψευδεῖς ὀνείρους κοιλίας δηλοῖ γόμος.
Ψευδεῖς ὀνείρους ἀκράτου ποιεῖ πόσις.
Ὠὰ κρατεῖν ἕψειν τε σημαίνει λύπας.
Ὠὰ δὲ φαγεῖν ἐφθὰ τοῦτο πρὸς πλοῦτον φέρει.

ΤΕΛΟΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ.

Sepiam edere, morbum diuturnum adfert.
Terræ motus, seditionis nuntius est.
Te ipsum cernens divitem, eris pauper.
Crines tondere, infelicissimum visum.
Pilis decidentibus, periculum ingens exspecta.
Cæcum ferri, omnino bonum somnium.
Cantiones audiens, vicinorum pugnas intellige.
Conspectus lepus infelices indicat mores.
Luminaria videre in negotiis ostendit lucem.
Motus maris commotionem rerum indicat.
Pediculos ferre, familiarium indicat mores.
Voces audire, fidum insomnium est.
Nix visa hostium odia adfert.
Manus attollere, curarum indicat solutionem.
Tunica scissa, dirupit curarum onus.
Tunica nigra arguit indecoros mores.
Falsa insomnia curarum faciunt tenebræ.
Pulices videre, hostes intueri puta.
Falsa insomnia ventris exhibet sarcina.
Falsa insomnia meraca facit potio.
Ova tenere aut coquere significat tristitias.
Ova vero edere cocta, hoc divitias innuit.

FINIS NICEPHORI.

ΜΑΓΙΚΑ ΛΟΓΙΑ
ΤΩΝ ΑΠΟ ΤΟΥ ΖΩΡΟΑΣΤΡΟΥ
ΜΑΓΩΝ.

Διζεο σὺ ψυχῆς ὀχετὸν, ὅθεν, ἢ τίνι τάξει,
Σώματι θητεύσας, ἐπὶ τάξιν ἀφ' ἧς ἐῤῥύης,
Αὖθις ἀναστήσεις, ἱερῷ λόγῳ ἔργον ἑνώσας.
Μὴ δὲ κάτω νεύσῃς· κρημνὸς κατὰ γῆς ὑπόκειται,
Ἑπταπόρου σύρων κατὰ βαθμίδος, ἣν ὕπο, δεινῆς
Ἀνάγκης θρόνος ἐστί.
Σὸν γὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσιν.
Μὴ σύγ' αὔξανε τὴν εἱμαρμένην·
Οὐ γὰρ ἀπὸ πατρικῆς ἀρχῆς ἀτελές τι τροχάζει.

Ἀλλ' οὐκ εἰσδέχεται κείνης τὸ θέλειν πατρικὸς νοῦς,
Μέχρις ἂν ἐξέλθῃ λήθης, καὶ ῥῆμα λαλήσῃ,
Μνήμην ἐνθεμένη πατρικοῦ συνθήματος ἁγνοῦ.
Χρή σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος, καὶ πρὸς πατρὸς αὐγάς,

Ἔνθεν ἐπέμφθη σοι ψυχὴ πολὺν ἑσσαμένη νοῦν.
Αὐτοὺς δὲ χθὼν κατοδύρεται ἐς τέκνα μέχρις.
Ψυχῆς ἐξωστῆρες ἀνάπνοοι εὔλυτοί εἰσιν.

Λαιῆς ἐν λαγόσιν κοίτης, ἀρετῆς πέλε πηγὴ,
Ἔνδον ὅλη μίμνουσα, τὸ παρθένον οὐ προϊεῖσα.
Ψυχὴ ἡ μερόπων θεὸν ἄγξει πως ἐς ἑαυτὴν,
Οὐδὲν θνητὸν ἔχουσα· ὅλη θεόθεν μεμέθυσται.

MAGICA ZOROASTRI
ORACULA.

PERQUIRE animæ ductum, unde, quove ordine,
Navata corpori opera, ad ordinem unde manasti,
Rursus erigaris, opere verbis sacrosanctis adjuncto.
Ne deorsum nuas: præcipitium in terra substernitur,
E loco trahens septem meatibus prædito, infra quem gravis
Necessitatis solium est.
Tuum vas feræ terræ habitabunt.
Ne fatum auxeris:
Neque enim a paterno principio imperfectum quidquam
versatur.
At vero non admittit ejus vota mens paterna,
Quoad dum exierit oblivionem, atque verbum prompserit,
Memoriæ infigens sacram patris tesseram.
Aspirandum tibi properandumque est ad lumen et patris
splendores,
Unde immissa tibi est anima, plurima mente circumsepta,
Hos autem terra deplorat ad usque posteros,
Expulsores animæ, ac per quos respirare sit integrum,
solutu sunt faciles.
Lævo in latere cubilis, virtutis fons,
Intus totus manet, virginitatem minime projiciens.
Anima hominum, Deum quadamtenus in sese cogit,
Mortale nihil complexa: tota divinitus inebriata est.

Ἁρμονίαν αὐχεῖ γὰρ, ὑφ' ἧ πέλε σῶμα βρότειον.
Ὅττι ψυχὴ πῦρ δυνάμει πατρὸς οὖσα φαεινὸν,
Ἀθάνατός τε μένει, καὶ ζωῆς δεσπότις ἐςὶ,
Καὶ ἴσχει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων.

Ζήτησον παράδεισον.
Μὴ πνεῦμα μολύνῃς, μηδὲ βαθύνῃς τὸ ἐπίπεδον.
Ἔςι καὶ εἰδώλῳ μερὶς εἰς τόπον ἀμφιφάοντα.
Μηδὲ τὸ τῆς ὕλης σκύβαλον κρημνῷ καταλείψῃς.
Μὴ ἐξάξῃς, ἵνα μὴ ἐξιοῦσα ἔχῃ τι.

Ἐκτείνας πύρινον νοῦν
Ἔργον ἐπ' εὐσεβίης, ῥευςὸν καὶ σῶμα σαώσεις.
Ἐκ δ' ἄρα κόλπων γαίης θρώσκουσ' οὔποτ' ἀληθὲς
Σῆμα βροτῷ ἀνδρὶ χθόνιοι κύνες δεικνύντες.
Ἡ φύσις πείθει εἶναι τοὺς δαίμονας ἁγνοὺς,
Καὶ τὰ κακῆς ὕλης βλαςήματα χρηςὰ καὶ ἐσθλά.
Αἱ ποιναὶ μερόπων ἄγκτειραι.

Ἡγείσθω ψυχῆς βάθος ἄμβροτον· ὄμματα δ' ἄρδην
Πάντ' ἐκπέτασον ἄνω.
Ὦ τολμηροτάτης φύσεως ἄνθρωπε τέχνασμα.
Πολλάκις ἢν λέξῃς μοι, ἀθρήσεις πάντη λεκτόν.
Οὔτε γὰρ οὐράνιος κυρτὸς τότε φαίνεται ὄγκος.
Ἀςέρες οὐ λάμπουσι, τὸ μήνης φῶς κεκάλυπται,
Χθὼν οὐχ ἕςηκε, βλέπεται δὲ τὰ πάντα κεραυνοί.
Μὴ φύσεως καλέσῃς αὔτοπτον ἄγαλμα.
Πάντοθεν ἀπλάςῳ ψυχῇ πυρὸς ἡνία τεῖνον.
Ἡνίκα μὲν βλέψῃς μορφῆς ἄτερ εὐίερον πῦρ.

Λαμπόμενον σκιρτηδὸν ὅλου κατὰ βένθεα κόσμου,
Κλῦθι πυρὸς τὴν φωνήν.
Σύμβολα πατρικὸς νόος ἐνέσπειρε ταῖς ψυχαῖς.
Μάνθανε τὸ νοητὸν, ἐπεὶ νόου ἔξω ὑπάρχει.

In harmonia gloriatur, sub qua corpus vitale sit.
Quoniam anima, quum sit ignis patris lucidus,
Et immortalis permanet, et est vitæ domina;
Eadem mundanorum quoque sinuum multos numeros possidet.
Quære paradisum.
Ne spurces spiritum, remve planam adaugeas.
Est et idolo locus in regione splendida.
Sed nec materiale corpus præcipitio deseres:
Ne exegeris, uti nequid, quum exierit, incommodi perpetiatur.
Si mentem ignitam erexeris
Ad opus pium, fluxum alioquin et corpus servabis.
E sinibus terræ prosiliunt, minus verum
Signum ostentantes mortali homini, canes.
Natura suaserit dæmonas esse integros,
Ac vitiosæ adeo materiæ germina frugi atque proba.
Pœnæ mortalium vinctrices.
Primas in te vindicet immortalis animæ altitudo: oculosque pariter
Omnes sursum versum erige.
O naturæ homo præfidentis artificium:
Quod si mihi sæpiuscule dixeris, omnino dictum cernes.
Nam neque cælestis eademque curva moles visitur.
Stellæ nusquam collucent: lunæ lumen conditum est:
Terra non exstitit.
Ne naturæ imaginem nuncupaveris exemplar visibile.
Undiquaque nesciæ doli animæ habenas ignis extende.
Quum spectaris citra formam ullam sacrosanctum ignem
Lucentem, hucque et illuc subsilientem ad universi orbis altitudinem,
Audi ignis vocem.
Symbola mens paterna animalibus insevit.
Certo scito intelligibile extra mentem esse.

Ἔςι δὲ δή τι νοητὸν, ὃ χρή σε νοεῖν νόου ἄνθει.
Εἰσὶν πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐκγεγαῶτα·
Πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε
Δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κλήζεται ἔθνεα ἀνδρῶν.
Νοούμεναι ἴυγγες πατρόθεν νοέουσι καὶ αὐταὶ,
Βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι ὥστε νοῆσαι.
Ὦ πῶς κόσμος ἔχει νοεροὺς ἀνοχῆας ἀκαμπεῖς.
Ἑαυτὸν ὁ πατὴρ ἥρπασεν·
Οὐδ' ἐν ἑῇ δυνάμει νοερᾷ κλείσας ἴδιον πῦρ.

Πατὴρ οὐ φόβον ἐνθρώσκει, πειθὼ δ' ἐπιχεύει.

ΤΕΛΟΣ ΖΩΡΟΑΣΤΡΟΥ.

Est intelligibile quod oporteat mentis flore perceptum.
Omnia ab uno igne profecta sunt:
Quippe quum omnia pater absolverit, mentique tradiderit
Secundæ, quem primum appellitant nationes hominum.
Quæ a patre mentes concipiuntur, eædem et ipse concipiunt,
Consiliis mutis illicientes ad concipiendum.
Rectores intellectuales simul et inflexibiles mundus obtinet.
Ipsum sese pater rapuit,
Ac ne in mente quidem intelligentiæ compote, quæ ipsum
insequatur, ignem suum inclusit.
Pater non metum, sed suasionem admovet.

FINIS ORACULORUM MAGICORUM.

INDEX EDITIONUM

VALERII MAXIMI

AUCTIOR FABRICIANO

ET IN QUATUOR ÆTATES DIGESTUS

EX EDITIONE ARGENTORATENSI SOCIETATIS BIPONTINÆ
ANNO 1806 IN LUCEM EMISSA

EXCERPTUS.

HUNC RECENSUIT ET NONNULLIS ADNOTATIONIBUS AUXIT

ANT. ALEX. BARBIER

REGIARUM BIBLIOTHECARUM EX-ADMINISTER.

AVERTISSEMENT.

Les notices littéraires et les catalogues d'éditions qui enrichissent la collection des auteurs grecs et latins publiée à Deux-Ponts, n'ont pas peu contribué à rendre chère aux savants cette collection qui se continue avec beaucoup de succès à Strasbourg depuis plus de vingt ans: mais il faut avouer que les *index* rédigés à Strasbourg surpassent de beaucoup les anciens; ce qu'il est facile d'apercevoir en comparant les nouvelles éditions de Paterculus, d'Ovide, de Valère-Maxime, etc., à celles qui ont été imprimées à Deux-Ponts. Il restait donc bien peu de recherches à faire pour compléter la notice des éditions et traductions de Valère-Maxime; aussi me suis-je contenté de joindre quelques notes et quelques additions à celle qui fait tant d'honneur aux nouveaux éditeurs de Valère-Maxime.

Valère-Maxime a été imité dans beaucoup de pays. Le livre de Baptiste Fulgose ou Frégose, doge de Gènes, intitulé, *Libri IX, de dictis et factis memorabilibus ex omni historia veteri ac recenti collecti. Antverpiæ,* 1565, 8°, est à proprement parler un Valère-Maxime italien, de même qu'il y en a un pour l'Espagne, intitulé, *El Valerio de las Historias escolasticas y de España, por Diego Rodriguez de Almela*, imprimé

dans la ville de *Murcie*, *chez Jean de la Roca*, en 1488, fol.°; réimprimé plusieurs fois, notamment à *Madrid*, *en* 1568, 8°.

On doit à J. B. Egnatius, *IX libri de exemplis illustrium virorum Venetæ civitatis atque aliarum gentium*, publiés en 1553, 8°., un an après la mort de l'auteur.

Jean Schefferus a donné *Liber memorabilium exemplorum Suecicæ gentis. Hamburgi*, 1671, 8°.

Otton Sperlingius, professeur d'histoire à Copenhague, mort en 1715, a laissé en manuscrit un *Valerius-Maximus Danicus, libris XIX congestus.*

Je ne dois pas oublier le *Valerius-Maximus christianus, seu dicta et facta memorabilia unius atque alterius seculi, imperatorum, regum ac principum, imprimis Christianorum, IX libris comprehensa*, par Balthasar Exnerus, Silésien, mort en 1624, dont la meilleure édition est celle de *Hanau*, 1641, 8°.

Mais c'est en France que Valère-Maxime a trouvé un grand nombre d'imitateurs. L'ouvrage de Guill. du Bellay dont parle Fabricius, d'après La Croix-du-Maine, est resté manuscrit. Nous possédons, dans le genre de Valère-Maxime, l'*Histoire du Patriotisme français*, par Rossel, Paris, 1769, 6 v. in-12; *l'Honneur français*, par de Sacy, Paris, 1769, 8 v. in-12; le Valère-Maxime français, par De la Place, Paris, 1762, 2 v. in-8°; *l'Honneur français* (par M. Brayer), Paris, 1808, 2 v. in-8°.

INDEX EDITIONUM
VALERII MAXIMI
AUCTIOR FABRICIANO
ET IN QUATUOR ÆTATES DIGESTUS.

ÆTAS I. NATALIS. 1470—1500.

.... Editio *princeps*, sine loco, anno et typographo (*Argentorati*, ut videtur, an. 1470, typis *Jo. Mentelini* excusa) literis gothicis rudioribus, fol. min. In prima statim pagina legitur: *Valerii Maximi Factorum et dictorum memorabilium. Ad Tiberium Cesarem. Liber primus incipit feliciter.* Litera initialis per omnem codicem typis expressa conspicitur nulla, sed omnes minio, et cæruleo colore, cui nonnunquam aurum internitet, adpictæ sunt. Præter punctum et colon, non aliud distinctionis signum habet. Scribendi compendia, parca admodum manu distributa conspiciuntur. Quod vero ad ipsum textum attinet, ille permultis locis ab editionibus hodiernis discedit. Conf. *Freytag.* in Analect. liter. pag. 1017 seq. *Lengnich* in Meuselii histor. literar. biograph. Magazin, part. III, pag. 89 seq. et *Harlesium* in Supplem. ad brev. Notitiam literaturæ romanæ, part. II, pag. 2 seq. Videtur autem eadem esse hæc editio, cujus exemplar contulit et descripsit in præfatione *Kappius.*

1471. *Valerii Maximi Romanæ urbis Juris peritissimi factorum et dictorum memorabilium Libri.* fol. In fine

legitur: *Presens Valerii Maximi opus præclarissimum! in nobili urbe Moguntina Rheni, terminatum! anno M. CCCC. LXXI.* XVIII. *Kalendis juliis! per egregium Petrum Schoyffer de Gernsshem artis impressorie mgrm! feliciter est consummatum.* Post hæc apparent insignia Fausti et Schœfferi. Char. goth. — Maitt. p. 303. Crevenna, tom. V, pag. 174. Panzer, tom. II, pag. 121. Inter cimelia biblioth. Ducis *de la Valiere* hæc ed. constitit 1500 francis.

1471. *Venetiis* per Vindelinum de Spira. fol. In ejus fine legitur:

> Finis est. M.CCCC.LXXI.
> Impressum formis, justoque nitore coruscans,
> Hoc Vindelinus condidit artis opus.

Splendida editio. Cf. Catal. de la bibliothèque du Comte de Rewiczky. Berol. 1794. pag. 148.

1474. *Valerius Maximus. Venetiis, per Iohannem de Colonia ac Iohannem Manthen de Gherretshem.* fol. In fine: *Extat hic Finis Valerii maximi peroptime emendati: q: cura diligentiq. preuisione Impressoribus Venetis expositus fuit per Iohannem de Colonia agripinensi ac Iohannem Manthen de Gherretshem: q: una fideliter uiuentes eosdem impressores ad hoc duxerunt. M. CCCC. LXXIIII.* — Crevenna l. c.

1475. *Valerii maximi dictorum factorumque memorabilium libri IX. accedit decimi libri Caii Titi Probi de prenomine Epithoma. et tabula super Valerium de propriis nominibus.* In fine tabulæ: *Presens Valerii maximi opus præclarissimum! in nobilissima Parisius Anno domini M. CCCC. LXX. V. Feliciter est impressum.* fol. s. n. typogr. (per *Petrum Cæsaris* et *Iohannem Stol.*) — Maitt. pag. 349. Panzer, tom. II, pag. 276.

1475. *Valerii Maximi dictorum factorumque memora-*

bilium libri novem. In prima pagina legitur Boni Accursii Pisani ad Cicchum Simonettam epistola dedicatoria. In fine libri noni: *M. CCCC. LXXV.* VII. *Kl. Novembres. Mediolani AN.* (Antonius) *Impressit ZA.* (Zarotus.) Accedit Index alphabet. fol. — Maitt. pag. 354. Panzer, tom. II, pag. 21.

1476. *P. Valerii Maximi factorum ac dictorum memorabilium libri IX.* In fine: *Explicit liber Valerii Maximi. Impressum Bononiæ ad petitionem Sigismundi de Libris anno domini M. CCCC. LXXVI. die* XX. IIII. *mensis Decembris. Laus Deo. Amen.* fol. — Editio et typorum nitore, et raritate insignis. Cf. Braun, part. I. pag. 182. n. v. Maitt. pag. 361. Panzer, tom. I, pag. 208, cui quidem hæc editio ex *Io. Paul. Zaffonii* typographia prodiisse videtur.

1478. *Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri.* In fine: *Hoc opus impressum est Mediolani arte et impensis Philippi Lavagniæ anno Domini M.CCCC. LXXVIII. secundo nonas Februarii.* Sequitur *Carmen Auctoris ad librum suum:*

> Ne palliatos afferas, liber scombros:
> Ne sis marinis penula altera et conchis
> Alacresve cordillas tuo tegas damno, etc.

fol. — Maitt. pag. 390. Panzer, tom. II, pag. 31.

1478. *Val. Maximus*, ex emendatione *Boni Accursii* Pisani. *Venetiis.* fol. Nomen typographi quidem non additum est; sed in fine literæ sequentes hoc modo exstant:

> .P. F. M.CCCC.LXXVIII.KL.IULII. .S. F.
> .B.R. VENETIIS IMPRESSIT. .Z. F.

Crevenna, tom. V, pag. 175.

1480. *Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri.* In fine: *Impressum Mediolani MCCCCLXXX.*

per Leonardum Pachel et Uldericum Scinczenzeler sextodecimo Kalendas Augustas. fol. — Maitt. pag. 407. — Panzer, tom. II, pag. 38.

1482. *Venetiis*, cum *Omniboni Leoniceni* Vicentini expositione, per Ioannem de Forlivio et socios ejus. fol. — Conf. inf. ad annum 1508.

1485. Eadem recusa *Venetiis* per Dionys. et Belerinum Bononienses. fol.

1487. *Mediolani.* fol. cum interpretatione *Omniboni Leoniceni.* In fine legitur : *Opus Valerii Maximi cum Omniboni Leoniceni Viri præstantissimi examinata interpretatione explicit. Impressum Mediolani per Leonardum Pachel et Uldericum Scinzenzeler Theutonicos Anno Domini MCCCCLXXXVII. die vero* VII. *Maii.* — Panzer, tom. II, pag. 55.

1487. *Venetiis.* fol. ex. rec. *M. Ant. Sabellici*, cum *Oliverii Arzignanensis* Vicentini commentario, arte et impensis Ioannis Forliviensis, Gregoriique fratrum.

1488. *Venetiis.* fol. cum *Oliverii* commentario, arte et impensa Bernardini de Benaliis.

1491. *Venetiis.* fol. cum *Oliverii* commentario.

1493. Eadem repetita *Venetiis.* fol. in cujus calce : *Impressum Venetiis arte Bonetti Locatelli. Sumptibus nobilis viri Octaviani Scoti, civis Modotiensis, anno MCCCC. LXXXXIII.* — Conf. *Strauss.* Opp. rariora bibl. Rebdorf. pag. 181 seq.

1494. *Venetiis.* fol. cum *Oliverii* commentario.

1497. *Venetiis.* fol. cum *Oliverii* commentario.

1500. *Valerius Maximus, cum commento* Oliverii Arzignanensis *Vicentini.* In fine : *Opus Valerii Maximi cum nova ac præclara Oliverii Arzignanensis viri præstantissimi examinata interpretatione : impressum Venetiis accuratissime per Albertinum Vercellensem anno nostri salvatoris MCCCCC. die* V. *mensis iulii.* fol. — Præmitti-

tur editioni: Petri Bruti, episcopi Catharensis, *epistola ad Oliverium*, et hujus ad Petrum de Brutis *epistola dedicatoria*. Illas excipit *Index auctorum*, quibus in commentario usus fuit Oliverius, *compendiosa vita Valerii Maximi*, et *rubricæ libri Valerii Maximi*. — Conf. Freytag. Apparat. liter. tom. I, p. 501.

ÆTAS II. 1501 — 1567.

1501. *Valerius maximus de factis et dictis memorabilibus*. In fine: *Valerii Maximi! Factorum et Dictorum memorabilium opus præclarissimum! Liptzk terminatum! Anno Christiane salutis Millesimo quingentesimo primo! decimo Kalendas mensis Novembris! per Baccalarium Martinum Herbipolensem feliciter est consummatum*. fol. — Ubivis fere sequitur editionem principem s. a. et l. nonnullis tamen in locis ab ea discrepat. Exempla quatuor et viginti, quæ primum se in lucem protulisse, præter rem sibi persuaserat Aldus, in hac editione suo jam inserta loco conspiciuntur. Conf. Freytag. Analect. liter. pag. 1020.

1502. *Aldina I*. Valerii Maximi dictorum et factorum memorabilium libri novem. *Venetiis, in ædibus Aldi Romani, Octobri mense* 1502. 8. — Conf. adnotata ad ed. antecedentem.

1503. *Aldina II. Venetiis, Kal. April.* 1503. 8.

1503. *Epitomata super novem libros Valerii Maximi de dictis factisque memorabilibus diligenter et accurate a Mgro.* Iohanne Honorio *Cubitensi recollecta*.

Epigramma Magistri Andree Fabani Landaviensis ad candidum Lectorem:

Ut datur hybleis apibus laus multa laboris,
Cum stipant densis aurea mella favis,
Cum repetunt vernis redolentia floribus arva,

Condere celestis cum juvat artis opus:
Sic age: ne dubites, etc.

In fine: *Epitomata in Valerii Maximi libros novem dictorum factorumque memorabilium diligenter et accurate a Magistro Iohanne Honorio Cubitensi recollecta impressit Liptzik vir diligentissimus* Iacobus Abiegnus (*Thanner*) *Herbipolensis Anno salutis* 1503. 4. cum rerum et verborum Indice. — Freytag. App. liter. tom. I, p. 504.

1503. Cum commentario *Oliverii* Arzignanensis, et pulcherrima ac utilissima quadam Tabula, noviter excogitata, pluribus in locis per *Barth. Matthæatium* Marosticum ex antiquissimo et castigatissimo codice emendatus; additis XXIV. Exemplis, nuper ab Aldo Romano inventis. *Venetiis, per Albertinum de Lisona Vercellensem, die* XIV. *Decembris.* fol.

1505. Eadem, apud eundem. *Venetiis*, fol.

1506. *Lipsiæ.* fol. per Baccalarium Martinum Herbipol.

1508. *Valerii Maximi opus cum interprete Oliverio: et paucis annotationibus: quas* Arcadicus *ille sub* Theophili *nomine marginibus inscripsit. Id.* Ant. Lenas *præclaræ indolis adolescens recognovit: eo videlicet consilio: ut per eam occasionem bicipitis illius monstri latratus: et plusquam cerbeream rabiem coerceret: sed Præceptoris modestiæ obtemperans ab incepto destitit: gravitate vindictæ præsentem lenitatem compensaturus. In quo quidem opere si quæ memoratu digna facile invenire cupis: index quem Franciscus Puteolanus excogitaverat: sine ullo errore commonstrabit. Accedit: et alter index vocabulorum: qui in proxima editione promissus: non prostat. Mediolani.* fol. — Oliverio, ut commentarium in Val. Max. conscriberet, auctor fuit Iacobus Leonicenus. Quum enim editio Valerii Max. in lucem exisset, quæ in titulo *Omniboni Leoniceni commentario*

illustrata dicebatur, Iacobus Leonicenus filius id admodum ægre tulit, et Oliverio persuasit, ut patrem quo posset studio vindicaret, et a turpissima, qua commaculatus fuerat, nota liberaret. Fuerunt autem Pallacini cujusdam imperiti hominis nugæ, a Calphurnio non solum damnatæ, sed, quum ejus correctioni traderentur, ita reiectæ, ut diceret, *se malle nova componere, quam tam mendosa corrigere.* Nihilominus tamen impressores ex avaritia inducti, Omnibono illas nugas adscribere ausi fuerant, ut ejus auctoritate venalior fieret ac pretiosior editio. Hæc omnia nos docet Oliverius in epistola dedicatoria ad Petrum de Brutis, episcopum Catharensem. Freytag. l. c. pag. 503.

1508. *Aldina III. Venetiis.* 8.

1510. *Mediolani.* fol. Convenit cum ed. 1508. Titulo subjectum est typographi insigne, in quo legitur: *Nicolaus Gorgonzola.* In fine libri est: *Explicit opus Valerii Maximi cum tribus commentariis. Impressum Mediolani MDX. Pridie Kal. Augusti.* — Exstat hæc editio in bibl. Gymn. Bip.

1510. *Parisiis.* fol. in ædibus Ascensianis.

1512. *Lipsiæ.* fol. per Baccalarium Martinum Herbipolensem.

1513. *Valerii Maximi opus cum Oliverii commentariis ex prima ejus editione integra et syncera descriptis: cum paucis annotationibus: quas sub Theophili nomine Arcadicus ille libri marginibus inspersit. Additæ sunt in fine operis Ascensii familiaria: ut ipse dicit: interpretamenta,* etc. In fine: *Impressum Mediolani apud Leonardum Vegium. A. Dom. M. CCCCC. XIII. Die* XVI. *Februarii.* fol. — In aversa primi folii pagina Oliverius in epistola ad Antonium Moretum, data Vicentiæ anno 1492 ait, se suos in Valerium commentarios seor-

sum ab ipso auctore edidisse, sobrie concinnatos; quos postea audax quidam homo verbosissimos fecisset: mittit igitur primam suam editionem rogatque, ut illa librariis describenda tradatur. Antonius vero Moretus in epistola ad Alex. Minutianum subjecta, et scripta Venetiis 1512. Prid. Kal. Oct. significat, Oliverium et olim de nonnullorum temeritate, qui suos contemerassent commentarios, coram esse conquestum, et dein per epistolam cum ipso egisse, ut commentarios eos, quales ipse primum edidisset, iterum evulgaret: hinc a se mitti, scribit, ut editio nostra juvetur, et amici manibus satisfiat. Harles. Suppl. ad brev. Not. lit. Rom. part. II, pag. 4 sq.

1513. *Valerius Maximus cum duplici commentario: historico videlicet ac literato* Oliverii *Arzignanensis: et familiari admodum ac succincto Iodoci* Badii *Ascensii. Qui quatuor et viginti exempla Aldino auspicio nuper inventa simili commentatione declaravit. Et totum opus gemina Tabella: altera Titulorum, altera literarum ordine illustravit. Venundantur ab Ascensio et Ioanne Parvo.* In fine: *Consummatum est rursus hoc opus optimum Tertio Nonas Martias anni M. D. XIII. cum duplici commentario: altero historica fide opulentissimo: altero compendiosa familiaritate conspicuo, maiore accuratione in ædibus Ascensianis.* fol. — Editio nitida et rara. Conf. Freytag. Apparat. liter. tom. III, pag. 645.

1513. Cum commentario historico ac literario *Oliverii* Arz. et familiari Iodoci *Badii* Ascensii, qui quatuor et viginti exempla Aldino auspicio nuper inventa simili commentatione declaravit, et totum opus gemina Tabella, altera titulorum, altera literarum, ordine illustravit; additis *Theophili* lucubrationibus, nec non pene vivis imaginibus. *Venetiis, per D. Luc. Ant. de Giunta.* 1513. fol. — Cat. B. Bunay. tom. I, pag. 332. In Cat. B. Emtinck. refertur hæc ed. ad annum 1531.

1514. *Argentorati.* 4. ex ædibus Schurerianis, mense Julio 1514. — Ex editione I Aldina ducta.

1514. *Aldina IV. Valerius Maximus. Exempla quatuor et viginti nuper inventa ante caput de Ominibus. Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri, mense Octobri* 1514, 8.

1514. *Valerii Maximi civis Romani de factis ac dictis memorabilibus Exemplorum libri novem : tum propter stili maturitatem, tum vero propter vite instructionem utilissimi. Venduntur Lipsi per Melchiorem Lotterum in regione fœni.* In fine : *Valerii Maximi dictorum ac factorum memorabilium libri novem, nitide et emaculate impressi in urbe Lipsica. Calcographo Melchiore Lottero finiunt fœliciter. Anno salutis Millesimo quingentesimo decimo quarto*, fol. — Editio luculentis literis romanis excusa. Præter compendiosam Valerii Maximi vitam habet et indicem capitum, quæ in novem Valerii libris exstant. Freytag. Apparat. lit. tom. III, pag. 644 sq.

1516. *Valerii Maximi dictorum et factorum memorabilium libri novem.* In fine: *Argentorati. Ex ædibus Schurerianis M. D. XVI.* 4.

1517. Valerii Maximi dictorum et factorum memorabilium Collectanea, cum *Oliverii* Arziguanensis et Jod. *Badii* Ascensii familiarissima expositione, adjectis XXIV exemplis ab Aldo prius impressis. *Lutet. in ædibus Jo. Parvi.* fol. — Cat. Bibl. Bunav. tom. I, vol. III, pag. 2133.

1517. Valerius Maximus, cura Ant. *Francini* Varchiensis. *Florentiæ, apud Phil. Juntam*, 1517, *mense Julio.* 8. — Bibl. Rœveriana, part. II, pag. 245, n. 1738.

1518. *Venetiis.* fol. cum comment. *Oliverii*, *Badii*, etc.

1518. *Argentorati.* 4. ex ædibus Schurerianis.

1520. *Selestadii.* 4. apud Lazarum Schurerium.

1521. Valerius Maximus. Ant. Ureei Codri de virtute in eundem Sermo. *Argentinæ*, ap. Knoblochum. 8.

1522. *Parisiis.* fol. cum comment. *Oliverii*, *Badii*, etc.

1526. Valerius Maximus. Exempla quatuor et viginti nuper inventa ante caput de Ominibus. Plutarchi Cheronæi Parallela addita propter materiæ similitudinem. *Florentiæ, per hæredes Philippi Juntæ*, 1526, *die* XXVII. *Novembris.* 8. — Crevenna, tom. V, pag. 175.

1527. *Parisiis.* 8. apud Colinæum.

1528. *Parisiis.* cum Valerii *Probi* Grammatici de Scripturis antiquis opusculo. *Parisiis, apud Petrum Vidovæum.* 24. — Cat. B. Bunav. tom. I, pag. 332.

1530. *Valerii Maximi factorum dictorumque memorabilium libri novem.* In fine : *Moguntiæ apud Joannem Schœffer mense Januario Anno Christi* 1530. 12 maj. — Steph. Alex. Würdtwein Bibl. Moguntina pag. 161.

1531. Valerii Maximi moralium exemplorum libri novem, cum commentariis *Oliverii* Arzignanensis et Jodoci Ascensii *Badii* : additæ sunt *Theophili* lucubrationes. *Venetiis, sumptibus Lucæ Ant. Juntæ.* fol. — Bibl. Emtinck. part. III, pag. 102, n. 873.

1531. *Parisiis.* 8. ap. Sim. Colinæum. — Ibid. p. 430, n. 1924.

1534. *Valerius Maximus nuper editus. Venetiis, in ædibus hæredum Aldi et Andreæ Soceri, mense Martio* 1534. 8. Crevenna, tom. V, pag. 176.

1534. *Valerii Maximi factorum dictorumque memorabilium libri novem.* Ad finem : *Moguntiæ apud Ivonem Schœffer mense Septembri anno Christi M. D. XXXIIII.* 12. — Würdtwein l. c. pag. 167.

1534. Cum præfatione Paulli Manutii ad Bernardum Georgium, qui Venetæ gentis exempla cum veteribus conferre instituit. *Venetiis, apud Juntam.* 8.

1534. *Lugduni.* 8.

1535. Valerii Maximi dictorum ac factorum memorabilium, tam romanorum, quam externorum, Collectanea,

cum *Oliverii* Arzign. commentario et Jod. *Badii* Ascensii familiarissima expositione, adjectis XXIV. exemplis ab Aldo prius impressis. *Lutetiæ, apud Poncetum le Preux.* fol. Bibl. Bunav. tom. I, pag. 332.

1535. *Parisiis.* 8. apud Colinæum. — Bibl. Emtinck. l. c. num. 1925.

1535. *Antverpiæ.* 8.

1536. *Basileæ.* 8. In fine: *Excudebat Henricus Petrus, mense Augusto, anno M. D. XXXVI.*

1536. *Lugduni.* 8. apud Gryph.

1538. *Antverpiæ.* 8. apud Kelsium.

1538. *Moguntiæ.* 8. apud J. Schœffer.

1540. *Basileæ.* 8.

1541. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium exempla. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 8. — Crevenna, tom. V, pag. 176.

1542. *Antverpiæ.* 8.

1543. Valerius Maximus. Addito indice perbrevi, ceu ad omneis historias asylo tutissimo. *Parisiis. Apud Sim. Colinæum.* 1543. 8. — Est penes nos.

1543. *Lugduni.* 12. apud Seb. Gryphium.

1544. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri novem. *Lutetiæ, ex officina Roberti Stephani.* 1544. VII. *Id. Jan.* 8.

1545. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri novem, a Sebastiano *Corrado* emendati et illustrati. *Venetiis, ex officina Erasmiana apud Vincentium Valgrisium.* 8. — Crevenna l. c.

1545. *Antverpiæ.* 8.

1545. *Parisiis.* 12. — Ejus exemplum legavit Perizonius bibl. Leidensi, collatum cum Ms. chart. Corn. Tollii.

1546. *Lugduni.* 8. apud Seb. Gryph.

1546. Valerii Maximi factorum dictorumque memo-

rabilium libri novem. Præterea Caii Titii Probi in decimum librum hujus operis Epitome, etc. Index rerum et verborum insignium in eundem copiosus. *Moguntiæ, apud Ivonem Schæffer. An. MDXLVI.* 8.

1547. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium exempla. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 12.

1548. Valerii Maximi moralium exemplorum libri novem, cum commentariis *Oliverii, Badii*, etc. *Venetiis.* fol.

1550. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium exempla. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 12. — Crevenna, tom. V, pag. 176.

1550. *Genevæ.* 12.

1553. *Basileæ.* 8. apud Henr. Petri, cum Henr. *Glareani* adnotationibus.

1553. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri novem, a Seb. *Corrado* emendati et illustrati. *Venetiis, apud Hier. Scotum.* 8. — Bibl. Rœveriana, part. II, pag. 246, n. 1743.

1556. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium exempla. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 8. — Bibl. Emtinck. part. III, pag. 102, n. 1927.

1556. *Basileæ.* fol. cum Scriptoribus aliis, qui exempla virtutum et vitiorum edidere. Sunt autem hi: 1. *Nicolai Hanapi*, Patriarchæ Hierosol. exempla virtutum et vitiorum ex utroque Testamento. 2. Valerius Maximus. 3. *Æliani* variæ Historiæ Græce, cum Herm. Vulteii versione. 4. *M. Ant. Coccii Sabellici* exemplorum libri decem. 5. *Bapt. Campofulgosi* dictorum factorumque memorabilium libri novem. 6. *Parthenii* Erotica Græce, cum Jani Cornarii versione. 7. *Guidonis de Fonte Nayo* Bituricensis liber variorum exemplorum, scriptus a. 1516. 8. *M. Marulli* Spalatensis de vita religiose per exempla instituenda libri sex. 9. *Heraclides* de politiis, gr. et lat.

ex Jo. Stobæi florilegio. 10. *Julii Frontini* strategematicon libri IV.

1558. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium exempla. *Lugduni, apud Theobaldum Paganum.* 12. — Crevenna, tom. V, pag. 176.

1558. Valerii Maximi moralium Exemplorum libri novem, summa diligentia castigati, ac fidelissimis eruditissimorum virorum *Oliverii* Arzign. Jodocique *Badii* Ascensii commentariis enarrati. Quibus addita sunt quatuor et viginti exempla, nuper Aldi Manutii industria inventa, ejusdem Ascensii commentariis exornata. Cum duplici indice, altero quidem capitum, altero vero eorum quæ toto opere notatu digna visa sunt. Insunt prætcrea *Theophili* viri eruditissimi perutiles Lucubrationes, quæ tibi non mediocri erunt, si hujus auctoris virtutes optime nosse volueris, adjumento, adjunctis etiam auctoritatibus Livii, Justini, Plutarchi, Dionysii et multorum aliorum illustrium historiographorum, quæ in aliis deerant. *Venetiis M.D.LVIII. apud Jo. Mariam Bonellum.* fol. — Freytag App. liter. tom. I, pag. 502.

1560. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium Exempla. *Parisiis.* 12. — Bibl. Emtinck. part. III, p. 501, n. 915.

1560. *Lugduni.* 8.

1564. *Venetiis.* 8. ex rec. et cum notis Seb. *Corradi.*

1564. *Coloniæ.* 12. excudebat Petr. Horst, adjecto Indice propriorum nominum, rerumque memoria dignarum locupletissimo.

1565. *Venetiis.* fol. cum comm. *Oliverii*, *Badii*, etc.

1566. *Lugduni.* 12. apud Ant. Gryphium.

1567. *Epitomata super novem libros Valerii Maximi de dictis factisque memorabilibus diligenter et accurate a M.* Johanne Honorio *Cubitensi recollecta.* In fine: *Epitomata — — recollecta impressit Liptzik vir diligentis-*

simus Jac. Abiegnus Herbipolensis Anno 1567. 4. — Harles. Suppl. ad Not. brev. lit. Rom. p. II, p. 7.

.... S. a. et l. *Dionysii de Burgo* in Valerium Max. Commentarii. — Crassum hoc volumen Fabricius quidem tanquam ineditum commemorat; indicatque codices, in quibus lateat; vid. ejus Bibl. lat. tom. II, pag. 53 et 59. Sub prelo tamen sudavit, et editio exstat in bibl. publ. Erlang. et convenit cum Cod. a Gudio apud Fabricium pag. 60 descripto, teste Harlesio l. c. pag. 5. In his commentariis libri Valerii docte quidem et copiose, at sæpe etiam nugaciter explicantur. Textus ipse omittitur.

ÆTAS III. PIGHIANA. 1567—1671.

1567. *Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri IX, repurgati per* Stephanum Pighium *Campensem. Accedunt ejusdem annotationes. Antverpiæ, ex officina Christophori Plantini.* 8. — Pighius plurimis quidem subsidiis instructus accessit ad emendandum Valerium; licentius tamen versatus est in tollendis et addendis mutandisque pro lubitu verbis, ita ut, judice Kappio, totidem fere loca sana corruperit, quam fortasse corrupta sanavit. Ipse profitetur, se plus quam octingentis locis emendasse Valerium.

1574. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri IX infinitis mendis ex veterum exemplarium fide repurgati, atque in meliorem ordinem restituti per *Stephan. Pighium* Campensem. Accedunt in fine ejusdem annotationes in loca plus quam DCCC. Item *hac altera recognitione fragmentum de Prænominibus antiquum incerti auctoris*, quod decimi libri locum in multis exemplaribus occupat. *Antverpiæ, ex officina Christoph. Plantini.* 8.

1575. *Venetiis.* fol. cum commen. *Oliverii*, *Badii*, etc.

1576. *Lugduni.* 12. cum Claud. *Mitalerii* notis.

1577. *Basileæ.* 8. apud Henr. Petri, cum Henr. *Glareani* annotationibus. Adjecta sunt exempla christiana multivaria.

1581. A Steph. *Pighio* et Claud. *Mitalerio* emendatus. *Lugduni, apud Ant. Gryphium.* 12.

1585. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri IX ex rec. Steph. *Pighii*, cum ejusdem et Justi *Lipsii* (qui duobus Mss. et antiquis edd. usus est) notis. *Antverpiæ.* 8. apud Plantin.

1587. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium ad Tiberium Aug. libri IX. a Steph. *Pighio* et Claud. *Mitalerio* restituti. Accessit et de Prænomine incerti auctoris fragmentum. *Lugduni, apud Ant. Gryphium.* 12.

1592. Valerii Maximi — libri IX. infinitis mendis ex veterum exemplarium fide repurgati, atque in meliorem ordinem restituti per Steph. *Pighium* Campensem. Accedunt in fine ejusdem annotationes in loca plus quam DCCC. Item *breves notæ Justi Lipsii ad eundem scriptorem*, non ante editæ. *Antverpiæ, apud Jo. Helvidum.* 12.

1592. Valerii Maximi — libri a Steph. *Pighio* et Claud. *Mitalerio* Viennensi restituti et emendati; et a multis præcedentium editionum mendis repurgati. Accessit et de Prænomine incerti auctoris fragmentum. *Lugduni, sumpt. Sybillæ a Porta.* 12. Margini rarius adscriptæ sunt variæ lectiones.

1594. Cum notis Steph. *Pighii* et Justi *Lipsii. Antverpiæ.* 8.

1594. Cum notis *Pighii* et *Lipsii. Lugduni Bat.* 8.

1601. C'est à la date de 1601 que doit se placer la première édition du Valère-Maxime de Colerus, indiquée plus bas sous la date de 1614. Je possède un exemplaire avec la date de 1601, *Francofurti, typis Wechelianis, apud Claudium Marnium et heredes Joannis Aubrii.* Il paraît que les héritiers de Jean Aubrius ayant transporté leur domicile à Hanau, ont rafraichi, en 1614, le frontispice de 1601. B.

1602. Cum notis Steph. *Pighii* et Justi *Lipsii*, apud Sam. Crispinum. 12.

1605. *Venetiis*. 8. ex rec. et cum notis Seb. *Corradi*.

1608. *Antverpiæ*. 8. ex recensione Steph. *Pighii*, et cum notis Justi *Lipsii*.

1612. Ex rec. Steph. *Pighii*, cum ejusdem notis in fine, et brevibus notis Justi *Lipsii*. *Lugduni, apud viduam Ant. de Harsy*. 12.

1614. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri novem. Olim a Steph. *Pighio* emendati: nunc vero post *Lipsii* et *Mitalerii* aliorumque spicilegia, ad vetustissimum Petri Danielis exemplar collati, adjectis etiam animadversionibus a Christophoro *Colero*. *Hanoviæ, typis Wechel. apud hæredes Jo. Aubrii*. 8.

1617. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri IX. infinitis mendis ex veterum exemplarium fide repurgati, atque in meliorem ordinem restituti per Steph. *Pighium* Campensem. Accessere in fine Justi *Lipsii* notæ. *Coloniæ Agrippinæ, apud Petr. Henningium*. 16.

1619. *Duaci*. 4. — Editio collata cum duobus Mss. et cum variis lect. e codice ms. Lipsiensi, et Jani Dousæ conjecturis.

1619. Infinitis mendis ex vett. exemplarium fide repurgati, et in meliorem ordinem restituti per Steph. *Pighium*. *Coloniæ*, ap. Bern. Gualterum. 12.

1620. *Hanoviæ*. 8.

1625. *Amsterodami*, apud Cæsium. 24.

1626. *Amsterodami*, apud Joan. Janssonium. 16.

1627. *Francofurti*. 8. typis Wechel. Repetitio editionis ann. 1614, cui editioni *Colerus* et annotationum suarum novam appendicem, atque Seb. Corradi animadversiones adjunxit. Hanc Gudius cum codicibus viginti amplius

contulerat, quorum notitiam ipsius Gudii verbis vid. apud Fabric. Bibl. lat. tom. II, pag. 56. sq.

1632. Ex recensione Jo. Is. *Pontani. Amstelodami*, apud Dan. Elzevir. 12.

1637. Cum notis Justi Lipsii. *Amst.* 12.

1640. Cum notis *Lipsii. Lugduni Bat.* 12. apud Franc. Hegerium.

1642. *Genevæ.* 12.

1647. *Amstelodami.* 12. apud Jansson, cum notis *Lipsii.*

1650. *Amstelodami.* 12. apud Elzevir.

1651. *Amstelodami.* 16. apud Jo. Janssonium.

1651. Cum notis variorum, ex ed. Ant. *Thysii. Lugd. Bat.* 8. — Ex eruditis observationibus Christoph. Adam. *Ruperti* ad Valer. Max. et Velleium, Norimbergæ 1663, separatim editis, selectas notas excerpsit, suisque addidit Thysius.

1652. *Francofurti.* 8. cum notis varr. cura Christoph. *Coleri.*

1652. *Amstelodami.* 12. ex museo Is. *Pontani.*

1655. *Lugduni Bat.* 8. cum notis varr. ex ed. Ant. *Thysii.*

1660. *Amstelodami*, ap. Jansson, 16. cum notis *Lipsii.*

1660. *Lugduni Bat.* 8. cum notis varr. ex edit. *Thysii.*

1662. *Roterodami.* 12. cum notis Jo. *Minellii.*

1663. Christoph. Adami *Ruperti* dissertationes observationesque mixtæ in Valerium Max. et C. Velleium Paterculum. *Noriberg.* sumpt. Jo. Tauberi. 8.

1665. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri IX. cum *J. Lipsii* notis. et indice uberrimo. *Amstelodami, apud Joan. Janssonium.* 24.

1670. Val. Max. cum selectis varr. observationibus, et ex nova recensione Ant. *Thysii. Lugduni Bat. ex officina Hackiana.* 8.

1671. Ex museo Is. *Pontani* 16. *Amstelodami*, apud Elzevir.

1671. Cum notis Jo. *Minellii. Roterodami*. 8.

ÆTAS IV. VORSTIO-TORRENIANA.
1672. — 1726. — 1799.

1672. *Valerius Maximus cum notis perpetuis Jo.* Vorstii. *Berolini, ex officina Rungiana, impensis Ern. Gohlii.* 8. — Hæc editio ad Aldinam et binos Codices bibl. Elect. Brandenb. castigata, notisque eruditis illustrata est.

1678. *Antverpiæ*. 24.

1679. *Amstelodami*. 12.

1679. In usum Delphini illustratus a Petr. Jos. *Cantelio. Parisiis*. 4. — Editor præter alia singulis narrationibus temporis quoque notationem, quo singula gesta sunt, Pighio præeunte, adjecit.

1681. *Roterodami*. 12. cum notis Jo. *Minellii.*

1690. *Amstelodami*. 24.

1700. *Lugduni*. 8. cum versione Gallica. 2 vol.

1703. *Hafniæ*. 8. cum notis Jo. *Minellii.*

1720. *Parisiis*, *apud J. L. Nyon*, cum notis *J. Min-Ellii*, in-12. B.

1722. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium olim obiter, et strictim versibus expositorum libri IX. Opus posthumum, ex umbris in lucem solerter vindicatum; juvandæque tantisper claritatis gratia, amplius dimidio versuum numero sparsim adauctum: nec non ad calcem cujusque libri indiculo instructum. Opera et studio *Martini a S. Brunone* austriaco-viennensis scholarum piarum presbyteri. *Rastadii, typis Georg. Franc. Tuschii.* 8. — Olim P. Car. a S. Wenceslao, boemo-lithomissliensis, in modum epigrammatum versa oratione strictim transposuerat Valerium. Quo e vivis excedente, opus posthumum

dimidio amplius auxit Martinus a Brunone, et jussu superiorum edidit. Brevior titulus est : *Valerius Maximus Carolo-Martinianus carminice datus.*

1726. *Valerii Maximi libri novem factorum dictorumque memorabilium : cum notis integris Henr. Lorit.* Glareani, *Steph.* Pighii, *Justi* Lipsii, *Christoph.* Coleri, *et Joh.* Vorstii, *nec non selectis aliorum observationibus : quibus accedunt emendationes ineditæ Gasp.* Barthii, *Franc.* Guyeti *et Marquardi* Gudii: *item notæ et observationes perpetuæ Jac.* Perizonii : *ut et Ant.* Schultingii *exercitatio ad Val. Max. lib. VII, cap. 7, de testamentis rescissis. Ad plurimorum Mss. fidem opus recensuit, et notas adjecit Abrahamus* Torrenius. *Leidæ, apud Sam. Luchtmans.* 4. — Basin textus fecit Vorstianum, quod Vorstius eum ab interpolationibus Pighianis liberavisse, et ex Mss. et edd. vett. bene correxisse videbatur : sed eum passim correxit, usus Mss. plurimorum excerptis, in his Gudianis Perizonianisque; item edd. pr. et omnibus schedis Perizonii e Bibl. Leidensi, unde et illæ ineditæ Perizonii notæ sumptæ sunt. Nam Perizonius promiserat novam Valerii editionem, cujus specimine in Animadvers. historicis cap. 3 edito, omnium doctorum cupiditatem ejus videndæ commoverat; nec quisquam eo fuit magis idoneus ad hoc negotium. Additus est etiam index verborum locupletissimus, a collega ejus in gymnasio Leidensi, *Mich. Benedicto*, confectus.

1744. *Hafniæ.* 8. apud Pelt, cum notis Jo. *Minellii.*

1747. *Amstelodami.* 12.

1753. *Berolini.* 8. apud Haude, curante Jo. Petr. *Millero.*

1782. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri novem, cum varietate lectionis et indicibus copiosis editi a Jo. *Kappio. Lipsiæ*, sumptibus Pauli Gotthelf Kummer. 8. — Editionem vet. sine loco et anno

denuo post Lipsium contulit, et ex Pighii, Coleri, Vorstii, Perizonii, Torrenii, aliorumque commentariis excerpta dedit doctissimus editor, omissis iis, quæ ad ostentandam tantummodo eruditionem dicta essent. In textu formando Torrenium sequutus est, nisi ubi codices Mss. aut critices regulæ aliam lectionem suaderent, quod raro factum est. Potiorem varietatem lectionis edd. Pighii, Coleri et Vorstii adjecit.

1783. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri novem, ad optimas editiones collati. Præmittitur notitia literaria, accedit index. Studiis societatis Bipontinæ. Editio accurata. *Biponti, ex typographia societatis.* 8 maj.

1784. *Norimbergæ.* 8. apud Riegel.

1799. Valerii Maximi — — libri novem e recensione Torrenii, cum præcipuis eruditorum explicationibus, quibus suas adjecit Jo. Theod. Benjam. *Helfrecht. Curiæ Regnit.* 8 maj.

1806. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri novem ad optimas editiones collati. Accedunt Julii Obsequentis quæ supersunt ex libro de prodigiis cum supplementis Conradi Lycosthenis. Præmittitur notitia literaria *Argentorati*, ex *typographia societatis Bipontinæ.* 8.

VERSIONES.

HISPANICA.

1495. Valerio Maximo. Comienzan las rubricas. Interpres *Mossen Ugo de Urries*. In fine : *Es acabado el Valerio Maximo — Fue a instancia e costa de Paulo hurus aleman de Constancia imprimido : en la muy noble Ciudad de Çaragoza : el anno de la salud mil.* cccc. xcv. fol.

ANGLICA.

1678. The History of the Acts and Sayings of the Ancient Romans, written by Valerius Maximus, translated into English by Mr. *Speed.* London 8.

BELGICÆ.

1614. Valerii Maximi IX. bœken van gedenk-weerdighe Woorden, daden ende geschiedenissen des Romeynen ende uytlandsche volken, overgeset door *Conr. Mirkinium.* tot Rott. 8.

1721. Valerius Maximus gedenkwærdige voorbeelden, zoo de Romeinen, als der Uitheenesche volken, uyt het Latyn vertælt door *A. Bogaart.* te Amst. 8.

GALLICÆ.

Cy commence le livre de Valerius-Maximus, translaté du latin en françois par maitre *Simon de Hesdin*, maitre en théologie, et *Nicolas*

de Gonesse, 2 vol. in-folio, goth. M. Brunet croit que l'impression de cet onvrage remonte à l'an 1476. B.

1485. Valerius Magnus en François : les sept premiers livres par *Simon de Hesdin*, le reste par *Nicolas de Gonesse*. Imprimé à Lyon sur le Rosne par Mathieu Husz. fol.

1489. Le livre de Valerius Maximus translaté de Latin en François par maistre *Simon de Hesdin* religieux des hospitaliers de St. Jean de Jerusalem, qui poursuivit jusqu'au VIIme livre, dela en avant jusque à la fin du livre par *Nicolas de Gonesse* par ordre de Msgr. le Duc de Berry 1401. Imprimé à Lyon sur le Rosne par maistre Mathieu Husz imprimeur de livres, demourant en la dicte ville de Lyon, l'an mil quatre cent quatre vingt et neuf, la vigile de St. Jean-Baptiste. fol. char. goth. cum figg.

Valère-le-Grand ou Valerius Maximns, translaté du latin en françois, par *Simon de Hesdin*, et *Nicolas Gonesse*, auquel il est traicté des Romains et des Carthaginois, et de plusieurs autres nations, el de leurs guerres. *Paris*, *Ant. Verard*, *sans date*, 2 *vol. in-fol. goth.* Cette édition est probablement de la fin dn XV[e] siècle. B.

1525. Le Floraillier, recueil et epitome de Valere-le-Grand (par Robert-de-Valle, traduit du Latin en Français, par *Guillaume Michel*), *Paris.* 8.

L'onvrage latin a pour titre: Roberti de Valle, cauonici Carnotensis, Epithoma in Valerii Maximi collectionem. 4.

La Bibliothèqne du Roi possède un exemplaire de cet ouvrage, qui est sans date, sans lieu d'impression, et sans uom d'imprimeur ni de libraire. Il a du paraitre de 1520 à 1525.

1544. Les neuf Livres de Valere, où sont compris les Faits et Dits dignes de mémoire, tant des vertueux personnages que des vicieux, afin que les hommes par la splendeur des vertus soient enflammés a les ensuivre, pareillement par la turpitude et reproche des vices soient incités d'avoir horreur d'iceux; traduits de Latin en Fran-

çois par *Jean le Blond*. à Paris, par Charles l'Angelier. fol. — Repetita Parisiis 1572. 12.

1555. Epitome de cinq livres d'Artemidore traitant des Songes, trad. du Grec par *Charles Fontaine;* avec un Recueil de Valere Maxime sur le même sujet, traduit du Latin. à Lyon, de Tournes. 8.

1634. Les jugemens astronomiques des Songes, par Artemidorus, auteur ancien et renommé. — Petit Recueil du livre de la Valere Maxime (trad. par *Charles Fontaine*). — Plus Auguste Niphe, des divinations et Augures (trad. par Antoine du Moulin. *Troyes*, *Nic. Oudot*. 12. B.

1647. Valere Maxime, traduit par le Sieur *Claveret*. à Paris. 8.

1659. Eadem, ibid. 12.

1665. Eadem, ibid. 2 vol. 12.

1700. Valere Maxime, Latin-François. Traduction nouvelle par le Sieur *Claveret*. à Lyon, chez Horace Molin. 2 vol. 8.

1713. — — par *Tarboicher*, avec des Notes. à Paris. 12.

La traduction de l'avocat *Tarboicher* ne contient pas le texte; elle a cependant 2 vol. in-12. B.

1796. Valere Maxime, traduit du Latin par *R. Binet*, ancien Recteur de l'Université de Paris, et Professeur de Rhétorique au Collège du Plessis. A Paris, de l'imprimerie de H. J. Jansen, an IV de la République Française. 2 vol. 8.

GERMANICÆ.

.... S. a. et l. Chronica Valerii Maximi: von den sprüchen und thaten, die wirdiger Gedechtnuss seint, der Rœmer und æussers volks, Perser, Medier, Griechen, Aphern etc. an Tiberium den Rœmischen Keyser geschrieben. 4.

1489. Valerius. Maximus. die. Geschicht. d. Rœmer. fol. min. — *Rarissimæ hujus versionis auctor est* Henricus Mugelensis, *quod e libri initio colligitur, ubi fol. 2. hæc leguntur:* Als Valerius Maximus, mit kurczen beschnitnen worten Unnd schwæren zu latein beschriben hate die sprich unnd Cronica di se wirdiger gedechnus seind der Rœmer Persen Meden Kriechen Affren und ander Land zu crn unnd zu lobe Tyberius dem Keyser: also hab ich *Heinrich von Müglein gesessen bey der Elbe in dem land Meyssen* dieselben sprüche und Cronicken betücht in teuttscher Zungen bey Keiser Karels Zeiten, des wirdigen nach Cristi gepurt tausent jar dreu hundertt jar und in dem neunundsechczigsten jar. etc. — *In fine libri legitur:* Hie endet sich das register unnd buch Valery Maximi, das do sagt von der Rœmer geschicht und thaten auch von irem wesen und ordnung der rœmischen regierung vast hüpsch zelesen darbey gut underweisung. Getruckt in der lœblichen Stat Augspurg von Anthonio Sorg. am montag nach Valentini. do man zalt nach Cristi gepurt. M. CCCC. und im LXXXVIIII. Jar.

1533 Valerius Maximus von geschichten der Rœmer und aussers volcks, Perser, Medier, Griechen, Aphern, Flemming und Teutschen, durch *Petrum Selbet* der Rechten Licenciaten new verteutscht. Getruckt zu Strassburg bey Jacob Kammerlandern. Anno M. D. XXXIII. fol.

1535. Valerius Maximus von geschichten der Rœmer *etc. ut in edit. antecedente.* und Teutschen. Alles lüstig nottwendig und nütz zu lesen, darin erlernt mann alte thaten, ordenung der Reich, Land, Stætt und Lewt, den nachkümlingen zu eynem ebenbildt, das güt anzünemen, und das Bœss zü fliehen. Durch *Petr. Selbet* der Rechten Licentiaten new verteutscht. Getrückt Strassburg bey Jacob Kammerlandern. Anno M. D. XXXV. fol.

1541. Eadem repetita ibid. fol.

1565. Valerii Maximi neun Bücher von namhafften und wunderbaren Geschichten und Exempeln beide der Rœmer und anderer auslendischen Vœlcker, durch Herrn *Peter Selbeth* der Rechten Licenciat erstlich verteutscht ietzt aber wieder übersehen etc. durch *Niclas Heiden* Eifflender von Dhaun. Mit Valerii Leben. Frankfurt am Mayn durch Peter Schmidt in Verlegung Sigmund Feyerabends und Simon Hüters. fol.

1676. — — von *Eberhard Happel.* Hamburg. 8. — *Mox repetita hoc titulo:*

1678. Valerius Maximus von denckwürdigen Reden und Thaten der Rœmer und Frembden ins Teutsche übersetzt von *Everhardo Guernero Happelio.* Hamburg. Anno MDCLXXVIII. 8.

1780. Des Valerius Maximus denkwürdige Beyspiele ins Teutsche übersetzt von M. *G. Chr. E. Westphal.* Lemgo. 8.

1805. Valerius Maximus denkwürdige Reden und Thaten, aus dem Lat. übersetzt, und mit Anmerkungen begleitet. Frankfurt. 8.

ITALICÆ.

1504. Valerio Maximo vulgare. *Venetia*, per Albertino de Lissona Vercellense, 1504. A di VI del Mese di Novembre. fol. — Interpres latet.

1539. Valerio Massimo de i Detti et Fatti memorabili. Tradotti di Latino in Toscano da *Giorgio Dati* Fiorentino. Roma. 8. — Sæpius dehinc repetita prodiit hæc versio. Optima habetur editio Veneta anno 1547. 8. per Mich. Tramezzino impressa.

INDEX EDITIONUM
JULII OBSEQUENTIS.

1508. Editio *princeps*. *Venetiis*, cura *Aldi*. 8. una cum Plinii Epistolis etc. Vid. Indicem Bipont. editionum Plinii pag. XLIII seq.

1514. *Argentorati*, apud Matth. *Schurerum*. 8. cum iisdem Plinii Epistolis ex edit. Aldina repetitis.

1515. *Florentiæ*, opera et sumptu Phil. *Juntæ*. 8. cum Plinii Epistolis etc.

1518. *Venetiis*, ap. *Aldum*. 8. ad editionem 1508 expressa. Conf. Indicem Bipont. edd. Plinii, pag. XLVI.

1521. *Basileæ*, per Andr. *Cratandrum*. 8. cum Plinii Epistolis etc.

1521. *Argentorati*, ex ædibus Hulderichi *Morhardi*. 4. cum Plinio (*Sext. Aur. Victore*) de Viris illustr. et Suetonio de Grammat. et Rhetor.

1523. *Antverpiæ*, in ædibus Guil. *Vorstermanni*. 8. cum Plinii Epistolis, et Suetonio de Gramm. et Rhet.

1529. *Parisiis*, curante Rob. *Stephano*. 8. Plinii Epp. adjunctus.

1530. *Basileæ*, apud *Cratandrum*. 8. cum Plinii Epistolis etc.

1531. *Lugduni*, ap. Seb. *Gryphium*. 8. cum Plinii Epp.

1532. *Antverpiæ*, ap. Mart. *Cæsarem*. 8. cum Plinii Epp.

1533. *Parisiis*, apud Robert. *Stephanum*. 8. cum C. Plinio de Viris illustribus, et Suetonio de Grammat. et Rhetor.

1536. *Parisiis*, ex offic. Rob. *Stephani*. 8. cum Plinio de Viris illustr. et Suetonio de Grammat. et Rhetor.

1537. *Parisiis*, apud Rob. *Stephanum*. 8. cum Plinio de Viris illustribus, et Suetonio de Gramm. et Rhetor.

1539. *Parisiis*, cura Rob. *Stephani*. 8. cum Plinio de Viris illustr. et Suetonio de Gramm. et Rhetor.

1539. *Lugduni*, ap. Seb. *Gryphium*. 8. cum Plinii Epistolis.

1541. *Parisiis*, apud Rob. *Stephanum*. 8. cum Plinio de Viris illustr. et Sueton. de Gramm. et Rhet.

1542. *Basileæ*, apud heredes Andr. *Cratandri*. 8. cum Plinii Epistolis. Vide Indicem Bipont. edd. Plinii, p. XLIX.

1542. *Antverpiæ*. 8. cum Plinii Epistolis etc.

1544. *Parisiis*, apud Rob. *Stephanum*. 8. cum Plinio de Viris illustr. et Sueton. de Gramm. et Rhetor.

1547. *Lugduni*, apud Seb. *Gryphium*. 8. cum Plinii Epistolis etc.

1552. *Basileæ*, cura Conradi *Lycosthenis*, cum ejusdem Suppl. apud Jo. Oporinum. 8.

1553. *Lugduni*, 16. Julii Obsequentis Prodigiorum liber, ab Urbe condita usque ad Augustum Cæsarem, cujus tantum exstabat fragmentum, nunc demum, historiarum beneficio, per Conradum *Lycosthenem* Rubeaquensem integritati suæ restitutus. Polydori Vergilii Urbinatis de Prodigiis libri III. Joachimi Camerarii Paberg. de Ostentis libri II. *Lugduni, apud Jo. Tornæsium et Guil. Gazeium.*

1589. *Lugduni*. 12.

1679. *Amstelodami*. 8. cum Lycosthenis Supplem. et cum notis Jo. *Schefferi*.

1703. *Oxonii*. 8. e Theatro Sheldon. cum notis Th. *Hearne*, una cum Eutropio et Messalla Corvino, omissis Lycosthenis additamentis.

1720. *Lugduni Batav.* apud Sam. *Luchtmans*. 8. maj. Julii Obsequentis quæ supersunt ex Libro de Prodigiis. Cum animadversionibus Jo. *Schefferi*, et Supplem. Conr. Lycosthenis. Curante Franc. *Oudendorpio*.

1772. *Curiæ Regnitianæ*, apud Jo. Gottl. *Vierlingium*. 8. Julii Obsequentis quæ supersunt ex Libro de Prodigiis, cum animadversionibus Jo. *Schefferi* et Franc. *Oudendorpii*. Accedunt Supplementa Conr. Lycosthenis, curante Joanne *Kappio*.

Gallice *Obsequentem* et tres Polydori Vergilii libros vertit Georgius *de la Bouthiere*. Lugd. 1558. 8.

La première édition de cette traduction parut à Lyon, chez Jean de Tournes, 1555, in-8°. B.

INDICES QUINQUE

TAM AD

JULIUM OBSEQUENTEM,

QUAM AD

NOTAS ET SUPPLEMENTA

LYCOSTHENIS.

INDEX PRIMUS,

VEL

CONSULUM,

SUB QUIBUS PRODIGIA ACCIDISSE MEMORAT

JULIUS OBSEQUENS.

Numeri appositi capita *indicant.*

A.

B.

C.

D.

F.

29 4

INDEX SECUNDUS,

VEL

RERUM ET VERBORUM,

IN JULIUM OBSEQUENTEM.

Numerus caput *significat.*

A.

B.

D.

E.

F.

P.

U.

V.

INDEX TERTIUS,

SEU

RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN NOTIS OCCURRUNT.

Numerus paginam; *literæ a* primam, *b* secundam, paginæ columnas designant.

A.

N.

O.

P.

T.

U.

V.

Ξ.

INDEX QUARTUS,

SEU

AUCTORUM EMENDATORUM,

AUT VINDICATORUM,

ET EXPLICITORUM IN NOTIS J. OBSEQUENTIS.

Numerus *paginam*, literæ *a* primam columnam, *b* secundam designant.

INDEX QUINTUS,

IN SUPPLEMENTA C. LYCOSTHENIS.

Numerus caput *significat.*

A.

TABULA

RERUM QUÆ IN HUJUS SECUNDI VOLUMINIS ALTERA PARTE CONTINENTUR.

FINIS

ULTIMI VOLUMINIS.